

P. Joannes B. Ferreres, S. J.

INSTITUTIONES CANONICAE



SUBIRANA - BARCELONA




Se, B
2

INSTITUTIONES CANONICAE

INSTITUTIONES CANONICAE

JUXTA NOVISSIMUM CODICEM PII X

A BENEDICTO XV PROMULGATUM


JUXTAQUE PRAESCRIPTA HISPANAE DISCIPLINAE
ET AMERICAE LATINAE

AUCTORE

P. JOANNE B. FERRERES, S. J.

DE LICENTIA ORDINARII LOCI AC SUPERIORUM ORDINIS

TOMUS II




EUGENIUS SUBIRANA, PONTIFICIUS EDITOR
IN VIA DICTA PUERTAFERRISA, 14-BARCINONE-1918

DISTRIBUTIO MATERIAE

in Seminariis ubi nostrae INSTITUTIONES CANONICAE
et nostrum
COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS pro textu habeantur

Vide dicta *vol.* 1, *pag.* VIII de modo distribuendi materiam inter utramque scholam pro diversis adjunctis.

In genere, quae in Institutionibus, *vol.* 2, habentur de diebus festis (*nn.* 170-178), de abstinentia et jejunio (*nn.* 179-191), de voto et juramento (*nn.* 256-279) et de delictis et poenis (*nn.* 943-1087), relinqui possunt pro schola Theologiae moralis, ita tamen ut de delictis et poenis aliqua desumantur ex Institutionibus.



21216. — Ex Typis Eugenii Subirana

LIBER III

De rebus

1. **Ratio methodi.** — Codex, postquam normas generales juris in libro I tradidit et postquam in II de personis egit, gradum in III facit ad agendum de rebus, servata classica antiquorum partitione in Justiniani Institutionibus jam constituta. Cfr. *vol.* 1, *n.* 117.

2. — In Decretalibus, in VI igitur, atque in Clementinis (vide *vol.* 1, *n.* 79 *seq.*), matrimonium ob nimiam amplitudinem librum singularem (IV) efficiebat; at sapienter materiam Codex coarctavit, idque quod ad matrimonium attinet, ad partem libri III quae agit de Sacramentis transtulit, qui locus tractationis proprius est.

TITULUS PRAEVIUS

Notio et divisio rerum ecclesiasticarum — De iisdem contractus simoniaci

ARTICULUS I

NOTIO ET DIVISIO RERUM ECCLESIASTICARUM

3. **Notio.** — Ut in superioribus libris Codex titulo I seriem canonum praemisit (vide *vol.* 1, *nn.* 111 et 190) quibus comprehenduntur certae quaedam notiones plus minusve generales, quae sunt necessariae vel utilissimae ut materia, de qua liber agit, sit captu facilior, sic huic III libro praeposuit canones 726-730, qui quasi quemdam titulum praevium constituunt.

4. — Legifera potestas Ecclesiae exercetur praescribendis modo obligatorio mediis socialibus quibus uti debet ad finem suum consequendum. Jam haec, praeter personas, sunt res ecclesiasticae. Res igitur, de quibus in hoc libro agitur, totidem subsidia sunt ad Ecclesiae finem consequendum (*can.* 726). Vox *res* sensu latiore sumitur, quae non objecta solum proprie dicta complectitur, sed etiam

actiones a Deo et ab Ecclesia ad salutem animarum praescriptas, ut sunt jejunia, actus religionis, etc.

5. **Divisio.** — Res ecclesiasticae aliae sunt spirituales, aliae temporales, aliae mixtae (*Ibid.*). *Spirituales* destinatae sunt ad animae vitam spiritualem fovendam; *temporales* ad vitam Ecclesiae physicam et temporalem procurandam servandamque diriguntur (*Sebastianelli*, De rebus, *n.* 1) et sunt temporali pretio aestimabiles; *mixtae* utrarumque sunt participes.

6. I. **Res intrinsece aut extrinsece spirituales.** — Inter *spirituales* aliae sunt tales *intrinsece*, ut Sacramenta, consecratio, indulgentiae (*can.* 727); aliae solum ordinatione *extrinseca* aut assistentia, ut jejunia, actus multi cultus exteriores.

II. **Quomodo sanctificant.** — *Spirituales* aliae formaliter animam sanctificant (1), ut gratia sanctificans; aliae causative, ut Sacramenta; aliae remotione impedimentorum, ut absolutio a censuris.

7. **Conjunctio elementi spiritualis et temporalis in mixtis.**— In rebus *mixtis* elementum temporale potest ita spirituali esse adnexum, ut illud sine hoc nunquam esse possit, ut in beneficiis evenit; si enim e re temporali officium spirituale sejungitur, beneficium desinit essentialiter exsistere, quandoquidem dos beneficii est ratione officii. Aliquando separari possunt, ut in calice consecrato, qui amissa consecratione non tamen valorem materialem intrinsecum amittit quem ante consecrationem habebat.

8. **Res temporales.** — *Temporalia* sunt praedia, reditus, etc., quae Ecclesiae sunt propria, neque beneficium constituunt, neque constitutivam rei sacrae benedictionem acceperunt (vide *n.* 30). Cfr. inferius *partem sextam* hujus libri, ubi earum divisio exponitur.

ARTICULUS II

DE SIMONIA

9.—Codex hoc loco agit de simonia, quoniam materia quae ad illam refertur locum habere potest in qualibet e rebus spiritualibus et mixtis de quibus in hoc III libro sermo est.

10. **Origo vocis.** — *Simonia* nomen a Simone Mago mutuata est, qui primus ex iis, de quibus quidem constet (vide *n.* 13), post conditam Ecclesiam hoc delictum in se admisit.

Simonia esse potest juris divini et humani.

11. **Definitur simonia juris divini.** — Simonia est studiosa voluntas emendi aut vendendi pro pretio temporali rem spiritualem (*can.* 727, § 1).

(1) Vide inferius adnot. *n.* 29, III.

Quod ad rem spiritualem attinet, voluntas haec emendi aut vendendi haberi potest *a*) de re intrinsece spirituali, vel *b*) de re temporali sed ita adnexa rei intrinsece spirituali, ut sine hac illa nullo modo esse possit, vel *c*) de augendo pretio ratione rei spiritualis, etiam cum objectum principale contractus est res temporalis conjuncta tamen cum spirituali a qua possit sejungi: ex. gr. si in venditione calicis consecrati pretium augetur ratione consecrationis (*Ibid.*).

12. **Simonia juris ecclesiastici.**— Committitur cum dantur: 1.° res temporales spirituali adnexas pro temporalibus spirituali adnexis, vel 2.° res spirituales pro spiritualibus, vel etiam 3.° temporales pro temporalibus, si id ob periculum irreverentiae erga res spirituales ab Ecclesia prohibeatur (*Ibid.*, § 2).

Hae permutationes simoniam continent, quia ab Ecclesia prohibitae sunt absolute ob religionem, et ob speciem aut periculum quod in his inest incurrendi in simoniam juris divini; etsi intrinsece et antequam ab Ecclesia prohibeantur malae non sunt absolute. Cfr. *Reiffenstuel, lib.* 5, *p.* 1, *tit.* 3, *n.* 23; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 6, *n.* 341.

Utraque simonia juris divini et juris ecclesiastici potest esse *interna*, ea scil. quae solo actu interno consummatur, et *externa*, quae fit manifesta per actum exteriorem.

13. **Malitia simoniae unde oriatur.**—Delictum sive peccatum simoniae oritur ex injuria quae fit rei spirituali cum aequiparatur rebus temporalibus cumque ejus valor quasi horum valore taxatur. Est igitur quasi quoddam *sacrilegium reale*, quandoquidem res sacra tractatur irreverenter. Simonia juris *divini* materiae parvitatem non admittit, sed ratione materiae est semper mortale peccatum. In simonia vero juris ecclesiastici inesse potest materiae parvitas, docente *S. Alphonso, l.* 3, *n.* 50. Ratio primi est, quia quaelibet res spiritualis collata cum temporali pro vili habetur, non sine ipsius Dei *magna* injuria. Constat hoc etiam ex verbis S. Petri ad Simonem Magum, Act., VIII, 20: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Ratio secundi est, quia per simoniam juris ecclesiastici rei sacrae proprie non fit injuria, sed solum praeceptum Ecclesiae violatur.

14. **Sensus verborum vendere, emere, etc.** — Cum de simonia agitur, emptio-venditio, permutatio, etc., late accipiendae sunt pro qualibet conventione, licet ad effectum non deducta, etiam tacita, in qua scilicet animus simoniacus expresse non manifestetur, sed ex circumstantiis colligatur (*can.* 728).

Item verbi «studiosa voluntas». — Diximus in definitione *studiosa voluntas* sive deliberata, quia sufficit sola voluntas interior paciscendi aut alium obligandi, neque requiritur pactum expressum et mutuo consensu initum; sufficit ut ab altera ex partibus interius *inchoëtur*.

15. **Condicio ad simoniam necessaria.** — I. Ad simoniam requiritur ut temporale detur vel accipiatur sive *formaliter* sive *virtualiter* pro ipsa re spirituali et in ejus commutationem, ita ut fiat aequiparatio rei spiritualis cum temporali aut commutatio ex motivo primario acquirendi unam per alteram tanquam pretium justamve compensationem. — Ratio ex ipsa simoniae definitione manifesta est. Unde si quod motivum honestum accedit vi cujus res temporalis tribuatur et vicissim spiritualis, jam altera alterius motivum non est, sed tantum causa impulsiva, nec proinde est simonia.

Diximus primo *formaliter*, i. e. si intenditur directe pro temporali et tanquam ejus pretium accipere spirituale. Diximus secundo *virtualiter*, hoc est, si quis pro temporali spirituale vult *proxime* et *immediate* obtinere, neque aliud motivum verum honestumque intercedit. In hac enim voluntate includitur virtualiter intentio unius cum altero commutandi. Ita *Suárez*, etc.

II. Non habetur simonia, cum temporale datur non *pro re spirituali*, sed ejus *occasione* ex justo titulo a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito (*can.* 730), v. gr., stipendium pro missa, jura stolae. Aequitas enim naturalis postulat ut iis honesta sustentatio concedatur, qui sunt aliis utilitati. Hinc Christus Dominus, Luc., X, 7: *Dignus est operarius mercede sua.* — Et Apostolus, I Cor., IX, 13-14: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant?—Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

Nihilominus pro administratione sacramentorum minister nihil quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte exigere aut petere potest, praeter oblationes legitime statutas et a Sede Apostolica probatas (*can.* 736, 1507).

III. Neque habetur simonia cum datur res temporalis pro re temporali, quae tanquam subjectum habeat adnexum aliquid spirituale, ex. gr. calix consecratus, dummodo pretium non augeatur propter adnexam rem spiritualem (*can.* 730).

Ratio hujus est, quia etsi illud censetur *consequenter* spirituale vel spirituali adnexum, in pretio dando spirituale non attenditur.

IV. Tanquam simoniacae reprobantur deductiones ex fructibus, compensationes ac solutiones a clerico in actu provisionis faciendae, quae collatori, patrono aliisve cedant (*can.* 1441).

16. **Nullitas contractus simoniaci.** — *a*) Firmis poenis in simoniacos jure statutis, contractus ipse simoniacus *ipso jure* est nullus et irritus. *b*) Praeterea si simonia committitur circa beneficia, officia, dignitates, subsequens provisio etiam omni vi caret, *c*) licet simonia a tertia persona sit commissa, etiam inscio provi-

so (dummodo hoc *non* fiat in fraudem ejusdem provisi) aut eo contradicente (*can.* 729).

17. **Restitutio rei simoniace datae aut acceptae.** — *a*) Ante quamlibet judicis sententiam res simoniace data et accepta, sive *corporalis* sive *spiritualis*, si *restitutionis sit capax* nec obstet reverentia rei spirituali debita, restitui debet, et *b*) beneficium, officium, dignitas dimitti (*Ibid.*, 1.°).

Diximus *si capax est restitutionis;* aliqua enim, ut sacra ordinatio, etiam accepta simoniace, restitui non possunt.

18. **Fructus beneficii in simonia.** — *a*) Simoniace provisus de beneficiis *non facit fructus suos*, etsi bona fide perceptos, v. c. si, eo inscio, alius simoniam commisit; *b*) quod si eos bona fide perceperit, prudentiae *judicis* vel Ordinarii, attenta eorum origine, permittitur fructus perceptos ex toto vel ex parte eidem *condonare* (*Ibid.*, 2.°).

19. **Cui restituendi.** — Cum fructus restituendi sunt, restitui possunt *ecclesiae* in qua beneficium est constitutum (*S. Thom.*, 2, 2, *q.* 100, *art.* 6, *ad* 4), modo nullum commodum ex hoc obtineant qui simoniam commiserunt. Probabile etiam est posse restitui *pauperibus*, vel *successori* in beneficio, vel in pias causas erogari, vel etiam compositionem iniri cum Pontifice. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 32. *art.* 7; *q.* 62, *art.* 5, *ad* 2; *S. Alph.*, *l.* 4, *n.* 116; *Buccer.*, *n.* 522, *vol.* 1.

20. **Simonia confidentialis.** — In antiqua disciplina simonia confidentialis *qualificata* erat, eo quod poenis *specialibus* erat subjecta. Sed eam Codex a ceteris simoniae generibus non discernit; quare, cum communibus poenis subjiciatur, esse *qualificata* desinit.

Committebatur et committitur haec simonia: 1.° cum aliquis alii beneficium procurat aliqua ratione seu modo canonice approbato, ut electione, praesentatione, etc., cum pacto expresso aut tacito propria voluntate inito secundum quod is qui nunc beneficium accipit, *a*) vel suo tempore illud cedat aut resignet ei qui sibi procuravit aut alii, *b*) vel solvat *alii* pensionem fructuum beneficii. Quaerebatur antea utrum simonia esset confidentialis, an simplex tantum, stipulatio solvendae pensionis ei qui beneficium procurasset.

21. **Casus in quibus simonia non committitur.** — *a*) Simoniam *juris divini* non committit is qui vendit calicem consecratum, ceram benedictam, rosaria vel numismata cum indulgentiis, reliquias sacras pretiosis thecis inclusas, et similia; haec enim non veneunt propter rem sacram quam continent, sed propter pretium rei temporalis adnexae; secus si venderentur, ob rem spiritualem aucto pretio. Nunc haec omnia videntur vendi posse, modo ne pretium augeatur ob consecrationem, benedictionem aut indulgentias; canon enim 1539, § 1, statuit: *In venditione aut permutatione*

rerum sacrarum nulla ratio consecrationis vel benedictionis in pretii aestimatione habeatur. Igitur haec venditio non est simonia ne juris quidem ecclesiastici.

b) Nec sunt simoniae culpabiles, qui ex grato animo praestant temporale ob spirituale acceptum, et vice versa. Sic non peccaret cappellanus, qui servitia libentius tribueret Episcopo, a quo beneficium obtinuit, nec Episcopus qui clerico beneficium conferret ob recognitionem obsequiorum; quia haec non praestantur velut pretium; insuper honestum et laudabile est pro accepto obsequio se gratum exhibere. Cavendum tamen sedulo est, ne sub titulo grati animi testificandi lateat simonia palliata; hoc autem fieret, ubi intercederet pactum implicitum dandi beneficium pro temporali obsequio, vel vice versa.

c) Neque qui alii beneficium conferunt ob amicitiam, cognationem aut ad ejus indigentiam sublevandam; neque qui pueris praemium pollicentur ut Sacramentorum receptionem frequentent, aut puellae dotem, si monasterium ingreditur; hic enim nihil spirituale temporali commutatur.

d) Neque candidatus qui sese obligat ad solvendos patrono omnes sumptus pro scriptura praesentationis; nam illos pro se candidatus impendit.

e) Si clerico bona fide ad beneficium praesentato, de jure patronatus litigaretur, nollet autem patronus litem ob litis expensas subire; se posset obligare clericus ad eas solvendas, nulla in se admissa simonia; hos enim sumptus faceret pro suo jure tuendo quod praesentatione acquisivit, etsi favor in patronum redundaret.

22. **Casus in quibus distinguendum.** — Neque clericus simoniam committeret, si patrono eum praesentare recusanti ob metum ne jus sibi denegaretur et lis intenderetur, diceret ut ipsum praesentaret, addens se meditaturum de convenientia litem propriis sumptibus sustinendi; quia hac promissione nihil agit pro patrono, sed sibi prospicit.

Ob rationem contrariam simonia esset, si patronus praesentationem perageret pacto inito praesentatum litem suis expensis usque ad extremam sententiam subiturum. Vide *Ferreres*, **Casus**, *vol.* 1, *nn.* 292 *a*, 292 *b*, edit. 3.

23. **Casus simoniaci.**—*a*) Simonia committitur tum a Praelato qui ad beneficium conferendum moveatur principaliter propter preces quibus periculum comminatur, tum a clerico qui pro beneficio obtinendo ad hujusmodi intercessiones recurrat. *Bened. XIV*, Inst. 12, *n.* 12; Conc. Plen. **Amer. lat.**, *n.* 814.

b) Simoniacum est pactum *privatim* initum in beneficiorum permutatione, ut alter solvat omnes expensas. In permutationibus enim beneficiorum nullum pactum *privatim* inire licet nisi in

ordine ad consensum Pontificis, vel Praelati qui possit illi auctoritatem dare. Ita *Suárez*, De relig., *tr.* 3, *lib.* 4, *cap.* 34, *n.* 19; *García*, De benef., *p.* 11, *cap.* 3, *n.* 148; *Navarro*, Consil., *lib.* 5, *cons.* 25, 30, 50, 51; *Palaus*, *tom.* 3, *tr.* 17, *disp.* 3, *pag.* 16, *n.* 5; *Muniesa*, De personat. Tarrac. *n.* 173 *seq.*

ARTICULUS III

DIVISIO GENERALIS HUJUS LIBRI III

24. — Secundum ea quae in *vol.* 1, *n.* 13, dicta sunt, materia libri II ad jus constitutivum Ecclesiae referri potest, materia vero trium qui subsequuntur ad jus *administrativum* sive ad *regimen* Ecclesiae catholicae (cfr. *Aichner*, § 148), etsi propter materiae connexionem in libro II non pauca pertractanda fuerunt quae ad regimen spectant.

25. **Jus administrativum Ecclesiae** potest definiri: complexus legum tum divinarum tum ecclesiasticarum, quibus exercitium potestatis *ordinis* et *jurisdictionis* constituitur. *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 3.

26. **Subdivisio.** — I. Potestas *jurisdictionis* duas partes complectitur: potestatem *magisterii* ecclesiastici respectu eorum quae sunt credenda, potestatemque *regiminis* respectu eorum quae sunt facienda.

Potestas *magisterii* ordinatur ad fidem catholicam propagandam, conservandam et defendendam, quod fieri potest *definiendo*, *praedicando*, *docendo*, v. gr. in scholis, vel *scriptis libris*, eorum diffusione, si boni sunt, prohibitione, si pravi.

II. Potestas *ordinis* dispertitur in *liturgicam* et *sacramentalem.* Prima facultatem complectitur offerendi sacrificium Missae ceterosque divini cultus actus exercendi; secunda jus administrandi Sacramenta et Sacramentalia.

27. — Liber III dividitur in partes sex, quarum prima agit de Sacramentis (et Sacramentalibus), hoc est de rebus intrinsece supernaturalibus; secunda de locis temporibusque sacris, scil. de rebus ad vitae spiritualis exercitium destinatis; tertia de cultu divino; quarta de magisterio Ecclesiae; quinta de beneficiis ecclesiasticis; de bonis temporalibus sexta.

Tres priores spectant ad potestatem ordinis et sensu amplo ad potestatem liturgicam et sacramentalem; tres reliquae ad jurisdictionis.

PARS I

De Sacramentis et Sacramentalibus

28. — De Sacramentis agit Codex in octo titulis, quos sex canones praevii praecedunt.

Cum haec materia minus Institutionum, magis Theologiae moralis propria sit, in nostro autem Compendio, *vol.* 2, *nn.* 244 *seq.*, satis exponatur, ad illud lectorem remittimus. Hic, quia ad captum eorum quae in ceteris hujus libri partibus tractantur necessarium est, tantum notiones aliquae generales tradentur de Sacramentis et Sacramentalibus, quibus canones praevii et titulus VIII hujus primae partis explicabuntur.

ARTICULUS I

DE SACRAMENTIS GENERATIM

29. I. **Definitio.** — *Sacramentum* est signum sensibile a Christo Domino institutum permanenter ad gratiam ope illius significandam et conferendam.

Unde colligitur tria esse in omni Sacramento necessaria; 1.° signum sensibile; 2.° institutionem divinam et permanentem; 3.° vim ad producendam gratiam a Christo promissam.

Cum Sacramenta ad cultum ordinarium pertineant qui *permanens* est *perpetuoque* exercendus, Sacramenta debent etiam *usque ad saeculorum finem permanere*. Hac de causa non numeratur in Sacramentis neque Christi afflatus super Apostolos, ut Spiritum Sanctum acciperent, neque pedum lotio, quia non permanenter instituta sunt.

II. **Causae quae in eorum confectionem concurrunt**. — Ad singula Sacramenta conficienda tres quasi causae requiruntur: 1.° *res* quae sint velut eorum materia; 2.° *verba* quae formam constituunt; 3.° persona ministri qui sacramentum confert *cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Constat ex *Conc. Florentino, in decreto Pro armenis* (*Denz-Bannwart, n.* 695).

Sic v. c. in Eucharistia panis et vinum sunt materia; verba quae sacerdos in consecrando pronuntiat sunt forma; sacerdos cum ea profert debita intentione est velut causa efficiens quae nomine et persona Christi operatur, qui est praecipuus agens et invisibilis. Unde sequitur:

III. **Gratia sacramentalis.** — Omnia Sacramenta producunt gratiam sanctificantem seu habitualem (1), quae substantialiter et intrinsece eadem in omnibus est. Praeterea haec gratia, *secundum diversam naturam* Sacramenti a quo producitur, jus confert ut opportuno tempore Deus ei qui Sacramentum suscipit, concedat auxilia divina specialia ad consequendum finem proprium illius Sacramenti quod fuit origo horum auxiliorum.

Complexus gratiae sanctificantis et juris ad specialia auxilia vocari solet *gratia sacramentalis;* multi tamen hoc jus quatenus a gratia sanctificante distinguitur vocant gratiam sacramentalem. In utraque denominatione gratia sacramentalis diversa est pro Sacramentorum diversitate, sed tota differentia provenit ex diverso jure quod tribuit ad auxilia specialia. Cfr. *S. Thom.*, 3 *p.*, *q.* 62, *art.* 2; *Suárez*, *disp.* 7, *sect.* 3, *n.* 1 *seq.*; *Giné*, De Sacramentis, *pag.* 557 *seq.*; *Pesch*, De sacr. in gen., *n.* 137.

30. **Quomodo gratiam causent.** — Sacramenta gratiam conferunt *ex opere operato,* i. e. vi signi ipsius a Christo instituti, independenter *ab opere operantis* (2) sive a merito ministri et subjecti Sacramentorum.

Sacramenta sunt *causae* gratiae *instrumentales,* non autem principales; causa enim efficiens principalis Deus est, principalis meritoria Christus (*Trid. sess.* 6, *c.* 7).

Humanitas Christi est instrumentum Verbi ad gratiam nobis merendam et conferendam. Unde sequitur Sacramenta esse causas instrumentales *per conjunctionem cum altiore instrumento,* quale est humanitas Christi; ut enim docet *S. Thom.,* 3 *p., q.* 62, *art.* 5, virtus salutifera a Christi divinitate per ejus humanitatem in ipsa Sacramenta derivatur.

Saltem est dicendum, id omnes admittunt, causas esse morales. Moralis haec causalitas reponitur *in dignitate et virtute qua sacramenta pollent ut Deum moveant infallibiliter ad gratiam conferendam,* quandoquidem actiones sacramentales sunt moraliter Christi actiones, cujus nomine ponuntur, quique per Sacramenta, tamquam per media a se instituta, nobis applicat merita suae passionis. *Giné,* l. c., *pag.* 565, et De Bapt., *pag.* 63; *Pesch,* l. c., *n.* 141 *seq.,* 152 *seq.*

ARTICULUS II

DE SACRAMENTALIBUS

31. **Notio.** — *Sacramentalia* sunt res (v. gr. numismata, aqua benedicta) vel actiones (v. gr. confessionis generalis recitatio) quibus Ecclesia, in aliquam Sacramentorum imitationem, uti solet ad obtinendos ex sua impetratione *salutares effectus* praesertim *spiri-*

---

(1) Gratia sanctificans est qualitas supernaturalis, quae praeviis debitis dispositionibus animae adhaeret, ejus peccata delet (saltem mortalia), si habet, eam formaliter sanctificat atque ornat modo supernaturali eique jus ad gloriam tribuit sempiternam.

(2) Vocabula haec *opere operato* et *opere operantis* videtur invenisse Petrus Pictaviensis († 1160) (Sent. *lib.* 5, *p.* 1, *c.* 16 et *p.* 5, *c.* 6). Cfr. *Pesch,* l. c., *n.* 127.

tuales (*can.* 1144). Hujusmodi sunt plures consecrationes, benedictiones, exorcismi. Valere Sacramentalia ad impetrandos etiam effectus *temporales* liquido apparet ex agrorum, novae domus, etc. benedictione.

32. **Eorum a Sacramentis differentia.**—I. Sacramentalia non a Christo sed ab Ecclesia instituta sunt; nova autem constituere aut recepta authentice interpretari, ex eisdem aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica (*can.* 1145). Vide *n.* 29, I.

II. Sacramentalia (1) gratiam non conferunt *ex opere operato*, neque conferunt ut causae physicae aut morales, neque *infallibiliter*. Sed eam conferunt *quasi ex opere operato*, seu, quod idem est, meritis Ecclesiae impetrant, nunquam vero infallibiliter, ea quae Ecclesiae nomine a Deo postulantur, ut gratiae actuales, etc. Ratio est, quia Ecclesia ea instituit, accepta a Christo auctoritate. Quare inest in eis specialis dignitas et efficacia ex dignitate instituentis. *Génicot*, *n.* 107. Vide *n.* 29, III, et 30.

III. Sacramentalia non delent peccatum veniale *ex opere operato;* nullo enim fundamento constat: 1.° hanc vim eis ab Ecclesia esse attributam; 2.° Ecclesiam talem potestatem habere; cujus ratio est, quia *a*) non constat Ecclesiam posse peccata extra sacramentum remittere; *b*) nunquam ea potestate est usa, *c*) quae necessaria non est.

IV. Prosunt tamen ad venialia remittenda, nam gaudent *speciali vi impetrandorum auxiliorum* quibus ad pium motum contra venialia excitemur, quam eis Ecclesia tribuit, cum ab ipsa ut Sacramentalia adhibentur (2).

33. **Legitimus minister Sacramentalium.** — A) Est clericus, cui ad id potestas collata sit quique a competente auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus eandem exercere (*can.* 1146).

Igitur:

1.° *Consecrationes* nemo qui charactere episcopali careat, valide peragere potest, nisi vel jure vel apostolico indulto id ei permittatur (*can.* 1147, § 1).

2.° *Benedictiones* autem impertire potest quilibet presbyter, exceptis iis quae Romano Pontifici aut Episcopis aliisve reserventur (*Ibid.*, § 2).

3.° Diaconi et lectores illas tantum *valide* et *licite* benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse a jure permittuntur (*Ibid.*, § 4).

---

(1) Sacramentalia hoc noto versiculo comprehenduntur: *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens,* scil. oratio, aqua benedicta, panis benedictus, recitatio confessionis generalis, eleemosyna, benedictio. Cfr. *Ojetti,* v. Sacramentalia; *Sanguineti,* Institutiones, *n.* 398; Conc. Plen. **Americae Lat.,** *n.* 601 *seq.;* Conc. **Manil.,** *n.* 717 *seq.*

(2) Cfr. *S. Alph., lib.* VI, *n.* 90 *seq.; Giné,* De Poenit., *pag.* 155; *Suárez,* De Poenit., *disp.* 12, *sect.* 1, *n.* 9 *seq.; sect.* 2, *n.* 1 *seq.; Lugo,* De Poenit., *disp.* 9, *sect.* 2 et 3; *Arendt,* De Sacramentalibus, *n.* 39 *seq.; Pesch* (Christianus), De Sacram. in gen., *n.* 32 *seq.*

4.° Ministri exorcismorum qui occurrunt in baptismo et in consecrationibus vel benedictionibus, sunt iidem qui eorundem sacrorum rituum legitimi ministri sunt (*can.* 1153).

B) Minister in Sacramentalibus et conficiendis et administrandis accurate servare debet ritus ab Ecclesia probatos (*can.* 1148, § 1). Benedictio reservata quae a presbytero detur sine necessaria licentia, *illicita* est, sed *valida*, nisi in reservatione Sedes Apostolica aliud expresserit (*can.* 1147, § 3).

Contra, consecrationes ac benedictiones, sive constitutivae sive invocativae, *invalidae* sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta (*can.* 1148, § 2).

34.—C) Dicuntur *benedictiones* ritus, formulae aut caerimoniae quas sacri ministri peragunt nomine Ecclesiae invocatoque Deo tum ad aliquod bonum hominibus petendum, tum ad rei quae benedicitur communicandum characterem sacrum quo reddatur salutis instrumentum sive ad animam sive ad corpus (1).

Benedictiones possunt esse *constitutivae* aut mere *invocativae*.

Illae personam aut rem constituunt *in statu permanenti personae aut rei sacrae*, v. gr. benedictio Abbatum, ecclesiarum, paramentorum, etc.; hae non ita, sed per ipsas solum invocatur favor divinus pro aliqua re vel persona, v. gr. benedictio domus novae, navis, etc., benedictio in fine Missae, etc. Cfr. *Mach-Ferreres*, *n.* 463.

Constitutivae in *verbales* et *reales* dispescuntur. Primae fiunt sine sacrorum oleorum unctionibus; cum his reales.

Benedictiones *constitutivae reales* dicuntur **consecrationes**.

35.—Quid sit *exorcismus* quidque requiratur ut legitime proferatur in obsessos, in nostro Compendio Theologiae Mor. videri potest, *vol.* 1, *n.* 403, *c.* 4.° (edit. 8.ª).

Generatim dicendum est proferri tantum posse legitime a sacerdote qui ab Ordinario peculiarem et expressam licentiam obtinuerit; neque potest ad exorcismos procedere, nisi postquam diligenti prudentique investigatione compererit exorcizandum esse revera a daemone obsessum (*can.* 1151, §§ 1, 2).

Quaesita. — 1.um *Quibus benedictiones dari et in quos exorcismi fieri possint?*

Benedictiones, imprimis impertiendae *catholicis*, dari quoque possunt catechumenis, imo, nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam *acatholicis* ad obtinendum fidei lumen vel, *una cum illo*, corporis sanitatem (*can.* 1449).

Exorcismi a legitimis ministris fieri possunt non solum in fideles et catechumenos, sed etiam in acatholicos vel excommunicatos (*can.* 1152).

---

(1) Cfr. *Coppin-Stimart,* Sacrae liturgiae Comp., ed. 5.ª Tornaci, 1912, *n.* 727; *Mach-Ferreres, vol.* 2, *n.* 463; *Ojetti,* Synopsis, v. Benedictiones, *vol.* 1, *pag.* 386 *seq.*, ed. 3.ª

2.um *Res consecratae vel benedictae possuntne ad usum profanum vel non proprium adhiberi?*

Negative, quod attinet ad consecratas, vel benedictas *constitutiva* benedictione; sunt enim reverenter tractandae (*can.* 1150). *Affirmative*, si agitur de benedictis sola benedictione *invocativa.*

Non est profanus usus ille ad quem Sacramentalia destinantur, v. gr. panem benedictum tradere animalibus domesticis, si illis benedicitur, ut die Sancti Antonii mos est.

Neque peccatum videtur aquam benedictam bibere, *alia deficiente*, ad sitim exstinguendam, vel ad cubiculum collustrandum uti cereo benedicto, si alius deest. Cfr. *S. Alph.*, l. c., *n.* 34; *Pesch.*, l. c., *n.* 346.

ARTICULUS III

DE SACRIS OLEIS AD SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONEM INSERVIENTIBUS

36. **Eorum consecratio et custodia.** — *a*) Sacra olea quae quibusdam Sacramentis administrandis inserviunt, debent esse ab Episcopo benedicta feria V *in Coena Domini* (quae proxime antecedit tempus in quo adhibentur), neque adhiberi possunt vetera, *nisi necessitas urgeat* (*can.* 734, § 1).

Igitur quod olea non sint vetera sive annorum superiorum solum ad *liceitatem*, non ad *validitatem* Sacramentorum pertinet; nisi esset ita, nullo modo adhiberi possent, etiam necessitate urgente, v. gr. in Confirmatione aut in Extrema Unctione. Praeceptum tamen grave est.

b) Parochus olea sacra a *suo Ordinario* petere debet et *in ecclesia* in tuta ac decenti custodia sub clavi diligenter *asservare;* nec ea domi retinere, nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam, accedente Ordinarii licentia (*can.* 735).

37. — **Quaesita.** 1.um *Quae sunt olea in administrandis Sacramentis adhibenda?*

Tria sunt (quae omnia in eadem caeremonia benedicit Episcopus feria V *in Coena Domini*): oleum *infirmorum,* oleum *catechumenorum,* et *sanctum chrisma* sive oleum balsamo immixtum.

2.um *Quaenam horum oleorum in Sacramentis et in Sacramentalibus adhibeantur?*

1.° *Chrisma solum:* adhibetur *a*) *in Confirmatione; b*) *in consecratione Episcopi;* et *c*) in *consecratione calicis et patenae.*

2.° *Oleum catechumenorum solum:* adhibetur *a*) in *Ordine,* et *b*) in *consecratione regis.*

3.° *Oleum infirmorum solum:* adhibetur in *Extrema Unctione.*

4.° *Chrisma* et *oleum catechumenorum:* adhibentur *a*) in *Baptismo,*

b) in consecratione *ecclesiae* et *altaris,* et *c*) in benedictione *fontis baptismalis.*

In Baptismo oleum catechumenorum adhibetur ante collationem Baptismi ad catechumenos in pectore et inter scapulas inungendos; *chrisma* in caeremoniis, quae Baptismum subsequuntur.

5.° *Chrisma* et *oleum infirmorum:* in *solemni* benedictione *campanae* (chrisma pro unctione *interna,* oleum infirmorum pro *externa*).

Vide *Pontificale Romanum,* praesertim ubi de caeremoniis feriae V *in Coena Domini.* Cfr. *Deshayes,* Memento jur. eccles., *n.* 1694.

In Const. *Trans Oceanum* toti *Americae Latinae Insulisque Philippinis* concessum est ut possint usurpari sacra olea etiam vetera, sed tamen quorum vetustas quattuor annos minime excedat, neque sint corrupta, si omni adhibita diligentia, nova aut recentiora acquiri nequeant.

3.um *Quid faciendum, si praevidetur olea ante finem anni defutura?*

Mox defuturo oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adjici potest, etiam iterato, minore tamen copia (*can.* 734, § 2); etiamsi major sit in fine pars addita. Cfr. Conc. Plen. **Amer. lat.**, *n.* 570; Conc. **Manil.**, *n.* 674.

Attamen mos benedicendi partem sacrorum oleorum feria V *in Coena Domini* eamque cum non benedictis proxime commiscendi, non est tolerandus (S. R. C., 7 dec. 1844: *Decr. auth., n.* 2883; 28 jan. 1910: *Acta,* II, *pag.* 118).

PARS II

De locis et temporibus sacris

SECTIO I

DE LOCIS SACRIS

TITULUS PRAEVIUS

Notiones et principia generalia omnibus locis sacris communia

38. **Notio**. — *Loca sacra* ea sunt quae divino cultui fideliumve sepulturae deputantur consecratione vel benedictione (vide *n*. 34) quam probati liturgici libri ad hoc praescribunt (*can*. 1154).

39. **Cui competat eorum consecratio.** — *a*) Consecratio alicujus loci, quamquam ad regulares pertinentis, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus ipse reperitur, dummodo Ordinarius charactere episcopali sit insignitus.

b) Locum consecrare non potest Vicarius Generalis, etiamsi sit Episcopus, sine speciali mandato Ordinarii.

c) Manet jus firmum S. R. E. Cardinalium (licet non sint Episcopi), consecrandi ecclesiam et altaria sui tituli (*can*. 1155, § 1). Vide *can*. 239, § 1, 2.°, et *n*. 466, *vol*. 1.

d) Ordinarius territorii, licet charactere episcopali careat, ut Abbas vel Praelatus *nullius*, vel Vicarius Capitularis, potest cuilibet ejusdem ritus Episcopo licentiam dare consecrationes peragendi in suo territorio (*Ibid*., § 2).

40. **Jus benedicendi.** — Jus *benedicendi* locum sacrum, *a*) si hic pertineat ad clerum saecularem vel ad religionem *non exemptam*, vel ad laicalem (etiam exemptam), spectat ad Ordinarium territorii in quo locus reperitur; *b*) si ad religionem clericalem *exemptam* ad Superiorem majorem; uterque vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare (*can*. 1156).

Consensus Ordinarii necessitas. — Non obstante quolibet privilegio, nemo potest locum sacrum consecrare vel benedicere sine Ordinarii consensu (*can*. 1157), ne Cardinales quidem. Cfr.

can. 239, § 1, 20.° Ordinarius de quo hic agitur est loci Ordinarius, nisi templum pertineat ad religionem clericalem exemptam, quo in casu Ordinarius intelligitur Superior major, i. e. ille ad quem spectat jus consecrandi aut benedicendi ad normam can. 1156.

41. **Consecrationis aut benedictionis documentum.** — De peracta consecratione vel benedictione redigendum est documentum, cujus alterum exemplar in Curia episcopali, alterum in ecclesiae archivo servandum (*can.* 1158).

Probatio. — Consecratio vel benedictio alicujus loci, modo nemini damnum fiat, satis probatur etiam per unum testem omni exceptione majorem (*can.* 1159, § 1).

42. **Consecrationis et benedictionis iteratio.** — Si de ea legitime constet, nec consecratio nec benedictio iterari potest; in dubio autem, peragatur *ad cautelam* (*Ibid.*, § 2).

43. **Jurisdictio exclusiva Ecclesiae in loca sacra.** — Loca sacra exempta sunt a jurisdictione auctoritatis civilis et in eis legitima Ecclesiae auctoritas jurisdictionem suam libere exercet (*can.* 1160); i. e. independenter ab omni alia humana auctoritate. Ratio est, quia Ecclesia est societas ab omni civili auctoritate independens, ut probatum est in *vol.* 1, *nn.* 29-57.

TITULUS IX

De ecclesiis

CAPUT I

NOTIONES PRAEVIAE

44. **Notio.** — *Ecclesiae* nomine intelligitur aedes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in finem ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum (*can.* 1161).

Quid inter ecclesiam et oratorium intersit inferius indicatur (*n.* 94 *seq.*).

45. **Diversa nomina quibus designatae sunt.** — *a*) Antiquitus frequens fuit ipsas ecclesias **oratoria** appellare (graece εὐκτήρια, προσευκτήρια, οἶκος εὐκτήριος). Vide *Migne,* P. G., *vol.* 20, *col.* 847, 1108, 1109, 1429; *vol.* 67, *col.* 128, 948, etc. Ab ipso Christo templum Hierosolymorum oratorium, *domus orationis* (οἶκος εὐκτήριος), vocatum est.

b) Antiquior etiam est vox *dominicum* (domus Domini), graece κυριακή,

ad ecclesiam designandam. Vide *Migne*, P. L., *vol.* 4, *col.* 613; *vol.* 21, *col.* 470; *vol.* 27, *col.* 677; P. G., *vol.* 20, *col.* 833.

c) Dictae sunt etiam **basilicae** (i. e. *domus regiae,* a βασιλεύς, rex). S. Isidorus ita hanc denominationem exponit: «Ideo divina templa *basilicae* nominantur, quia ibi *Regi* omnium Deo cultus et sacrificia offeruntur.» Etymol. *lib.* 15, *c.* 4; *Migne,* P. L. *vol.* 82, *col.* 545.

Basilicae apud ethnicos erant ampla aedificia et publica, in easque conveniebant negotiatores vendendi emendive causa, ibique plurima judiciorum genera exercebantur. Quoniam autem in ecclesias magnae conveniebant multitudines et quoniam basilicae aliquae a christianis emptae in ecclesias convertebantur et a Constantino praesertim mutatae sunt, nomen basilica frequentius adhibitum est ad ecclesias designandas. Cfr. *Migne,* P. L. *vol.* 16, *col.* 995 *seq.*, 1007, 1107, etc.; *Ferreres,* Los Oratorios, *n.* 42.

d) Vox *templum* (ναός) ad ecclesiam significandam a christianis non est usurpata nisi inde a quarto saeculo, ut non praeberetur ansa ad christianas ecclesias cum ethnicis templis confundendas. Ethnica superstitione devicta, hoc nomen apud christianos invaluit (Cfr. *Migne,* P. L. *vol.* 6, *col.* 563, *vol.* 16, *col.* 994; P. G., *vol.* 20, *col.* 845, 848), quod aliunde a S. Scriptura adhibitum fuerat, ut Hierosolymorum templum (*Matth., c.* 23, *v.* 16 *seq.*, 35; *c.* 27, *v.* 40; *Joann., c.* 2, *v.* 19 *seq.*) itemque Christi Domini designaretur corpus (*Joann.,* l. c., *v.* 21).

e) Omnium antiquissimum fuit nomen *ecclesia,* quod, si etymon spectes, sonat *congregationem, frequentiam, coetum,* quodque deinde translatum est ad significandum locum, quo christiani conveniebant. Vide S. Paulum, I *Cor, c.* 11, *v.* 22; *Migne,* P. L. *vol.* 2, *col.* 907, 987; *Martigni,* Diction. antiquitatum christ., v. Basilica; *Many,* De locis sacris, *n.* 2 *seq.* (Parisiis, 1904); *Ferreres,* l. c., *nn.* 44, 45.

CAPUT II

DE ECCLESIARUM AEDIFICATIONE

46. **Quae requirantur ad ecclesiae aedificationem.** — I. Nulla ecclesia aedificari potest sine expresso Ordinarii loci consensu scriptis dato, quem tamen Vicarius Generalis praestare nequit sine mandato speciali (*can.* 1162, § 1).

II. Ordinarius consensum praebere nequit, nisi prudenter praeviderit necessaria non defutura ad novae ecclesiae aedificationem et conservationem, ad ministrorum sustentationem aliasque cultus impensas (*Ibid.*, § 2).

III. Non est concedenda licentia, si nova ecclesia ceteris jam exsistentibus detrimentum afferat, majore fidelium spirituali utilitate non compensatum (*Ibid.*, § 3). Ad hoc vitandum, Ordinarius, antequam consensum praebeat, audire debet vicinarum ecclesiarum rectores quorum intersit (*Ibid.*, § 3), firmo praescripto can. 1676 (de quo agetur in libro IV), quo ei qui timet damnum sibi obventurum conceditur aditus ad judicem, ut novum opus interrumpatur, donec jura, judicis sententia, definiantur (*Ibid.*).

IV. Sodales religiosi, licet consensum constituendae novae domus (et idcirco novae ecclesiae vel publici oratorii domui adnexi),

(vide can. 497, § 2, et *vol.* 1, *n.* 802, III) in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci retulerint, antequam tamen ecclesiam vel oratorium publicum in certo ac determinato loco aedificent, Ordinarii loci licentiam obtinere debent (*Ibid.*, § 4).

47. **Doctrinae praecedentis explicatio.** — *a*) Praescriptio § 3 confirmat antiquam disciplinam, praesertim capitis 1 libri V, tit. 32 Decretalium, ubi praecipitur ne qua ecclesia in praejudicium alterius construatur. Quare dictio *praejudicium* eodem sensu est interpretanda quo ab antiquis exponebatur, ad genus praejudicii de quo agitur cognoscendum. Hanc doctrinam luculenter tractat *Bouix*, De Jure Regularium, *p.* 2, *cap.* 4, § 3, *q.* 2.ª, *pag.* 291 *seq.* (Parisiis, 1867); *Craisson*, Manuale Jur. can., *vol.* 2, *n.* 2258 *seq.*, *pag.* 444 *seq.* (Pictavii, 1880).

b) Distinguendum est inter praejudicia *stricte talia* quae originem ducunt a *jurium* strictorum *violatione*, et praejudicia *improprie talia*, quae posita sunt in *imminutione emolumentorum*, ad quae jus strictum non habetur.

c) Praejudicia *proprie* talia sunt parocho ea omnia quae ex ejus strictorum jurium paroecialium violatione oriuntur, v. gr. concessio novae ecclesiae facta ab Episcopo juris sepulturae sine quartae funebris solutione, assistendi matrimoniis, baptizandi in ea paroecianorum filios sine parochi licentia, etc. Praejudicia *improprie* talia sunt quae enascuntur ex concursu fidelium ad novum templum et proinde ex minore frequentia ad paroeciam, quo voluntariae fidelium eleemosynae minuantur solemnitatesque votivae in eo celebrentur quae secus in paroecia fierent, etc.

48. — In priore casu parochus novae aedificationi opponi poterit ex can. 1162, sicut antea poterat ex citato capite Decretalium; contra in posteriore, nisi nullam assignationem habuerit et ex solis fidelium voluntariis largitionibus seu oblationibus se sustentet (1).

49. — Si nova ecclesia praejudicia stricte dicta inferat, applicationi alterius partis locus est; quare videndum num detrimenta majore fidelium spirituali utilitate sint compensata, sic enim jus adest novo templo exstruendo, ut evenit cum paroecia in duas dividitur.

50. **Benedictio lapidis auspicalis.** — Cum novum templum incipit aedificari, benedicendus est primarius lapis et imponendus. Jus hujus benedictionis et impositionis spectat ad Ordinarium loci aut ad Superiorem de quo in can. 1156, quorum uterque hoc

---

(1) Vide etiam Card. *Petra* ad Const. Paschalis II, *sect.* 2, *n.* 20, *vol.* 1, *pag.* 226 (Venetiis, 1729); *Pallottini,* Collect. omn. conclus. et resol. S. C. C., *vol.* 8, v. Ecclesia in genere, § 1, *pag.* 190; Thesaur. Res. S. C. C., *vol.* 41, *pag.* 303; *Monacelli,* Formularium legale practicum, *p.* 1, *tit.* VI, *form.* 10, *n.* 15. Cfr. *Ferreres* in *Razón y Fe, vol.* 39, *pag.* 237, 238.

per se vel per delegatum facere potest, ut ibi dictum est (*can.* 1163). Vide *n.* 40.

Confirmat haec praescriptio antiquam disciplinam praescriptumque Pontificalis Romani in parte secunda sub titulo *De benedictione et impositione primarii lapidis pro ecclesia aedificanda*, ubi ritus et caeremoniae servandae exponuntur. Vide edit. primam post typicam, Ratisbonae, 1891, *pag.* 117 *seq.* Primarius hic lapis «quadratus et angularis» esse debet, qui Christum Dominum refert, qui saepius in S. Scriptura vocatur petra angularis Ecclesiae.

51. **Forma ecclesiae**. — Curare debent Ordinarii, audito etiam, si opus fuerit, peritorum consilio, ut in ecclesiarum aedificatione vel refectione serventur formae a traditione christiana receptae et artis sacrae leges (*can.* 1164, § 1).

Non minor fortasse habenda est ratio de refectione seu reparatione, quam de aedificatione; per illam enim artis christianae monumenta saepe deturpata sunt.

52. **Aditus et fenestrae**. — I. In ecclesia nullus est aperiendus aditus vel fenestra (tribuna, etc.) ad laicorum domus (*Ibid.*, § 2). Tribunae igitur quae templa respiciunt, ut in antiqua disciplina, prohibentur, ad quas exstruendas dispensatio pontificia requiritur. Vide *Ferreres*, Los Oratorios, *nn.* 377, 378.

II. Neque moniales tribunas habere possunt in ecclesiis non propriis (S. C. Episc. et Reg., *Civit. Castelli,* 22 augusti 1815); sed in propriis habere possunt de licentia Episcopi (S. R. C., 16 april. 1842, apud *Gardellini, n.* 4940). — Tribunam habere possunt parochus (S. C. C., 10 mart. 1663) et Episcopus (19 jun. 1604, *n.* 166). Cfr. *Mach-Ferreres, vol.* 2, *n.* 418 ad calcem.

53. **Loca subterranea aut superiora**. — Loca, si adsunt, subter ecclesiae pavimentum aut supra ecclesiam ad usum mere profanum non possunt adhiberi (*can.* 1164, § 2), v. gr. ad ibi habitandum; possunt tamen ad utensilia servanda quae templo sunt usui. Vide *Mach-Ferreres, vol.* 2, *n.* 418.

CAPUT III

DE ECCLESIARUM CONSECRATIONE ET BENEDICTIONE

54. I. **Necessitas consecrationis aut benedictionis ecclesiarum**. — Divina officia celebrari in nova ecclesia non possunt, antequam eadem vel solemni consecratione vel saltem benedictione divino cultui fuerit dedicata (*can.* 1165, § 1).

II. **Quae non possint consecrari neque benedici**. — Si prudenter praevideatur ecclesiam conversum iri ad usus profanos,

Ordinarius consensum ejus aedificationi ne praebeat, aut saltem, si forte aedificata fuerit, eam ne consecret neve benedicat (*Ibid.*, § 2).

Ratio est, quia tam consecratio quam haec benedictio *constitutivae* sunt (*n.* 34) remque sacram reddunt natura sua perpetuo. Cfr. *Mach-Ferreres, vol.* 2, *n.* 419.

55. III. **Quae consecrandae, quae solum benedicendae.** — *a*) Solemni consecratione dedicandae sunt ecclesiae cathedrales et, quantum fieri potest, ecclesiae collegiatae, conventuales, paroeciales (*Ibid.*, § 3).

Hoc non impedit quominus etiam aliae ecclesiae, oratoria publica et semipublica consecrari *possint*, quamvis nulla detur obligatio id faciendi.

b) Ecclesia *ex ligno* vel *ferro* aliove metallo *benedici* potest, non autem *consecrari* (*Ibid.*, § 4), etiamsi interius exteriusque apprime sit ornata (S. R. C., 11 april. 1902: *Decr. auth.*, *n.* 4094).

c) Possunt tamen *consecrari* ecclesiae factae ex *cemento* quod vulgo *armatum* dicitur, dummodo locus duodecim crucium et postes januae praecipuae sint lapidei (12 nov. 1909, *n.* 4240). Cfr. *Mach-Ferreres, vol.* 2, *n.* 419 in fine.

56. **Altarium consecratio relate ad consecrationem ecclesiae.** — Altare consecrari *potest* (vide infra, *n.* 108) etiam sine ecclesiae consecratione; sed una simul cum ecclesia debet saltem altare majus consecrari aut altare secundarium, si majus sit jam consecratum (*can.* 1165, § 5). Ratio est, quia ecclesia est propter altare, quod Christum refert, qui altare et victima est Cfr. S. R. C., 2 aug. 1854: *Decr. auth.*, *n.* 3025.

Si omnia essent consecrata, unum *exsecrandum esset.* Ecclesiae consecratio sine ullius altaris consecratione *valida* esset sed *illicita*, nisi dispensatio apostolica haberetur (S. R. C., 19 maj. 1896: *Decr. auth.*, *n.* 3907). Cfr. *Ferreres*, El Breviario y las nuevas Rúbricas, *vol.* 2, *nn.* 372, 373; *Mach-Ferreres, vol.* 2, *n.* 420.

57. **Consecrationis dies**. — Ecclesiarum consecratio, quamvis quolibet die fieri possit, decentius tamen diebus dominicis aliisve festis de praecepto peragitur (*can.* 1166, § 1).

58. **Jejunium**. — *Episcopus consecrans et qui petunt* ecclesiam *sibi* consecrari, per eum diem qui consecrationem praecedit, jejunare debent (*Ibid.*, § 2). Hoc jejunium stricte obligat (1).

59. **Indulgentiae.** — Cum consecratur ecclesia vel altare (fixum), Episcopus consecrator, licet jurisdictione in territorio careat (et quamvis titularis tantum sit), indulgentiam concedit unius anni ecclesiam vel altare visitantibus in ipsa consecrationis die; in

---

(1) S. R. C., 29 jul. 1780, *n.* 2519; 12 sept. 1840, *n.* 2821; S. C. C., 3 jul. 1909: *Acta A. Sedis*, I, *pag.* 623. Cfr. *Mach-Ferreres, vol.* 2, *n.* 422.

die vero anniversaria quinquaginta dierum, si sit Episcopus; centum, si Archiepiscopus; biscentum, si S. R. E. Cardinalis (*Ibid.*, § 3).

60. **Anniversaria solemnitas consecrationis ecclesiae.** — *a*) Festum consecrationis ecclesiae *quotannis* celebrandum est ad normam legum liturgicarum (*can.* 1167).

b) Festum hoc non est praecepti a populo servandi, ita ut abstinere debeat a servilibus operibus et Missam audire; sed solum est festum liturgicum, quod spectat ad officium recitandum ab iis qui ad illud obligantur et ad Missam ab illis eo die celebrandam, etc. Pertinet haec materia ad liturgiae scholam. Vide *Ferreres,* El Breviario y las nuevas Rúbricas, *vol.* 2, *nn.* 117-134, 222, 333 *seq.,* 343.

Hoc festum consecrationis solum potest debetque celebrari in ecclesiis *consecratis,* non in *benedictis.*

61. **Primae ecclesiae.** — *a*) Primum christifideles in cenacula et alia loca privatarum domorum congregabantur, quae pedetentim mutata sunt in sacra oratoria ecclesiasve domesticas (1).

Serius Romae et alibi congregabantur in catacumbas aut subterranea coemeteria, prope martyrum sepulcra (2).

Sed instante persecutione, quo poterant christiani congregabantur; et quilibet locus, etiam navis, stabulum, carcer, erat eis pro templo ad sanctum sacrificium offerendum (*Ferreres,* Los Oratorios, *n.* 69).

b) Super martyrum sepulcra prima templa sub dio sunt exaedificata, ara posita super martyris sepulcrum quod erat in crypta aut loco subterraneo. Haec altaria *confessiones* dicebantur, ut constat ex basilica S. Petri in Vaticano, S. Pauli in via Ostiensi, SS. Laurentii, Agnetis, Petronillae, etc. Cfr. *Martigni,* l. c., v. Confesión; *Marucchi,* Catacombe romane, *pag.* 36 *seq.,* 606 *seq.* (Romae, 1903): *Grisar,* Analecta romana, *vol.* I, *pag.* 259 *seq.*

Deinde templa sunt etiam constructa ubi martyrum sepulcra non erant, at in haec templa sanctorum martyrum corpora inferebantur. *Ferreres,* l. c., *nn.* 71, 72. Vide *infra*, *n.* 115.

c) Quod cum fiebat, celebritas dedicationis ecclesiae duo complectebatur: 1.um solemnem reliquiarum translationem, quae fieri cum maxima pompa solebat eratque quasi acceptio ecclesiae a martyre; 2.um solemnis templi consecratio. *Duchesne,* Origines du culte chrétien, *pag.* 410 (Parisiis, 1909); *Ferreres,* l. c., *n.* 74.

Martyrum corpora subter altaris mensam deponi solebant; utque possent christifideles pia objecta capsae reliquiarum applicare, in altaris frontale certi cancelli collocabantur. Cfr. *Leclercq,* apud *Cabrol,* Dictionn. d'Archéol. chrét. et de Liturg., *vol.* I, *col.* 3169, v. Autel. *Ibid., n.* 76.

d) Serius ecclesiae etiam super sanctorum confessorum sepulcra constructae sunt. Cfr. *Catalani,* Pontificale Romanum; *Mangenot,* l. c., *col.* 2580.

e) His traditionibus mos Ecclesiae innititur in altaribus, oratoriis publicis ac semipublicis aliisque templis consecrandis, ut inferius videbitur. *Ibid.*, *nn.* 78, 79.

---

(1) *Actus Apostolorum, c.* 1, *v.* 13; *c.* 20, *v.* 8. Vide *Duchesne*, Origines du culte chrétien, *c.* 12, § 1, *pag.* 406 *seq.* (Parisiis, 1909).

(2) Cfr. *Many,* De locis sacris, *n.* 1 *seq.; Mangenot,* in Dict. de Théologie, v. Autel; *Leclerq,* in Dict. d'Archéologie, v. Autel., *col.* 3, 164 *seq.; Martigni,* l. c., v. Catacumbas; *Marucchi,* Catacombe romane, *pag.* 7 *seq.* (Roma, 1903); *Ferreres,* Los Oratorios, *nn.* 66, 67.

62. **Natura consecrationis ecclesiarum**. — Essentia consecrationis ecclesiae (aut oratorii) consistit in ungendis cum sacro chrismate duodecim crucibus depictis (aut marmoreis) in templi parietibus vel columnis (1), in proferendisque verbis a Pontificale praescriptis et pronuntiandis in unctione uniuscujusque crucis: « *Sancti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur hoc templum. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, in honorem Dei, et gloriosae Virginis Mariae, atque omnium Sanctorum, ad nomen, et memoriam Sancti N. Pax tibi.* » Cfr. *Pontif. Rom.*, De Ecclesiae Dedicatione seu Consecratione (Ratisbonae, 1891, *pag.* 154).

Ita S. Rit. Congregatio declaravit 12 aprilis 1614: *Decr. auth.*, *n.* 319. Cfr. *Ferreres*, Los Oratorios, *nn.* 232, 233.

63. — Pridie diei consecrationis reliquiae a consecratore parandae sunt quae consecrando altari inservire debent, eas collocando in vasculo signato, quod in loco honesto et mundo deponendum est, ut Pontificale praescribit. Ante illas vigiliae sunt celebrandae, et Nocturni Matutini et Laudes canenda in honorem Sanctorum quorum reliquiae sunt in altari deponendae.

64.—Die 18 aug. 1913 S. Rit. Congregatio declaravit Nocturnos et Laudes quae sunt noctu ante reliquias canenda: *a*) esse non ex novo Psalterio sed ex *Communi plurimorum Martyrum* desumenda; *b*) celebranda esse ritu duplici; *c*) orationem recitandam eam esse quae tertio loco ponitur, *Deus qui nos,* at nominibus et voce *annua* omissa. Cfr. *Ferreres,* El Breviario, *vol.* 2, *n.* 365 *seq.*

Officium esse ex *Communi pl. Martyrum* desumendum jam clare patet ex novo Pontificale; canitur enim in honorem Sanctorum, quorum reliquiae sunt; hae autem esse debent aliquorum SS. Martyrum, sicuti indicatur in scheda scripta quam Pontifex consecrans in vasculo reliquiarum ponit (2). *Ferreres,* l. c., *n.* 371.

CAPUT IV

DE TITULO ECCLESIARUM

65. **Principia generalia**. — I. Unaquaeque ecclesia consecrata vel benedicta suum habere debet *titulum* (*can.* 1168, § 1).

---

(1) Supra has cruces aut infra clavus figitur aut candelabrum ad cereum qui debet ardere anniversario die consecrationis. Cfr. Pontif., l. c.; *Mach-Ferreres, n.* 421.

(2) Sane sero ante diem Dedicationis, Pontifex parat reliquias in altari consecrando includendas, ponens eas in decenti et mundo vasculo, cum tribus granis thuris; ponit etiam in eo chartulam de pergameno, scriptam sub hac forma:

MDCCC. etc... die N. mensis N. Ego N. Episcopus N. consecravi Ecclesiam et altare hoc, in honorem Sancti N. et reliquias Sanctorum Martyrum N. et N. in eo inclusi, et singulis Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversario Consecrationis hujusmodi ipsam visitantibus quadraginta [quinquaginta] dies de vera Indulgentia, in forma Ecclesiae consueta concessi.

Sigillans ipsum vasculum diligenter, et illud in honesto et mundo loco, vel sub tentorio ante fores Ecclesiae consecrandae parato ponens, et super ornatum feretrum decenter collocans, cum duobus candelabris et luminaribus ardentibus. (Pontificale Romanum Summorum Pontificum jussu editum, a Benedicto XIV, et Leone XIII Pont. Max. recognitum et castigatum. Ratisbonae, 1891, *pag.* 124). Cfr. *Ferreres,* l. c., *n.* 367.

II. Titulus, peracta ecclesiae dedicatione, mutari nequit (*Ibid.*).

III. Ecclesiae dedicari Beatis nequeunt sine Sedis Apostolicae indulto (*Ibid.*, § 3).

IV. Etiam festum tituli quotannis est celebrandum ad normas legum liturgicarum (*Ibid.*, § 2).

66. **Quid tituli nomine intelligendum.** — Titulus dicitur Sanctus aut mysterium in cujus honorem oratorium templumve aedificatum, benedictum aut dedicatum est (S. R. C., 14 jan. 1897).

Cum titulus est aliquis Sanctus, Patronus etiam solet appellari; non ita, si mysterium est. Cfr. *Ferreres*, Los Oratorios, *n.* 252.

67. **Quando constituitur**. — Titulus jam eligitur cum lapis auspicalis collocatur, sed reapse non constituitur, nisi cum ecclesia consecrata est aut benedicta. Vocatur titulus, quia ab eo ecclesia nominatur.

Tituli illegitimi. — Si ecclesia sine Sedis Apostolicae indulto Beato dedicaretur, hic titulus alio substituendus esset (S. R. C., 23 jan. 1740: *Decr. auth.*, *n.* 2363).

Ecclesias dedicari Sanctis Veteris Testamenti jam non permittitur; potest tamen servari titulus dedicatarum (3 aug. 1697, *n.* 1978). Cfr. *Mach-Ferreres*, *n.* 426.

N. B. Quod dictum est de festo Dedicationis intellige de festo tituli, quotannis celebrando ad normas legum liturgicarum, non vero a fidelibus servando. De hoc festo vide *Ferreres*, El Breviario y las nuevas Rúbricas, *vol.* 2, *nn.* 117, 125 *seq.*, 337 *seq.*, 350 *seq.*

CAPUT V

DE CAMPANIS

68. **Principia generalia**. — I. Cuilibet ecclesiae campanas esse convenit, quibus fideles ad divina officia aliosque religionis actus invitentur (*can.* 1169, § 1).

Convenit ut non tantum ecclesiae campanas habeant, sed publica etiam oratoria, quae illis aequiparantur ex can. 1191, § 1.

Privata oratoria campanas habere nequeunt (Decretal., *lib.* 5, *tit.* 33, *c.* 10); at semipublica habere possunt *campanile cum campana* (S. R. C., 13 jun. 1893 ad 5: *Decr. auth., n.* 3801. S. C. C., 27 jun. 1744 *in Nullius seu Nonantulana*. Cfr. *Pallotini,* Collect. Resol. S. C. C., *vol.* 16, *pag.* 671, *nn.* 3 *seq.*) Cfr. *Ferreres,* Las Campanas, su historia, etc., *n.* 146, *N. B.*

De usu atque origine campanarum in diversis populis vide *Ferreres,* l. c., *nn.* 1-63.

II. Etiam ecclesiarum campanae debent consecrari vel benedici secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos (*can.* 1169, § 2).

69. **Quaenam et quando benedicendae.** — In primis animadvertendum benedici non debere neque solere, nisi eas campanas quae in campanile collocantur aut alibi *fixae* sunt. Cfr. *Ferreres*, Las Campanas, *n.* 78.

Et sunt benedicendae antequam in campanile collocentur: «Signum vel campana debet benedici antequam ponatur in campanile». (*Pontificale Romanum*, *p.* 2, *tit.* De benedictione signi vel campanae: in edit. Ratisbonensi, 1891, *pag.* 212 *seq.*)

Haec Pontificalis praescriptio strictam obligationem imponit, quae a Codice confirmatur.

Potest Episcopus prohibere quominus ad *sacros* usus eae pulsentur quae Pontificalis benedictione non sunt benedictae, aut ea saltem quae nuper approbata est.

Jubere potest e campanile tolli non benedictas, licet sint in ecclesiis regularium ab ejus jurisdictione exemptorum (1).

70. **Diversae campanarum benedictiones.** — Tres sunt formulae a S. Rituum Congregatione approbatae ad benedictionem campanarum.

Ex his tribus duae solum propriae sunt campanarum ad *usum sacrum* destinatarum; tertia est campanae quae usui *profano* inservit.

I. **Consecratio et benedictio campanarum.** — Ad campanarum consecrationem et benedictionem quod attinet servandum est praescriptum canonum 1155, 1156 (*can.* 1169, § 5). Vide *nn.* 39 et 40.

a). **Consecratio.** — Ex tribus formulis, de quibus in initio hujus numeri, prima antiquissima et valde solemnis est; vera est *consecratio* (vide *n.* 34); ecclesiae consecrationi aequiparari potest, inveniturque in Pontificale Romano, *p.* 2, sub titulo *De benedictione signi vel campanae* (Ratisbonae, 1891, ed. 2 post typicam, *pag.* 212 *seq.*).

Haec antiqua benedictio solum ab Ordinario loci fieri potest, si est Episcopus, etiamque alius Episcopus ab ipso delegatus (Cfr. *nn.* 33, 39, et *Catalani*, Pontificale, *vol.* 2, *pag.* 493 *seq.*). Simplex sacerdos eam facere potest a Papa delegatus, non a solo Episcopo (S. R. C., 19 april. 1687, 16 maji 1744, 9 maji 1857: *Decr. auth.*, *nn.* 1781, 2377, 3042; *Bened. XIV*, l. c.). *Ferreres*, l. c., *nn.* 81, 82.

Cum simplex sacerdos delegatur, non potest uti nisi aqua ab Episcopo benedicta (S. R. C., 20 febr. 1862, 3 aug. 1862: apud *Mach*, Tesoro del Sacerdote, *n.* 492, admon.). *Ferreres*, l. c., *n.* 85. Vide praeterea *nn.* 83-100.

---

(1) S. C. Episc. et Reg., 17 jan. 1614; *Bened. XIV*, Inst. 47, § 4; *Ferraris*, v. Campana, *n.* 6; *De Herdt*, Sacrae lit. prax., *vol.* 3, *n.* 137; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 521; *Ferreres*, l. c., *nn.* 79, 80.

b) **Benedictio constitutiva**. — Altera benedictio, quae est in Appendice Ritualis Romani (edit. typica, *pag.* 78) et 22 jan. 1908 approbata est (vide *Ferreres*, l. c., *n.* 101 *seq.*), potest fieri ab Ordinario (in religionibus clericalibus exemptis a Superiore majore) per se vel per delegatum sacerdotem, ad eam enim privilegium apostolicum non requiritur; sufficit vero aqua benedicta communi benedictione. *Ferreres*, *n.* 101.

Ut benedictio constitutiva cum *ecclesiarum benedictione* quamdam habet analogiam, sic antiqua cum ipsarum consecratione. Idcirco notat citatum decretum anni 1908 omni diligentia esse curandum, si ecclesiae sint consecratae, ut illarum campanae antiqua et solemniore formula benedicantur (*Ibid.*, *n.* 103). Vide praeterea *nn.* 104-136.

II, **Benedictio invocativa signorum sive campanarum**.— Die 4 mart. 1892 a S. Rituum Congregatione approbata est benedictio propria signorum usui profano inservientium, quae solum *invocativa* est. Vide *n.* 34.

Nulla est obligatio has campanas benedicendi; quae si tamen benedicuntur, non fiunt res sacra; ita neque sacra fiunt via ferrea, telegraphus, navis, cum hac formula benedicuntur; quod contra est in campanis alterutra superiorum formularum benedictis. Vide *n.* 34.

Haec benedictio, etsi invocativa, est Episcopi, qui ad eam potest sacerdotem delegare. Vide *Ferreres*, l. c., *n.* 118 *seq.*

71. **Campanarum usus ab Ecclesia dependet**. — Campanarum usus *a*) unice subest ecclesiasticae auctoritati (*can.* 1169 § 3), et *b*) salvis condicionibus, probante Ordinario, appositis ab illis qui campanam ecclesiae forte dederint, campana benedicta ad usus mere profanos adhiberi nequit, nisi ex causa necessitatis aut ex licentia Ordinarii aut denique ex legitima consuetudine (*Ibid.*, § 4).

a) Campanae antiqua benedictione *consecrativa* aut altera *constitutiva* benedictae sunt *res sacra;* unde a sola Ecclesia pendent, debentque ad usus sacros adhiberi, non ad usus illis contrarios; ut esset si ad haereticorum aut infidelium sepulturam, ad victoriam hotium Ecclesiae celebrandam pulsarentur.

b) Neque pulsari possunt ob causas quas sanguinis effusio consequatur (1).

c) Neque ad usus non sacros aut illis contrarios sine licentia Episcopi, v. gr. in adventu domini in suum locum (2).

---

(1) S. C. Episc. et Reg., 3 jan. 1559, 31 jan. et 18 mart. 1581, 29 jul. 1616; *Ferraris*, l. c., *nn.* 2, 26, 27; v. gr. ad convocandum ad capite damnati exsecutionem, ad bellicam pugnam, etc., etsi possunt pulsari pro reo jam ultimo supplicio afficiendo, ut preces Deo O. M. pro ipso effundantur.

(2) S. R. C., 10 jul. 1638, 19 feb. 1639: *Decr. auth.*, *nn.* 644-666; S. C. Conc. *in Terracin.* 21 aug. 1748. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 137 *seq.*

d) Eadem cum licentia pulsari possunt ad *usum caritativum* sive *beneficum*, ut ad signum dandum in principio et in fine laboris mercenariorum, ad horam scholae a pueris adeundae, ad incendia significanda, ad auxilium contra fures petendum, in periculo inundationis, etc. (S. C. Episc. et Reg., 3 jan. 1559).

72. **Dominium in campanas et in campanilia ex jure canonico et legibus hispanis.** — Caret fundamento et ridiculum est quod nonnulla **Hispaniae** municipia contendunt, sc. ut sibi dominium nescio quod auctoritatemque sibi arrogent in aera campana et campanilia paroeciarum.

a) Nam hae campanae omnes antiqua solemnique consecrativa benedictione sunt benedictae; quare res sacrae sunt charactere perpetuo, ad usumque sacrum et publicum destinatae; omnes et erant et sunt sub dominio et proprietate Ecclesiae, earumque usus ab Ordinarii auctoritate pendet. Vide *Ferreres,* l. c., *nn.* 147-154. Cum haec sibi volunt municipia, qua ratione innituntur? Nulla prorsus, nisi mera usurpatione per vim facta, quae nunquam poterit praescribere; municipia enim, quae communitates sunt civiles, omni capacitate carent ad *jurisdictionem* in res sacras et publicas acquirendam; quare nullam unquam praescriptionem allegare poterunt. Cfr. *Wernz,* Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 299.

b) Praeterea nunquam Ecclesia campanarum proprietatem Statui cessit, nedum municipio; ex articulo autem 43 Juris Concordati «todo lo demás perteneciente a personas o cosas eclesiásticas sobre las que no se provee en el Concordato, será dirigido y administrado según la disciplina de la Iglesia canónicamente vigente».

Jam vero disciplina ecclesiastica canonica vigens prohibet ne campanae ad usum sacrum benedictae in re profana sine Episcopi licentia adhibeantur, docetque personas coetusque civiles possidere non posse res sacras et publicas, quales campanae sunt.

c) Aliunde art. 60 legis quae dicitur *Convenio-ley* 4 april. 1860 declarat expresse Ecclesiam esse, tanquam proprietariam, conservaturam omnia aedificia quae nunc inserviunt cultui; sed cultui inserviunt campanae, quae semper habitae sunt ut pars integrans ecclesiarum.

Itaque in Hispania non solum in tribunali ecclesiastico verum etiam in civili erunt semper condemnanda quotquot municipia jurisdictionem sive privativam sive cumulativam in ecclesiarum campanas vel campanilia sibi velint arrogari.

d) Quod poterunt municipia unice intendere, jus erit *precarium* ad eas pulsandas, Episcopo acquiescente, in quibusdam adjunctis re sacra non indignis, ut ad horas signandas diei aut laboris, etc. Vide *Ferreres,* l. c., *nn.* 330-369.

CAPUT VI

DE EXSECRATIONE ET VIOLATIONE ECCLESIARUM

ARTICULUS I

DE ECCLESIARUM EXSECRATIONE

73. **Quando ecclesia consecrationem aut benedictionem amittit?** — Consecrationem vel benedictionem ecclesia non amittit,

nisi *tota* destructa fuerit, vel *major* parietum *pars* corruerit, vel in usus *profanos* ab *Ordiario loci* redacta sit, ad normam can. 1187 (*can.* 1170).

Amissio *consecrationis* aut *benedictionis* **exsecratio** dicitur.

74. **Quando non amittit?**—Non igitur ecclesia (aut oratorium) consecrationem amittit aut benedictionem, licet tota exterior parietum dealbatio et loricatio tollatur, iterumque parietes loricentur, pingantur vel incrustentur.

Neque amittit, *a*) quamvis corruat aut destruatur parietum pars, *non* tamen *major*, et denuo construatur; etiamsi in successivis *minorum partium* reparationibus tota reficiatur; *b*) etiamsi cruces consecratae deleantur, quae erunt iterum pingendae; *c*) hominumve vi aut malitia ad profanos usus destinetur (1). Cfr. *Ferreres*, Los Oratorios, *n*. 237.

Ratio est, quia effectus consecrationis et benedictionis est moralis et institutionis ecclesiasticae, remanetque ratione et modo quo Ecclesia decernit.

Ecclesia exsecrata inepta manet ritibus aut solemnitatibus sacris in ea peragendis; opus est igitur nova consecratione aut benedictione.

75. **Jura ecclesiae benedictae aut consecratae.**—I. In sacra aede legitime dedicata omnes ecclesiastici ritus perfici possunt, salvis juribus paroecialibus, privilegiis et legitimis consuetudinibus (*can.* 1171).

II. Ordinarius autem, praesertim horas sacrorum rituum, potest, justa de causa, praefinire, dummodo ne agatur de ecclesia quae ad religionem exemptam pertineat, firmo praescripto can. 609, § 3 (*Ibid.*), in quo jubentur Superiores advigilare ne divinorum officiorum in propriis ecclesiis celebratio catecheticae instructioni aut Evangelii explanationi in ecclesia paroeciali tradendae nocumentum afferat. Hujus autem rei judicium ad loci Ordinarium pertinet. Vide *vol.* I, *n*. 901, V.

ARTICULUS II

DE VIOLATIONE ECCLESIARUM

76. **Quando ecclesia violatur.** — I. Ecclesia *violatur* infra recensitis tantum actibus, dummodo *certi* sint, *notorii*, et *in ipsa ecclesia* positi: 1.° delicto homicidii; 2.° injuriosa et gravi sangui-

---

(1) Cfr. S. R. C., 19 sept. 1859, 20 febr. 1874, 4 sept. 1875, 5 maj. 1882, 30 jul. 1883, 16 jan. 1886, 19 maj. 1896, 4 febr. 1898: *Decr. auth., nn.* 3091, 3326, 3372, 3545, 3584, 3651, 3907, 3978; *Many,* De Missa, *n.* 27; *Mach-Ferreres, n.* 340.

nis effusione; 3.° impiis vel sordidis usibus, quibus ecclesia addicta fuerit; 4.° sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (*can.* 1172, § 1).

II. Violata ecclesia, non ideo coemeterium, etsi contiguum, violatum censetur, et viceversa (*Ibid.*, § 2). Mutatur in hoc antiqua disciplina, ex qua, violato templo, coemeterium contiguum violabatur.

77. **Violationis effectus**. — In violata ecclesia, antequam reconcilietur, nefas est divina celebrare officia, Sacramenta ministrare, mortuos sepelire (*can.* 1173, § 1).

Si violatio accidat tempore divinorum officiorum, haec statim cessare debent; si ante Missae canonem vel post communionem, Missa dimittatur; secus sacerdos Missam prosequatur usque ad communionem (*Ibid.*, § 2).

Missae canon incipit simul ac praefatio absoluta est, sive proxime post *Sanctus*.

ARTICULUS III

DE ECCLESIARUM RECONCILIATIONE

78. **Necessitas reconciliationis**. — I. Ecclesia violata reconcilianda est quam citissime poterit, secundum ritus in probatis liturgicis libris descriptos (*can.* 1174, § 1).

II. Reconciliatione ecclesia apta redditur ut in ea licite divina officia celebrari possint.

III. Si dubitetur num ecclesia sit violata, reconciliari *potest ad cautelam* (*Ibid.*, § 2).

79. **Praevia condicio**. — Ecclesia violata ob sepulturam excommunicati vel infidelis non est reconcilianda, antequam cadaver exinde removeatur, si remotio *sine gravi incommodo fieri possit* (*can.* 1175).

Unde si haec remotio sine gravi incommodo fieri nequit, ecclesia, non remoto cadavere, reconciliari poterit.

80. **Quis reconciliare possit**. — *a*) Ecclesiam solummodo *benedictam* reconciliare potest rector ejusdem vel quilibet sacerdos de consensu saltem praesumpto rectoris (*can.* 1176, § 1).

b) Ecclesiae *consecratae* valida reconciliatio ad eos spectat de quibus in can. 1156 (*Ibid.*, § 2), hoc est, ad Superiorem majorem vel ad delegatum, si ecclesia pertinet ad religionem clericalem exemptam; secus ad loci Ordinarium aut ad delegatum.

In casu tamen gravis et *urgentis* necessitatis, si Ordinarius (respectivus, religiosus nempe vel loci) adiri nequeat, rectori ecclesiae violatae eandem reconciliare fas est, certiore facto postea Ordinario (*Ibid.*, § 3).

81. **Aqua ad reconciliationem necessaria.** — *a*) Reconciliatio ecclesiae *benedictae* fieri debet aqua lustrali communi (*can.* 1177).

Ritus hujus reconciliationis est in Rituali Romano, *tit.* VIII, *c.* 28. Hactenus sacerdos huic reconciliationi peragendae erat ab Ordinario delegandus (1).

b) Reconciliatio vero ecclesiae *consecratae* fiat aqua ad hoc benedicta secundum leges liturgicas; quam tamen non solum Episcopi, sed etiam presbyteri qui ecclesiam reconciliant, benedicere possunt (*can.* 1177).

Ritus est in Pontific. Romano, *p.* 2.ª (*De ecclesiae et coemeterii reconciliat.*, *pag.* 191, Ratisbonae, 1891).

82. **Mutationes disciplinares**. — Hucusque simplex sacerdos ut ecclesiae consecratae reconciliationem peragere posset, erat a R. Pontifice delegandus; et uti debebat aqua *ab Episcopo ad hunc usum* benedicta, ut est in editione typica Ritualis, ann. 1913 (2). Sed Codex reconciliationem ecclesiarum valde facilem reddidit.

CAPUT VII

DE REVERENTIA ECCLESIAE DEBITA, DE JURE ASYLI, BASILICAE TITULO, INGRESSU LIBERO

83. **Reverentia**. — Curare debent omnes ad quos pertinet, ut in ecclesiis illa munditia servetur, quae domum Dei decet (*can.* 1178).

Ab iisdem arcendae sunt negotiationes et nundinae (sortitiones, etc.), quanquam ad finem pium habitae; et generatim quidquid a sanctitate loci absonum sit (*Ibid.*).

Pius X, S. C. Consistorialis decreto 10 dec. 1912, vetuit omnes projectiones quae dicuntur et repraesentationes cynematographicas (*Acta*, IV, *pag.* 724).

84. **Jus asyli**. — Ecclesia jure asyli gaudet ita ut rei, qui ad illam confugerint, inde non sint extrahendi, nisi necessitas urgeat, sine assensu Ordinarii, vel saltem rectoris ecclesiae (*can.* 1179).

Hoc etiam jus valde in nova disciplina restringitur.

---

(1) «Ritus reconciliandi Ecclesiam violatam si nondum erat ab Episcopo consecrata. —Ecclesiae violatae reconciliatio per sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat hoc modo», etc. (*Rit. Rom.*, l. c., *pag.* 247, Ratisbonae, 1913, edit. typica).

(2) «Simplex sacerdos *tantum ex privilegio Sedis Apostolicae* potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare, et tunc *utatur ritu in Pontificali praescripto:* procedatque indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, adhibitis secum aliis Presbyteris et Clericis superpelliceis indutis, *cum aqua ab Episcopo ad hunc usum rite benedicta.*» *Rit. Rom.*, *tit.* VIII, *c.* 28, *n.* 8, *pag.* 249, 250: Ratisbonae, 1913, edit. typica.

85. **Basilicae titulus et privilegia.** — Nulla ecclesia potest basilicae titulo decorari, nisi ex apostolica concessione aut immemorabili consuetudine (*can.* 1180). Vide supra *n.* 45, *c.*

Basilicae privilegia ex alterutro capite, scil. vel ex apostolica concessione vel ex immemorabili consuetudine, colligenda sunt (1).

Basilicae aliae *majores*, aliae *minores* sunt. Majores quattuor numerantur, et sunt Romae: S. Joannis Lateranensis, S. Petri in Vaticano, S. Pauli extra muros et S. Mariae Majoris. In altari maximo harum quattuor basilicarum solum Papa celebrare potest. Ceterae omnes, sive quae Romae sive quae alibi sunt, vocantur *minores*.

86. **Ingressus in templum gratuitus.** — Ingressus in ecclesiam ad sacros ritus sit omnino gratuitus, reprobata qualibet contraria consuetudine (*can.* 1181).

CAPUT VIII

DE BONIS, DE CONSILIO FABRICAE ET OFFICIALIBUS INFERIORIBUS

87. **Administratio bonorum fabricae, etc.** — 1.° Firmo praescripto can. 1519-1528 (de bonorum ecclesiasticorum administratione) administratio bonorum quae destinata sunt reparandae decorandaeque ecclesiae divinoque in eadem cultui exercendo, pertinet, nisi aliud ex speciali titulo vel legitima consuetudine constet: *a*) ad Episcopum cum Capitulo, si de ecclesia cathedrali agatur; *b*) ad Capitulum ecclesiae collegiatae, si de collegiata; *c*) ad rectorem, si de alia ecclesia (*can.* 1182, § 1).

In **Hispania** ex Lege Concordata a. 1851, *art.* 34, ad faciendos sumptus sacri cultus percipere debent ecclesiae metropolitanae singulis annis a nonaginta milibus ad centum quadraginta milia regalium (de 90,000 a 140,000 reales), suffraganeae a septuaginta milibus ad nonaginta (de 70,000 a 90,000), collegiatae a viginti ad triginta milia (de 20,000 a 30,000).

Ad sumptus paroecialis cultus assignabitur ecclesiis paroecialibus quantitas non inferior (1000) mille regalibus praeter obventicia emolumenta et jura pro certis actibus in diversis dioecesibus constituta aut constituenda.

---

(1) S. R. C., 27 aug. 1836 (*Decr. auth., n.* 2744) declaravit generalia minorum basilicarum privilegia solum esse «*conopoeum,* omni tamen auri et argenti ornatu ab eo excluso, tintinnabulum, et usum cappae magnae».

2.° Etiam oblationes factas in commodum paroeciae aut missionis, aut ecclesiae sitae intra paroeciae vel missionis fines, administrat parochus vel missionarius (*Ibid.*, § 2).

Excipe: 1.° si agitur de ecclesia propriam administrationem habente, distinctam ab administratione paroeciae vel missionis; 2.° si aliud fert jus peculiare aut legitima consuetudo (*Ibid.*).

Parochus, missionarius, rector saecularis ecclesiae, sive saecularis is sit sive religiosus, debet hujusmodi oblationes administrare ad normam sacrorum canonum, deque eis rationem loci Ordinario reddere ad normam can. 1525 (*can.* 1182, § 3).

88. **Consilium fabricae:** *a*) **Ejus constitutio.** — Omnes sive clerici sive laici, qui in administrationem bonorum alicujus ecclesiae cooptati sunt, iidem una cum administratore ecclesiastico, de quo in can. 1182, aut ejus vicem gerente, eoque praeside, constituunt Consilium fabricae ecclesiae (*can.* 1183, § 1).

b) **Nominatio et remotio.** — Hujus Consilii sodales, nisi aliter legitime constitutum fuerit, nominantur ab Ordinario ejusve delegato et ab eodem possunt ob gravem causam removeri (*Ibid.*, § 2).

Haec doctrina cum antiqua convenit, quae videri potest in decreto S. C. de P. F., 21 jul. 1856 (*Collectanea*, *n.* 1628), in lege concordata Etruriae a. 1851, *art.* 14 (*Nussi*, *pag.* 229), in Guatemalensi a. 1853, *art.* 6 (*Ibid.*, *pag.* 231), in Conc. Plen. **Amer. Lat.**, *n.* 845, etc.

Ordinarius de quo hic agitur est: *a*) Ordinarius loci, si ecclesiae sunt paroeciales, missionum aut saeculares.

b) Superior major, in ecclesiis religiosorum.

89. **Quid fabricae Consilio competat.** — Consilium fabricae curare debet rectam bonorum ecclesiae administrationem, servato praescripto can. 1522, 1523 (*can.* 1184), de quibus inferius.

In regia schedula **Hispaniensi** 3 jan. 1854 quae, Nuntio probante, ad exsecutionem Concordati 1851 tradita est, legitur (*base* XXII):

«En cada parroquia habrá una Junta de fábrica. Presidirá esta Junta el Párroco o quien haga sus veces. Sus facultades y número de individuos podrán variar según lo que, atendidas las circunstancias de cada diócesis, arciprestazgo y parroquia, se estime más conveniente. El Ordinario determinará uno y otro, y al mismo tiempo se rendirán las cuentas en las épocas que disponga, cesando cualquier privilegio, uso o costumbre en contrario.» Cfr. *Alcubilla,* v. Concordatos, *vol.* 4, *pag.* 151, ed. 6.ª

Jus igitur concordatum hispanum cum doctrina Codicis convenit.

90. **In quae ingeri non possit.** — Nullatenus consilium fabricae sese ingerere potest in ea omnia quae ad spirituale munus pertinent, praesertim: 1.° In exercitium cultus in ecclesia;

2.° In modum et tempus pulsandi campanas et in curam tuendi ordinis in ecclesia atque in coemeterio;

3.° In definiendam rationem qua collectae, denuntiationes aliique actus ad divinum cultum ornatumque ecclesiae quoquo modo spectantes in ecclesia fieri possint;

4.° In dispositionem materialem altarium, mensae pro distributione sanctissimae Eucharistiae, cathedrae sive suggestus e quo ad populum verba fiunt, organorum, loci cantoribus assignati, sedilium, scamnorum, capsularum oblationibus recipiendis, aliarumque rerum quae ad exercitium religiosi cultus spectent;

5.° In admissionem vel rejectionem sacrorum utensilium aliarumque rerum quae sive ad usum, sive ad cultum, sive ad ornatum in ecclesia vel sacrario destinentur;

6.° In scriptionem, dispositionem, custodiam librorum paroecialium aliorumque documentorum quae ad archivum paroeciale pertineant (*can.* 1184).

91. **Inferiores officiales a quo nominandi.** — Ad solum ecclesiae rectorem spectat sacristam, cantores, organorum moderatorem, pueros chorales, campanae pulsatorem, sepulcrorum fossores, ceterosque inservientes nominare et dimittere (*can.* 1185). Qui omnes ab eodem pendent in muneribus exercendis (*Ibid.*).

Hoc valet: *a*) salvis legitimis consuetudinibus et conventionibus; *b*) salva Ordinarii auctoritate (*Ibid*), quae major est quam rectoris, ac proinde potest huic negotio interesse.

CAPUT IX

DE TEMPLIS REFICIENDIS RURSUSQUE AEDIFICANDIS

92. I. **Cui competat onus templa reficiendi rursusque aedificandi.** — Salvis peculiaribus legitimisque consuetudinibus et conventionibus, et firma obligatione quae ad aliquem spectet etiam ex constituto legis civilis, onus reficiendi ecclesiam incumbit ordine qui sequitur, prout agatur de Cathedrali, de paroecia aliave ecclesia:

1.° Onus reficiendi ecclesiam *cathedralem* incumbit: *a*) bonis fabricae, salva ea parte quae necessaria est ad cultum divinum celebrandum et ad ordinariam ecclesiae administrationem; *b*) Episcopo et canonicis pro rata proventuum, detractis necessariis ad honestam sustentationem; *c*) dioecesanis, quos tamen Ordinarius loci suasione magis quam coactione debet inducere ad sumptus necessarios, pro eorum viribus, praestandos.

2.° Onus reficiendi ecclesiam *paroecialem* incumbit ordine qui sequitur: *a*) bonis fabricae ecclesiae, ut supra, i. e.; salva parte ad divinum cultum, etc., necessaria; *b*) patrono (si ecclesia est juris

patronatus); *c*) iis qui fructus aliquos ex ecclesia provenientes percipiunt secundum taxam pro rata redituum ab Ordinario statuendam; *d*) paroecianis, quos tamen Ordinarius loci, ut supra, magis *hortari debet* quam cogere, ut antea dictum est.

3.° Haec cum debita proportione serventur etiam quod attinet ad alias ecclesias (*can.* 1186).

93. II. **Disciplina hispana.** — In **Hispania** ex art. 36 Concordati a. 1851, «el Gobierno de S. M... proveerá a los gastos de las reparaciones de los templos y demás edificios destinados al culto». Ex art. 13 legalis Conventionis concordatae (*Convenio-ley*) 4 april. 1860 (1): «El Estado se obliga además a construir a sus expensas las iglesias que se consideren necesarias.»

Sed *hoc opus, hic labor est;* maxima enim cum difficultate a Gubernio summa obtinetur ad templa reparanda, etiam majore ad aedificanda, ob tenuissimam quantitatem quae in publica computatione ad hunc finem attribuitur. Cfr. *Pellicer y Guiu*, l. c., *vol.* 2, *pag.* 253 *seq.*; *López Peláez*, El derecho y la Iglesia, *pag.* 332 *seq.* (edit. 1917).

Refectiones communes quae frequenter sunt faciendae ut bene serventur aedificia, solvi solent ex ea summa quae cultui attribuitur (vide *n.* 87) et ex fidelium oblationibus.

III. **Templa quae ad cultum non possint adhiberi.** — Si qua ecclesia nullo modo ad cultum divinum adhiberi possit et omnes aditus interclusi sint ad eam reficiendam, in usum profanum non sordidum ab Ordinario loci redigi potest. Quo in casu onera cum reditibus titulusque paroeciae, si ecclesia est paroecialis, in aliam ecclesiam ab eodem Ordinario transferentur (*can.* 1187).

TITULUS X

De oratoriis

94. **Notio.** — *a*) *Oratorium late* sumptum est locus non amplus ille quidem, sed orationi et cultui divino dicatus.

Hoc oratorium omnes domui suae habere possunt, scil. cubiculum tabulis pictis, statuis, altari sine ara, etc. ornatum, ubi oretur, rosarium recitetur, preces novendiales fiant, etc. Ad hoc nulla opus est ecclesiastica facultate. Cfr. *Ferreres*, Los Oratorios, *n.* 33 *seq.*

---

(1) Apud *Alcubilla*, l. c., *vol.* 4, *pag.* 160 *seq.* (ed. 6), et *Elías de Molins*, El Concordato, *pag.* 148 *seq.*, etc.

b) *Stricte* sumptum est locus, etiam non amplus, orationi, divino cultui et S. Sacrificio destinatus, non tamen eo potissimum fine ut universo fidelium populo usui sit ad religionem publice colendam.

Differt ecclesia ab oratorio non solum quod illa sit major, quae differentia accidentalis est, sed etiam quod primario aedificata est communi fidelium utilitati (et hoc constituit differentiam formalem), oratorium vero utilitati alicujus communitatis aut generis personarum etc. (*can.* 1188, § 1). Vide *n.* 44.

95. **Divisio**. — Oratorium, ita proprie sumptum, est vel publicum vel privatum vel semi-publicum.

Est vero oratorium *publicum*, quod cultui divino perpetuo dedicatum est, erectumque praecipue in commodum alicujus collegii aut generis personarum; secundario autem in commodum omnium fidelium, qui jus habent *strictum*, tempore saltem divinorum officiorum, illud adeundi (*can.* 1188, § 2, 1.°).

Quare vel januam habet ad viam publicam vel liberum aditum fidelibus relinquit.

Est *privatum* seu *domesticum*, si in privatis aedibus in commodum alicujus tantum familiae vel personae privatae erectum sit (*Ibid.*, § 2, 3.°).

Semi-publicum, si neque secundario utilitati communi omnium fidelium neque particularis familiae, sed alicujus communitatis vel coetus fidelium erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire (*Ibid.*, 2.°).

Hic coetus fidelium est v. gr. congregatio, confraternitas, sodalitium, hospitale, asylum, collegium, domus exercitiorum, carcer, arx, etc. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 37 *seq.*

Cappellae. — Saepe oratoria, itemque sacella altaribus secundariis destinata, maxime si altaria sunt in loco fundo, vocantur *cappellae*. *Ferreres*, l. c., *n.* 41.

96. **Oratoria Cardinalium et Episcoporum.** — Oratoria S. R. E. Cardinalium et Episcoporum sive residentialium sive titularium, licet privata, fruuntur tamen omnibus juribus et privilegiis quibus oratoria semi-publica gaudent (*can.* 1189).

97. **Cappellae privatae in coemeteriis.** — Aediculae in coemeterio a familiis *privatis* ad suam sepulturam erectae, sunt oratoria *privata* (*can.* 1190).

Ordinarius loci earum erectionem potest concedere, et permittere habitualiter etiam plurium Missarum in eis celebrationem (*can.* 1194).

98. **Cujus permissu erigi oratoria possint.** — I. Ad oratoria **publica** erigenda sufficit et requiritur licentia Ordinarii loci, sicut ad templorum erectionem; oratoria enim publica eodem jure quo ecclesiae reguntur (*can.* 1191, § 1).

99. — II. *a*) Oratoria **semi-publica** erigi nequeunt sine Ordinarii licentia (*can.* 1192, § 1).

Ordinarius hanc licentiam concedere non debet, nisi prius per se vel per alium ecclesiasticum virum oratorium visitaverit et decenter instructum repererit. Data autem licentia, oratorium ad usus profanos converti nequit sine ejusdem Ordinarii auctoritate (*Ibid.*, § 2-3).

b) In collegiis aut convictibus juventuti instituendae, in gymnasiis, lyceis, arcibus, praesidiis militum, carceribus, xenodochiis, etc., *praeter oratorium principale*, alia minora erigi non possunt, nisi, Ordinarii judicio, necessitas aut magna utilitas id exigat (*Ibid.*, § 4).

c) Ordinarius de quo agitur in oratoriis semi-publicis domorum aut collegiorum, etc. religionum exemptarum, est Provincialis, etc.

100. — III. Ad erigenda domestica sive **privata oratoria**, scil. ut in his celebrari possit, indulto Apostolicae Sedis opus est (*can.* 1195, § 1), quod nunc per S. Congregationem Sacramentorum conceditur. In his oratoriis Ordinarius nonnisi unius Missae celebrationem concedere potest, *per modum actus*, in casu aliquo extraordinario, justa et rationabili de causa, postquam illa visitaverit (*can.* 1194).

101. **Quomodo petendum indultum oratorii privati.** *a*) Igitur ad privilegium privati oratorii consequendum adeundus est Cardinalis S. Congr. de Sacramentis Praefectus, et postulari potest aut simplex concessio, aut etiam quaedam amplificationes. Precum autem initium hoc est, tanquam si ipse R. Pontifex esset gratiam elargiturus: **Beatissime Pater**.

b) Alleganda est sufficiens causa ut privilegium concedatur; quae potest esse senectus infirmitasve postulantis, magna templi distantia aut difficultas ad illud veniendi; quod petitor sit bene de Sede Apostolica vel Religione meritus, v. gr., ob auxilium praestitum vel ob eleemosynas, etc. pro R. Pontifice piisve operibus, etc. elargitas.

c) **Recursus ad Ordinarium**. — Quanquam per se quisque S. Congregationem adire potest, cum tamen precibus commendatio Ordinarii addenda sit, magis est expeditum Ordinarium convenire ut ille per Actorem precum privilegium assequatur.

Breve concessionis semper aut fere semper ad Ordinarium mittitur, cui S. Congregatio gratiae exsecutionem committit. *Ferreres*, l c., *n.* 111.

d) **Ordinarii visitatio**. — Non possunt Missae in domesticis oratoriis celebrari, nisi postquam Ordinarius per se vel per delegatum oratorium visitaverit et decenter instructum repererit (*can.* 1195, § 1). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 172 *seq.*

102. **Quae sacra in oratoriis possint celebrari.**— Oratoria *publica* eodem jure quo ecclesiae reguntur (*can.* 1191, § 1). Quare in oratorio publico, dummodo auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo per benedictionem vel consecrationem dedicatum fuerit, omnes sacrae functiones celebrari possunt, salvo contrario rubricarum praescripto (*Ibid.*, § 2).

In oratoriis *semi-publicis*, legitime erectis, omnia divina officia functionesve ecclesiasticae celebrari possunt, nisi obstent rubricae aut Ordinarius aliqua exceperit (*can.* 1193).

In *privatis*, nisi aliud in indulto expresse caveatur, unica Missa legi potest; sed aliae functiones fieri non possunt (*can.* 1195, § 1).

Numerus Missarum in illis celebrandarum. — *a*) Missae quae in oratoriis *publicis* et *semi-publicis* celebrari possunt nec numero nec diebus limitantur; nam haec, ut diximus, ecclesiis aequiparantur.

b) In *privatis* autem communiter una Missa legi quotidie potest (tres in Defunctorum commemoratione et in Nativitate Domini) (*Ibid.*).

Igitur Missa una celebrata, altera celebrari non potest, etiamsi agatur de sacerdote peregrino aut hospite, neque sit alius locus celebrationi commodus. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 112 *seq.*

103. **Praesentia indultarii.**— Etiam Missa unica legi non potest, nisi adsit aliquis ex privilegiatis, qui solent in Brevi nominari, i. e., aliquis ex iis qui privilegium petierunt. Ut his absentibus celebrari possit, novo privilegio opus est. *Ferreres*, l. c., *n.* 123.

104. **Quibus diebus non possit celebrari.** —*a*) Vi indulti pontificii excluduntur festa solemniora (*can.* 1195, § 1), sc. Nativitatis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis, Assumptionis, S. Joseph, Sancti Petri Omniumque Sanctorum. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 124-136.

b) Ordinarius vero, dummodo justae adsint et rationabiles causae, *diversae* ab eis ob quas indultum concessum fuit, etiam his diebus qui excluduntur permittere potest, *per modum actus*, unius Missae celebrationem (*can.* 1195, § 2).

105. **Consecratio vel benedictio oratorii.** — *a*) Oratoria domestica nec consecrari nec benedici possunt (*can.* 1196, § 1) benedictione solemni sive constitutiva.

b) Oratoria semi-publica *possunt* consecrari aut solemniter benedici, at non est opus; sed possunt, sicut *domestica*, *invocativa* locorum domorumve, etc. benedictione donari, aut nulla (*Ibid.*, § 2). Debent tamen esse etiam in postremo casu, divino tantum cultui reservata et ab omnibus domesticis usibus libera (*Ibid.*).

c) Publica oratoria, ut ecclesiae, consecranda aut solemniter benedicenda sunt (Cfr. *can.* 1191, § 1).

TITULUS XI

De altaribus

CAPUT I

NOTIO ET DIVISIO. — ALTARIS MOBILIS PRIVILEGIUM

106. **Notio.** — Dicitur *altare* mensa sacra in qua S. Missae Sacrificium Deo offertur.

Divisio. — Altare esse potest *immobile* seu *fixum* et *mobile* seu *portatile.*

Sensu stricto canonico intelligitur: Nomine altaris *immobilis* seu *fixi*, mensa superior una cum stipitibus *per modum unius cum eadem consecratis*, sic ut ab his separari non possit, nisi altari exsecrato (*can.* 1197, § 1, 1.°).

Nomine altaris *mobilis* seu *portatilis* intelligitur petra, ut plurimum, parva, quae sola consecratur, quaeque dicitur etiam *ara portatilis* seu *petra sacra.* (*Ibid.*, 2.°). Potest igitur ab uno loco in alium transferri, non amissa consecratione.

107. **Altaria fixa late sumpta**. — *a*) Haec ara sive altare mobile super basim fixam non consecratam frequenter collocatur in media scilicet superficie superiore. Et quoniam vulgo haec basis *altare* vocari solet, inde est ut conjuncta cum ara portatili dicatur etiam sensu lato *altare fixum.* Sic fere sunt altaria in nostris templis et oratoriis.

Ara non desinit esse *mobilis*, etiamsi basi adhaereat ope gypsi aut cementi.

b) Per oppositionem ad altaria improprie fixa, altare mobile *stricte* dicitur tum sola ara consecrata, tum haec ara cum stipite non tamen fixo, ita ut possint transferri ab uno in alium locum. Cfr. *can.* 1197, § 1, 2.°; et *Ferreres*, Los Oratorios, *n.* 24 *seq.*

In ecclesia *consecrata* saltem unum altare, praesertim majus, debet esse immobile, ac proinde una cum basi consecratum; in ecclesia autem benedicta omnia altaria possunt esse *mobilia* (*can.* 1197, § 2). Vide *n.* 56.

108. **Privilegium altaris portatilis.** — *a*) Privilegium altaris *mobilis* consistit in facultate celebrandi super hoc altare *extra locum sacrum;* in loco enim sacro super quodvis altare sine privilegio celebratur. Poterit igitur celebrari vi hujus privilegii super altare portatile, etiam in oratorio domestico.

b) Igitur qui gaudet privilegio altaris mobilis *a fortiore* gaudet oratorii privati intra limites altari portatili constitutos, siquidem tota difficultas oratorium domesticum habendi oritur ex Missa extra locum sacrum celebranda. Etenim ut habeamus oratorium privatum ut in illo recitemus preces aliasque privatas devotiones peragamus absque tamen Missae celebratione, nullum requiritur privilegium. *Ferreres*, l. c., *n*. 31 *seq*.

CAPUT II

DE ARAE ET ALTARIS CONSECRATIONE

109. **Arae condiciones ut possit consecrari.** — *a*) Ut possint arae consecrari, opus est, juxta vigentem disciplinam, ut tum mensa altaris immobilis tum petra sacra *ex unico* constent *lapide naturali, integro* et *non friabili* (*can.* 1198, § 1). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n*. 191.

b) Petra sacra sive ara *portatilis* debet esse tam ampla ut saltem hostiam et majorem partem calicis capiat (*Ibid.*, § 3).

c) In altari immobili tabula seu mensa lapidea ad integrum altare protendi debet, et apte cum stipite cohaerere; stipes autem debet esse lapideus vel saltem latera seu columellae quibus mensa sustentatur esse debent ex lapide (*Ibid.*, § 2).

110. **Necessitas aras et altaria consecrandi.** — Ut Missae sacrificium super illud celebrari possit, altare debet esse, secundum liturgicas leges, consecratum; id est vel totum, si agatur de immobili, vel ara tantum portatilis, si de mobili (*can.* 1199, § 1).

Quis possit ea consecrare. — Aras *portatiles*, salvis peculiaribus privilegiis, omnes Episcopi consecrare possunt; altaria autem *fixa* Ordinarius loci, si est Episcopus; si non est, cuilibet Episcopo licentiam dare potest (*Ibid.*, § 2).

Consecratio altaris immobilis, quae fit sine ecclesiae dedicatione, quamvis omni die fieri possit, magis tamen *decet* ut fiat die dominico aliove festo de praecepto (*Ibid.*, § 3). Vide *n*. 56.

CAPUT III

DE SEPULCRO IN ARIS ET ALTARIBUS FIXIS

111. **Sepulcri necessitas**. — Cum in altaribus fixis tum in aris mobilibus inesse debet sepulcrum lapide clausum, quod sanctorum reliquias contineat ad normas liturgicas (*can.* 1198, § 4).

Hae reliquiae ad *validitatem* consecrationis requiruntur. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n*. 193.

112. **Quas reliquias debeat continere**. — *a*) *Valida* consecratio est, si reliquiae ponuntur *unius solius* sancti *martyris*, sive solae sive cum aliis sanctorum confessorum aut virginum; *duorum pluriumve martyrum* non sunt necessariae.

b) *Valida* ut sit et *licita*, reliquias nonnullorum sanctorum includere sepulcrum debet, ut clarum est ex verbis sacerdotis altare deosculantis: «Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, *quorum reliquiae hic sunt.*»

c) Cum his debent esse aliquae alicujus martyris ex verbis Apocalypsis: *Vidi sub altare Dei animas interfectorum* (Cfr. S. R. C., 6 oct. 1837: *Decr. auth., n.* 2777); reliquae possunt esse alicujus sancti confessoris aut virginis, etc.

d) Si reliquiae essent solum confessoris aut virginis, etc. (unius aut plurium), deessent autem martyris, *Gasparri*, De Euch., *n.* 327, et *Many*, l. c., *n.* 119, consecrationem dubiam existimant at revera validam haberi posse; sed *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 464, III, ducit nullam. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 194 *seq.*

113. **Quemadmodum reliquiae in sepulcro collocandae.** — Si ara *portatilis* est, reliquiae in vasculum capsulamve signatam sunt includendae, et in sepulcro (sive confessione) deponendae excavato *in medio tabulae lapideae* (31 mart. 1887, *n.* 3671), scil. in media superficie superiore, et clauso per operculum etiam lapideum. *Ferreres*, l. c., *n.* 198.

Sepulcri operculum. — Si sepulcri operculum esset ex metallo, consecratio esset certo *valida*. *Ferreres*, l. c., *n.* 200.

Sepulcrum claudendum est operculo, ope cementi ab Episcopo benedicti.

114. **Locus sepulcri.** — *a*) Si altare fixum est, sepulcrum sive locus reliquiarum potest esse: *a*) in arae parte superiore quae simul est media et anterior; vel *b*) in stipite qui aram sustinet.

b) Locus autem stipitis ubi sepulcrum collocari debet, vel est pars anterior vel posterior vel superficies superior proxime subter aram.

c) Sepulcrum altaris immobilis eodem modo claudendum est quo arae mobilis. Quod si est in summa basi, ara ipsa sepulcro est tegumento. Cfr. *Pontificale Romanum*, *p.* 2, *tit.* 2-4.

115. **Adnotatio historica**. — Totum hoc de arae sepulcro accepimus a priscis Ecclesiae originibus, cum Missa offerri solebat super mensas e lapide quae martyrum sepulcra contegebant. Haec vero sepulcra sive *tumbae* excavabantur in parietibus fornicatis; unde solent appellari *arcosolia*, i. e. sarcophaga opere arcuato, super quorum mensam sive lapideam sive marmoream incruentum Sacrificium solebat offerri. Cfr. *Spencer-Brownlow*, Rome souterraine (Paris, 1877), *pag.* 270, 554 *seq. Ferreres*, l. c., *n.* 49. Vide *n.* 66.

CAPUT IV

DE ARAE ET ALTARIS EXSECRATIONE

116. **Notio.** — Ara et altare dicuntur exsecrata cum consecrationem amittunt, neque jam apta sunt ut super ea Missa celebretur.

Cum consecratio sit institutionis ecclesiasticae, gaudet effectu morali qui pendet ab ipsa Ecclesia. Hinc est quod, etsi consecratio Episcopis reservatur, possunt sacerdotes ad eam peragendam facultatem accipere.

117. **Exsecratio** *a*) **altaris fixi.** — Altare *immobile* amittit consecrationem, si tabula seu mensa a stipite, etiam per temporis momentum, separetur; quo in casu Ordinarius potest permittere ut presbyter altaris consecrationem rursus perficiat ritu formulaque breviore (*can.* 1200, § 1).

b) **Cujusvis altaris.** — Tum altare *immobile* tum *petra* sacra amittunt consecrationem ex canone 1200, § 2:

1.° Si fragantur enormiter sive ratione quantitatis fractionis sive ratione loci unctionis.

Locus unctionis est in medio arae et in quattuor angulis.

2.° Si amoveantur reliquiae aut frangatur vel amoveatur sepulcri operculum, excepto casu quo ipse Episcopus vel ejus delegatus operculum amoveat ad illud firmandum vel reparandum vel subrogandum, aut ad visitandas reliquias.

Levis fractio operculi non inducit exsecrationem et quilibet sacerdos potest rimulam cemento firmare (*Ibid.*, § 3).

118. **Exsecratio ecclesiae relate ad altaria.** — Exsecratio ecclesiae non secumfert exsecrationem altarium sive immobilium sive mobilium; et viceversa (*Ibid.*, § 4).

CAPUT V

DE ALTARIUM TITULO ET SANCTITATE

119. **Altarium titulus.** — Sicut ecclesia (1), ita quodlibet etiam ecclesiae altare, *saltem immobile*, proprium sibi titulum ha-

---

(1) Neque oratoria privata neque semi-publica, quae sunt benedicta sola benedictione *pro nova domo*, Patronum aut Titulum proprie habent; sed habere debent publica; semi-publica etiam, si consecrata sunt aut saltem, ut ecclesiae, benedicta. Quae cum ita sint, aliquando tamen S. ipsa Congregatio oratorii domestici Titulum appellat Sanctum qui maxime in eo colitur, et cujus statua vel imago praecipuum locum tenet in altari. *Ferreres*, l. c., *nn.* 251, 254.

bere debet (*can.* 1201, § 1). Mobilia tum solum videntur habere *posse*, cum super fixum stipitem constituta sunt. Vide *n.* 107.

Titulus est Sanctus ille vel mysterium in cujus honorem altare erectum, benedictum aut consecratum est.

Titulus primarius altaris majoris idem debet esse ac titulus ecclesiae (*can.* 1201, § 2).

De Ordinarii licentia *mutari* quidem potest altaris mobilis, non autem altaris *immobilis* titulus (*Ibid.*, § 3), sed ad hanc mutationem S. Sedis facultate opus est.

Altaria Beatis etiam in ecclesiis et oratoriis quibus eorum officium et Missa concessa sunt, dedicari nequeunt sine Sedis Apostolicae indulto (*Ibid.*, § 4).

120. **Sanctitas altaris ac reverentia ei debita.** — *a*) Altare tum immobile tum mobile debet esse divinis tantum officiis et praesertim Missae celebrationi reservatum, quolibet profano usu prorsus excluso (*can.* 1202, § 1).

b) Subtus altare nullum potest esse reconditum cadaver; cadavera autem quae prope altare sepulta forte sunt, distent ab eo saltem spatio unius metri; secus Missam in altari celebrare non licet, donec cadaver removeatur (*Ibid.*, § 2).

TITULUS XII

De sepultura ecclesiastica

121. — I. Fidelium defunctorum corpora **sepelienda** sunt.

II. Eorundem **crematio** ab Ecclesia reprobatur (*can.* 1303, § 1).

III. Si quis quovis modo mandaverit ut corpus suum *cremetur*, illicitum est hanc exsequi voluntatem; quae si adjecta fuerit contractui, testamento aut alii cuilibet actui, tanquam *non adjecta* habenda est (*Ibid.*, § 2).

Cadaverum crematio facta in communibus temporis adjunctis debetur sectis anticatholicis quae vitae futurae insitam in hominibus recordationem ex hominum memoria vellent penitus deletam. Ad hanc cremationem promovendam coetus et sodalitates a sectis instituuntur. Humatio contra quoddam est signum futurae corporum resurrectionis, cujus spem nomen ipsum coemeterii, κοιμητήριον, i. e. *dormitorium*, in nobis confirmat: mortui enim quasi dormiunt, exspectantes ut e somno excitentur, integram aeternitatem evigilaturi.

Itaque Ecclesia jam inde ab initio corporum cremationem improbavit, quae apud Graecos et Romanos fuit in usu; non ita apud Hebraeos, qui humatione utebantur.

Quod nonnulli recentiores effutiunt, coemeteria esse publicae valetudini periculosa, nihil aliud quam commentum est. Attamen ab Ecclesia non prohibetur crematio cum in mora vel difficultate in terra humandi periculum est, ut in contagione et in bello, etc. evenit aliquando.

122. IV. **Quid sepultura comprehendatur.** — Sepultura ecclesiastica consistit *a*) in cadaveris translatione ad ecclesiam, *b*) exsequiis super illud in eadem celebratis, *c*) illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis (*can.* 1204).

CAPUT I

DE COEMETERIIS

ARTICULUS I

PRINCIPIA GENERALIA ET ADNOTATIONES HISTORICAE

123. **Principia**. — I. Cadavera fidelium sepelienda sunt in coemeterio quod, secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos, sit benedictum, sive solemni sive simplici benedictione ab iis data de quibus in can. 1155, 1156 (*can.* 1205, § 1). Vide *n.* 38 *seq.*

II. In ecclesiis cadavera non sunt sepelienda, nisi agatur de cadaveribus Episcoporum residentialium, Abbatum vel Praelatorum *nullius* in propria ecclesia sepeliendis, vel Romani Pontificis, regalium personarum aut S. R. E. Cardinalium (*Ibid.*, § 2).

124. **Adnotationes historicae: I. Humationes:** *a*) Ineunte christiana religione christiani sepeliebantur in coemeteriis, quae erant extra oppida.

b) Deinde paulatim mos invaluit christianos humandi in coemeteriis *templo*, maxime paroeciali, *adjunctis*. Cfr. Concil. I Bracarense, a. 563, *can.* 18), seriusque *in ipsis templis*. In his sepelire commune erat saec. XII, ut videre est in *Decretalibus*, *lib.* 3, *tit.* 8, *cap.* 5 et 6.

Ita christianus quo loco ad vitam gratiae per baptismum natus erat eamque divino verbo ceterisque Sacramentis servarat et auxerat, in eo ipso ab Ecclesia consecrato sedem inveniebat, ubi ejus corpus futuram resurrectionem speraret una cum illis caeli incolis quorum ibidem reliquiae asservabantur. Cfr. *Ferreres*, Las Cofradías, *nn.* 249, 250.

c) Sepultura in ecclesiis primum concessa est imperatoribus, regibus, episcopis, sacerdotibus et utriusque sexus religiosis, tandem fidelibus omnibus. Cfr. *Sanguineti*, Inst. can., *n.* 423.

II. **Jus sepulturae.** — Initio jus sepulturae proprium erat paroeciae, cujus defunctus fuerat; postea aliis ecclesiis, maxime paroecialibus, concessum est.

Religiosorum cadavera, eaque sola, in propriis ecclesiis sepeliebantur; deinde vero regularibus permissum est ut in eis corpora laicorum qui id petiissent humarentur (1).

ARTICULUS II

JUS ECCLESIAE POSSIDENDI SACRA COEMETERIA

125.—I. Jus est catholicae Ecclesiae possidendi propria coemeteria (*can.* 1206, § 1).

II. Sicubi *hoc* Ecclesiae *jus violetur* nec spes sit ut violatio reparetur, curare debent locorum Ordinarii ut coemeteria, societatis civilis propria, benedicantur, si, qui in eis condi solent, sint majore ex parte catholici, aut saltem ut in eis catholici spatium habeant, idque benedictum, sibi reservatum (*Ibid.*, § 2).

III. Si ne hoc quidem obtineri possit, toties quoties benedicantur, secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos, singuli tumuli (*Ibid.*, § 3).

IV. Quae de interdicto, violatione, reconciliatione ecclesiarum canones praescribunt, etiam coemeteriis sunt applicanda (*can.* 1207). Vide *n.* 73 *seq.*

126. — *a*) Habet igitur catholica Ecclesia ex § 1 can. 1206 jus *exclusivum* construendi, possidendi et administrandi coemeteria, quae sunt loca sacra et esse debent secundum canones. Societas civilis suas sibi *necropoles* exaedificet, at sacra coemeteria Ecclesiae relinquat. Contra id agere est jus Ecclesiae *violare*, ut dicitur in § 2 ejusdem can.

b) Hoc jus Ecclesiae nativum (*Syllab.*, prop. 26) ei etiam in **Hispania** competit vi legum concordatarum ipsiusque civilis Codicis, qui sine ulla limitatione jus ei agnoscit possidendi (Concordat. a. 1851, *art.* 40; Conventio legal. 4 aprilis 1860, *art.* 3; Cod. civil., *art.* 8, 746), ideoque *a fortiore* bona sacra possidendi, ut sunt coemeteria, quae semper habita sunt tanquam pars integralis et accessoria paroeciae aliorumque templorum quae jure gaudent sepeliendi.

c) Aetate nostra sunt frequentes hac in re civilis potestatis usurpationes, quae in primis debentur immodicae cupiditati omnia sacra susque deque vertendi, profanandi, et, si verbum licet, *sae-*

---

(1) Cfr. Cap. *Super cadaverum*, 2 *de sepulturis;* Extrav. Comm., cap. *Dudum* 2, *de sepulturis* in Clement.; cap. *Fraternitatem*, 3, *De sepulturis*. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 251-252.

cularizandi; debentur deinde etiam lucrandi cupiditati qua magnarum urbium municipes agitantur et inflammantur.

Vera et germana doctrina canonica et civilis luculenter exposita est in R. O. 18 martii 1861, cui est conforme testimonium (informe) sectionum quae vulgo dicuntur *de Estado, de Gracia y Justicia, de Gobernación* et *Fomento.* Etiam opportune adeuntur in hac materia RR. OO. 14 nov. 1832, 2 jun. 1833, quibus confirmantur ordinationes sive dispositiones 8 aug. 1830 et 20 febr. 1831. Sanam etiam doctrinam continet ordinatio 12 april. 1862. At in ea quae est 28 april. 1866, disp. 9, conceditur municipiis jus proprietatis in coemeteria eorum sumptibus fabricata, auctoritatique ecclesiasticae solum eorum proprietas conceditur quae Ecclesia ecclesiasticis expensis aedificet (*disp.* 4, 12); quod idem in ea quae est 17 nov. 1868 repetitur, in lege municipali 2 oct. 1877, et in *Reglamento* 10 sept. 1844, *art.* 1-4. Sic Ecclesiae juribus vis infertur.

d) Si Ecclesia habet reditus sufficientes, ipsa sola jus habet coemeteria exstruendi, possidendi et administrandi (in re autem hygienica tolerabilis est potestas civilis). Si vero caret, Status aut municipium Ecclesiam debent adjuvare; agitur enim civium utilitas et commodum, cui a Statu et municipiis est consulendum, eo vel maxime quod bona ecclesiastica Status diversis modis imminuerit.

e) *Ad summum* municipium coemeterii aedificationem sibi posset optare, cum Ecclesia, reditibus deficientibus, illam non posset conficere, at Ecclesiae relicta proprietate aut directo dominio, municipio autem dominio utili, quod impensis sumptibus responderet. Administrationem utraque auctoritas haberet per Consilium vel *mixtam* commissionem.

N. B. Cum leges concordatae Columbiae (*aa.* 5, 22, 23), Costae Ricae (*aa.* 17-19), Aequatoris (*aa.* 17-19 et 1-30, 11 Conv. additionalis), Guatimalae (*aa.* 18-20), et civiles Reipublicae Argentinae (*aa.* 33-41), Chilenses (*a.* 547), Columbianae (*aa.* 24 et 27 legis 57 a. 1887) Ecclesiae jus proprietatis agnoscant, debent necessario jus agnoscere possidendi coemeteria, quae proprietas sacra est.

ARTICULUS III

DE COEMETERIIS PROPRIIS ET COMMUNIBUS, DE SEPULCRIS, ETC.

127. **Coemeterium paroeciae proprium.** — Paroeciae suum quaeque coemeterium habere debent, nisi unum pluribus commune ab Ordinario loci sit legitime constitutum (*can.* 1208, § 1).

Coemeteria paroecialia communia. — Cum sepulturae in ecclesiis etiam legibus civilibus generatim prohibeantur et coemeteria communia sint omnibus fidelibus sine ullo paroeciarum ecclesiarumve discrimine, in Jure canonico omnes et singulas ecclesias

juribus sepulturae gaudentes coemeterium refert, daturque christianis facultas sepulturae eligendae in quavis earum ecclesiarum, quemadmodum antequam hae leges ferrentur, quod electioni ecclesiae aequivalet. S. C. C., 14 maji 1825, 10 jun. 1827, 16 sept. 1871, 24 febr. 1879, 23 jan. 1886.

Quare si lex permittit ut in templum cadaver feratur, et, Missa corpore praesente celebrata, inde in coemeterium afferatur, haec funeris elatio a domo defuncti ad ecclesiam quam defunctus elegerat ad sepulturam, fit eo modo qui postea indicatur. Verum a templo ad coemeterium clero hujus templi, sive saeculari sive regulari, tantummodo competit. *Ferreres*, Las Cofradías, *nn.* 280, 281.

128. **Coemeteria propria religiosorum aliarumque moralium personarum.** —I. Religiosi exempti possunt habere coemeterium proprium a communi coemeterio distinctum (*can.* 1208, § 2).

II. Etiam aliis personis moralibus, v. gr. Capitulo canonicorum, communitati religiosae non exemptae, confraternitati, etc., vel familiis privatis permitti potest ab Ordinario loci peculiare sepulcrum, extra commune coemeterium positum, et ad instar coemeterii benedictum (*Ibid.*, § 3).

129. **Sepulcra particularia.**—I. Tum in coemeteriis paroecialibus, ex licentia scripta Ordinarii loci ejusve delegati (vel in communi), tum in coemeterio proprio alius personae moralis (v. gr. regularium exemptorum), ex licentia scripta Superioris, fideles sibi suisque extruere possunt sepulcra particularia; quae, de consensu ejusdem Ordinarii aut Superioris, possunt quoque alienare (*can.* 1209, § 1).

II. Sepulcra *a*) sacerdotum et clericorum, ubi fieri potest, a sepulcris laicorum separata sint ac decentiore loco sita; *b*) praeterea, ubi id commodum fuerit, alia pro sacerdotibus, alia pro inferioris ordinis Ecclesiae ministris parentur (*Ibid.*, § 2). Etiam infantium corpuscula, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas habeant (*Ibid.*, § 3).

N. B. Quodlibet coemeterium debet esse undique apte clausum et caute custoditum (*can.* 1210).

Jubetur hoc ut cadaverum profanationes vitentur sive ab impiis hominibus sive etiam a feris aliisque animalibus, ut aliquando accidisse constat.

130. **Epitaphia, laudationes funebres, cetera hujusmodi.**—Cavere debent Ordinarii locorum, parochi ac Superiores, ad quos spectat, ne in coemeteriis epitaphia, laudationes funebres ornatusque monumentorum quidquam prae se ferant a catholica religione ac pietate absonum (*can.* 1211).

131. **Coemeterium profanum.**—Praeter coemeterium benedictum debet alius, si haberi queat, esse locus, clausus item et custoditus, ubi ii humentur quibus sepultura ecclesiastica non conceditur (*can.* 1212).

ARTICULUS IV

DE PRAEMATURE NON SEPELIENDIS CADAVERIBUS, DEQUE EXHUMANDIS

132. **Prohibitio sepulturae ante congruum tempus.**—Nullum corpus sepeliendum est, praesertim si mors repentina fuerit, nisi post congruum temporis intervallum, quod satis sit ad omnem prorsus de *vero* obitu dubitationem tollendam (*can.* 1213).

Hic canon desumptus est ex Rituale Rom., *tit.* VI, *De exequiis*, *cap.* 1, *n.* 3 (ed. typ., *pag.* 133, Romae, 1913).

Mors realis et mors apparens. — Ratio hujus canonis videtur quaerenda in doctrina hodie communi *de morte reali* et *de morte apparenti;* plurima enim experimenta diversis multiplicibusque artibus facta tandem aliquando comprobarunt homines semper aut fere semper vivere per aliquod temporis spatium, postquam vulgo mortui existimantur, scil. post illud instans quo usque ad nostram aetatem exspirasse communis erat opinio. Per hoc temporis spatium fieri adhuc potest ut is qui mortuus censeatur ad manifestam vitam revocetur. Spatium quod comprehenditur inter mortem *existimatam* et mortem *veram*, qua anima a corpore separatur, dicitur *mors apparens.*

Huc usque homo cadaver habebatur, neque proinde de eo ulla cura amplius erat, ex quo vulgo eum mortuum esse credebatur. Sed jam in dies singulos latius manat opinio contraria mosque contrarius invalescit; unde homines multi ab imminenti morte et inevitabili liberati sunt, qui vulgo mortui omnino censebantur. Cfr. *Ferreres*, La muerte real y la muerte aparente, *nn.* 2, 4.

133. **Doctrina medicorum super hac materia.** — Inter conclusiones unanimi consensu ab insigni Academia Medicinae Barcinonensi SS. Cosmae et Damiani approbatas haec legitur:

«3.ª Los hechos han demostrado que el hombre puede volver a la vida después de permanecer durante *horas enteras* en un estado en el cual habían desaparecido *todas las manifestaciones de la vida* general, como son: el conocimiento, el habla, la sensibilidad, los movimientos musculares, la respiración, y en que no se percibían tampoco los ruidos del corazón. A este estado es lógico llamar *muerte aparente.*» Cfr. *Ferreres,* l. c., *n.* 74.

134. **Quamdiu mors apparens perseveret.** — Tempus mortis apparentis longius aut brevius est secundum temperamentorum diversitatem, morborum gravitatem varietatemque casuum fortuitorum quibus aliquis afficitur.

Ratio cur canon mortem repentinam singulariter attingat haec est, quia quo *saniora*, *robustiora* et *mediis vitalibus abundantiora* sunt organa et texta eo diutius vita illa intima sive latens permanet, ut experientia constat in casibus mortis repentinae, v. c. in

asphyxia, **intoxicatione**, in quibus repentinus casus, organa et texta non laedens, ea subsidiis vitalibus copiose instructa invenit, et cum magna, ut ajunt, *provisione organica*. Quare in his accidentibus et subitis casibus status mortis apparentis diu perseverare solet. *Ferreres*, l. c., *n*. 72.

135. **Signa mortis sunt incerta.** — Huc adde quod quae *mortis signa* dicuntur incerta sunt, et ita incerta, ut Academia, quam dixi, Barcinonensis hanc conclusionem statuerit, quae numero undecima est: «Ante putrefactionem **nullum est signum neque signorum complexus** qui sufficiat *certitudini absolutae* status cadaverici praebendae». *Ferreres*, l. c., *n*. 100.

Quae cum ita sint, facile intelliges cur medici in sua arte exercitatissimi, per horam et amplius peracta auscultatione, nulla, ne minima quidem, pulsatione cordis, aut respiratione, neque ullo alio vitae signo percepto, cum autopsia, quam dicunt, in putato cadavere uterentur, aperto per incisionem pectore, cor invenirent quod etiam tum palpitaret, et quem hominem mortuum putassent, vivum suis oculis viderent (Vide *Icard,* La mort réelle, *pag*. 90) (1). *Ferreres,* l. c., *n*. 86.

136. **Longa dilatio mortis realis in casibus repentinis**. — Quod magis notandum est in morte repentina: multi enim visi sunt *post plures horas* quasi revixisse optimamque valetudinem recuperasse. Quare in his nullum aliud mortis certae signum admittitur quam putrefactio. *Ferreres*, l. c., *n*. 104.

In morte *repentina* igitur spatium vitae latentis in multas horas, immo in dies integros produci potest (*Ibid*., *n*. 138). Quod vult Codex ne in humationibus memoria excidat.

137. **Exhumatio.** — *a*) Nullum cadaver perpetuae sepulturae ecclesiasticae ubivis traditum exhumare licet, nisi de licentia Ordinarii (*can*. 1214, § 1).

b) Ordinarius licentiam nunquam debet concedere, si cadaver ab aliis corporibus certo discerni nequeat (*Ibid*., § 2).

Exhumationem ex jure hispano vide apud *Mach-Ferreres*, Tesoro del Sacerdote, *vol*. 2, *n*. 582; *Alcubilla*, v. Cementerios, etc.

---

(1) En tibi quod persapienter leges gallicae praescribunt: Defunctiones sunt comprobandae a medico ad hoc deputato et jurato, in Medicina doctore, non autem simplici sanitatis officiali.

Emortui corpus attente semper perfecteque examinandum est, medicus autem comprobator testimonio scripto defunctionis fidem facere non potest, nisi confirmata rigiditate cadaverica et putrefactione.

Defunctionis comprobatio non est facienda simul atque aliquis visus est exspirasse, ut medicus possit cum majore certitudine de morte judicare, indagatis nonnullis signis maximi momenti, quorum spontanea declaratio non statim manifesta est.

Spatium quattuor et viginti horarum a lege assignatum intelligendum est ab ipsa relatione defunctionis in tabulas publicas, non autem ab ipsa morte supposita sive existimata.

Nisi legis terminus transierit, prohibetur autopsia et quaelibet operatio quae mortem apparentem mutare possit in realem. Prohibetur item humatio et in feretro collocatio; defunctus autem haberi debet solum ut mortuus putatus; ut aegrotus habendus est, et ut talis tractandus (*Ibid., n*. 288).

CAPUT II

DE CADAVERIS TRANSLATIONE AD ECCLESIAM, FUNERE AC DEPOSITIONE

138. **Cadaveris translatio in ecclesiam.** — Nisi gravis causa obstet, cadavera fidelium, antequam tumulentur, transferenda sunt e loco in quo reperiuntur, in ecclesiam, ubi funus, id est totus ordo exsequiarum quae in probatis liturgicis libris describuntur, persolvendus (*can.* 1215).

Vide *Rituale Rom.*, *tit.* 6, *cap.* 3.

In **Hispania** cadavera non possunt in ecclesiam transferri nec ad breve tempus, sed e domo funebri recta in coemeterium ferenda sunt (1).

ARTICULUS I

DE SEPULTURA PAROECIALI

139. **In quam ecclesiam transferendum.** — *a*) Ecclesia in quam cadaver pro funere transferri debet, ex jure ordinario est ecclesia propriae defuncti paroeciae, nisi defunctus aliam funeris ecclesiam legitime *elegerit* (*can.* 1216, § 1).

b) Si defunctus plures habuerit paroecias proprias, ecclesia funeris est ecclesia paroeciae in cujus territorio decessit (*Ibid.*, § 2).

c) In dubio de jure alius ecclesiae, jus propriae ecclesiae paroecialis semper praevalere debet (*can.* 1217).

140. I. **Mortes quae eveniunt extra propriam paroeciam.** — *a*) Licet mors acciderit extra propriam paroeciam, cadaver tamen in ecclesiam paroeciae *propriae* quae vicinior sit, ob funus transferendum est, si ad eam *commode pedestri itinere* asportari possit; *b*) secus in ecclesiam paroeciae in qua mors accidit, ut ibi funus habeatur et sepulturam accipiat (*can.* 1218, § 1), salvo praescripto § 3.

II. **Designatio ecclesiarum in quas translatio fieri commode potest.** — Ordinarii est pro suo territorio, inspectis peculiaribus loci ac temporis (ut statu et difficultatibus itineris, fluminum alluvionibus), circumstantiis, distantiam aliaque adjuncta designare, quae translationem cadaveris ad ecclesiam funeris aut locum se-

---

(1) Cfr. Regias Ordinationes 20 sept. et 30 nov. 1849, 28 aug. 1855, 13 febr. 1857, 19 sept. 1865, 1 april. 1875; litteras circulares Directionis generalis Beneficentiae et Sanitatis 28 maji 1884, apud *Pellicer y Guiu*, Tratado... de Derecho civil, etc., *vol.* 2, *pag.* 159 *seq.* Vide *Ferreres,* Las Cofradías. *n.* 285.

pulturae *incommodam* reddant; et si paroeciae ad diversas dioeceses pertineant, designatio attenditur Ordinarii dioecesis in qua defunctus supremum diem obiit (*Ibid.*, § 2).

III. **Jus familiae.** — Licet translatio ad ecclesiam funeris aut ad locum sepulturae incommoda sit, semper tamen integrum est familiae, heredibus, aliisve quorum interest, cadaver illuc deferre, susceptis translationis expensis (*Ibid.*, § 3). Vide inferius, *n.* 164.

Ut ex dictis dicendisque eruitur, tria sunt genera ecclesiarum funerantium, paroecialis, electivae et gentiliciae sive familiae. Duabus postremis deficientibus, ex jure prima subsistit.

141. **Ecclesia funerans.** *a*) **Cardinalibus.** — Si S. R. E. Cardinalis 1.° in Urbe decesserit, corpus transferendum est, funeris causa, in ecclesiam quam Romanus Pontifex designaverit; 2.° si extra Urbem, in ecclesiam insigniorem civitatis seu loci ubi mors accidit, nisi Cardinalis aliam elegerit (*can.* 1219, § 1).

b) **Episcopis residentialibus.** — Defuncto Episcopo residentiali, etiam cardinalitia dignitate aucto, aut Abbate vel Praelato *nullius*, corpus, funeris causa, 1.° transferri debet in ecclesiam cathedralem, abbatialem vel praelatitiam, si id commode fieri possit; 2.° secus, in ecclesiam insigniorem civitatis seu loci, 3.° nisi in utroque casu 1.° et 2.° defunctus aliam ecclesiam elegerit (*Ibid.*, § 2).

c) **Beneficiariis.** — Beneficiarii residentiales ad ecclesiam sui beneficii transferendi sunt, nisi aliam sibi elegerint ecclesiam funeris (*can.* 1220).

d) **Religiosis.** — I. Professi religiosi ac novitii, defuncti cum sint, transferendi sunt, funeris causa, ad ecclesiam vel oratorium suae domus vel saltem suae religionis, nisi novitii aliam ecclesiam ad suum funus elegerint (*can.* 1221, § 1).

II. Jus autem levandi cadaver et illud deducendi ad ecclesiam funerantem pertinet semper ad Superiorem religiosum (*Ibid.*).

III. Si longe moriantur a domo, ita ut in ecclesiam suae domus vel saltem suae religionis nequeant commode asportari, funerandi sunt in ecclesia paroeciae ubi decedunt, nisi novitius aliam ecclesiam ad funus elegerit, et salvo Superioribus jure de quo in can. 1218, § 3 (*Ibid.*, § 2). Vide *n.* 140, III.

IV. Quae de novitiis dicta sunt §§ 1, 2, valent quoque de famulis actu servientibus et intra domus septa stabiliter commorantibus; qui tamen, si extra religiosam domum decesserint, funerandi sunt ad normam can. 1216-1218 (*Ibid.*, § 3). Vide *nn.* 139, 140.

e) **Hospitibus, etc., domorum religiosarum et hospitalium.** — Pariter standum est canonibus 1216-1218 quod attinet ad defunctos 1.° qui in domo etiam regulari vel collegio degebant ratione hospitii, educationis vel infirmitatis, 2.° ad defunctos in hospitali. Nisi constet (in utroque casu) de jure particulari aut privilegio (*can.* 1222).

f) **Iis qui in Seminario moriuntur**. — Quod vero ad illos attinet qui in Seminario moriuntur, servandum est praescriptum can. 1368 (*Ibid.*). Ad cujus normam Rector pro eis vices parochi in his adjunctis agit.

ARTICULUS II

DE ECCLESIA FUNERANTE ET SEPULTURA ELECTIVIS

142. **Jus eligendi sepulturam funerantem**. — Omnibus licet, nisi expresse jure prohibeantur, eligere ecclesiam sui funeris aut coemeterium sepulturae (*can.* 1223, § 1). Uxor et filii puberes in hac electione prorsus immunes sunt a maritali vel patria potestate (*Ibid.*, § 2).

143. **Quibus electio prohibeatur**. — Ecclesiam funeris aut sepulturae coemeterium eligere prohibentur:

1.° Impuberes; 2.° *religiosi professi* cujuslibet gradus aut dignitatis, non tamen si sint Episcopi (*can.* 1224, 1.°, 2.°).

144. **A quibus fiat pro impuberibus**. — Verum pro filio aut filia impubere, etiam post eorum mortem, hanc electionem facere possunt parentes vel tutor (*Ibid.*, 1.°).

Hactenus disputabatur 1.° utrum pater pro filio impubere hanc electionem facere posset, necne, post hujus mortem; 2.° num pro impubere etiam tutor. Cfr. *Ferreres*, Las Cofradías, *nn*. 260-264.

Sed neque alii consanguinei neque heredes sepulturam impuberibus eligere possunt. S. C. Episc. et Reg., 6 febr. 1874; S. C. C., 28 jan. 1864. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n*. 260.

145. **Ecclesiae funerandi jure praeditae**.—I. Ut electio ecclesiae funeris valeat, cadat necesse est *a*) vel in ecclesiam paroecialem, *b*) vel in ecclesiam *regularium*, *c*) vel in ecclesiam juris patronatus, si agatur de patrono, *d*) vel in aliam ecclesiam funerandi jure praeditam (*can.* 1225).

II. Hoc jure *non gaudent* ecclesiae monialium, si agitur de personis communitati extraneis; quae non possunt in his condi sine venia S. C. Religiosorum. Cfr. *Many*, l. c., *n*. 158.

Ibi possunt tantummodo sepeliri mulieres quae famulatus, educationis, infirmitatis aut hospitii causa intra clausuram ejusdem monasterii non precario commorabantur (*can.* 1225).

146. **Forma eligendae sepulturae**. — I. Ecclesiam funeris aut coemeterium sepulturae quis eligere potest per se vel per alium cui legitimum mandatum dederit; factamque electionem aut mandati concessionem quolibet legitimo modo probare licet (*can.* 1226, § 1).

II. Si electio fiat per alium, hic suum mandatum explere potest etiam post mortem mandantis (*Ibid.*, § 2).

Igitur neque mandatum neque electio aliquam definitam formam exigunt: fieri testamento aut (publico privatove) scripto, aut ore tenus possunt; satis est ut de defuncti voluntate constet (1).

Designatio a defuncto facta ecclesiae in qua vult ut sibi absolutiones fiant aequivalet designationi sepulturae in eadem ecclesia (2).

147. **Electio irrita.** — Religiosi et clerici saeculares districte vetantur ne quos ad vovendum, jurandum vel fide interposita seu aliter promittendum inducant ut *apud ipsorum ecclesias funus* aut *apud ipsorum coemeterium sepulturam* eligant, vel factam electionem **non immutent**; quod si contra factum fuerit, electio erit **nulla** (*can.* 1227).

148. **Sepultura electiva.** — *a*) Si electa fuerit *sepultura* in coemeterio diverso a coemeterio propriae defuncti paroeciae, cadaver in illo sepeliendum est, dummodo nihil obstet ex parte eorum a quibus coemeterium pendet (*can.* 1228, § 1).

b) Electa sepultura in coemeterio *religiosorum*, ut cadaver inibi sepeliri queat, requiritur et sufficit consensus Superioris religiosi, ad normam constitutionum cujusque religionis (*Ibid.*, § 2).

ARTICULUS III

DE SEPULTURA GENTILICIA SEU FAMILIAE

149. — I. Si quis, *sepulcrum majorum* in aliquo coemeterio possidens, non electa alibi sepultura, decesserit, in eodem sepeliendus est, si illuc commode asportari possit, aut familia vel heredes illuc transferre velint, solutis expensis, prout illii concedit can. 1218, § 3. (*can.* 1229, § 1). Vide *n.* 140, III.

II. *Uxor*, si sepulcrum non elegit, *a*) in *viri* praemortui sepulcro condenda est, et, si plures habuerit, in sepulcro ultimi; *b*) si vir adhuc vivit, in eo quem sibi vir elegerit vel in hujus gentilicio. *c*) Alias servabitur regula generalis (*Ibid.*, § 2). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 267.

III. *Plura* si sint *majorum* aut *viri* sepulcra, defuncti familia aut heredes locum sepulturae deligent (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS IV

JURA ET OFFICIA PAROCHI ERGA DEFUNCTUM

150. — *Proprius* defuncti parochus non solum *jus* sed etiam *officium* habet, excepto gravi necessitatis casu (ut cum in pestilentia

---

(1) S. C. Episc. et Reg., dec. 1712, transcript. in *n.* 263; *Wernz*, l. c., *n.* 785, adnot. 60; *Bargilliat*, l. c., *n.* 938; *Many*, l. c., *n.* 165.

(2) S. C. Episc. et Reg., 29 jul. 1904. (*Acta S. Sedis, vol.* 37, *pag.* 641 *seq.*). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 268.

numerus cadaverum immodicus est), *a*) levandi per se vel per alium cadaver, *b*) illud comitandi ad suam ecclesiam paroecialem *c*) ibique exsequias persolvendi (*can.* 1230, § 1).

Si defunctus plures habuerit parochos proprios, competit hoc illi in cujus territorio decessit, ad normam can. 1216, § 2 (*Ibid.*) Vide *n.* 139, *b*)

151. **Mors in aliena paroecia**. — Quod si mors acciderit in loco alienae paroeciae, et defunctus sepulturam non elegerit, in propria paroecia tumulandus est, si cadaver ad ecclesiam propriae paroeciae commode asportari possit. Tunc parochi proprii est, praemonito parocho loci, illud levare, comitari ad suam ecclesiam ibique exsequias peragere (*can.* 1230, § 2). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 295.

152. **Funeris ecclesia regularis aut a jurisdictione parochi exempta.** — Si ecclesia funeris est ecclesia regularis aliave exempta a jurisdictione parochi *proprii*, (v. c. alia paroecia), clerus ecclesiae funerantis veniet in defuncti paroeciam, et inde una cum parocho in domum funebrem, unde praeside parocho cadaver usque in ecclesiam transferetur ubi est sepeliendum (*Ibid.*, § 3). Tum vero crux ecclesiae funerantis unica est in funere (*Ibid.*) (Cfr. S. R. C., 23 april. 1895: *Decr. auth.*, *n.* 3854). Si tamen affuerit Capitulum cathedrale aut collegiale, ejus crux erit unica ex privilegio (1), ingredique poterit in ecclesiam funerantem (2).

Recepto cadavere in ecclesia funeris, reliquas exsequias rector ecclesiae celebrare debet (*can.* 1230, § 3): officium defunctorum, Missam de corpore praesente, cadaveris sepulturam, etc. (3).

153. **Ecclesia non exempta a jurisdictione parochi**. — Si vero ecclesia funeris non sit exempta a jurisdictione parochi, celebratio exsequiarum, salvo peculiari privilegio, pertinet *non ad rectorem* ecclesiae funerantis, sed *ad parochum* in cujus territorio ecclesia sita est, dummodo defunctus parocho subjectus fuerit (*Ibid.*, § 4).

154. **Religiosae et novitiae**. — Religiosas et novitias, in religiosa domo defunctas, ad clausurae limen deferre debent aliae religiosae; indeque, *a*) si de religiosis agatur jurisdictioni parochi non obnoxiis, ad propriam religiosae domus ecclesiam vel oratorium deducit et exsequias peragit cappellanus (*Ibid.*, § 5); *b*) si de aliis religiosis, valet praescriptum § 1 (*Ibid.*); *c*) quod vero ad religiosas attinet extra domum defunctas, servabuntur generalia canonum praescripta (*Ibid.*), prout possunt aut non in domum suam commode asportari, etc.

155. **Cardinales aut Episcopi in urbe episcopali defuncti.** —

---

(1) S. R. C., decr. cit., et 17 jun. 1847: *Decr. auth.*, *n.* 2861.

(2) S. R. C., 26 jan. 1641, 8 jun. 1663, 19 jul. 1710, 21 mart. 1779: *Decr. auth.*, *nn.* 732, 1389, 2206, 2342. Cfr. *Ephem. liturg.*, *vol.* 19, *pag.* 540-545.

(3) Clemens X, Const. *Alias pro parte*, 18 jan. 1672; S. R. C., 18 aug. 1629: *Decr. auth.*, *n.* 515; 16 jul. 1664 ad V. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 276, 277.

Defuncto S. R. E. Cardinali aut Episcopo extra Urbem in civitate episcopali, servandum est praescriptum can. 397, 3.° (*Ibid.*, § 6), ideoque vices parochi agentur a dignitatibus et canonicis secundum ordinem praecedentiae. (Vide *vol.* 1, *n.* 697).

156. **Cadaver eo missum ubi nec propriam paroeciam habet nec electivam.** — *a*) Si cadaver mittatur ad locum ubi nec defunctus propriam paroeciam habebat, nec ecclesia funeris legitime fuerat electa, jus levandi cadaver, peragendi exsequias, si peragendae sint, et cadaver ad sepulturam deducendi, pertinet: 1.° ad ecclesiam cathedralem ejusdem loci; 2.° quae si desit, ad ecclesiam paroeciae in qua coemeterium situm est, nisi aliud ferant loci consuetudo aut dioecesana statuta (*Ibid.*, § 7).

b) Si plura coemeteria et paroeciae fuerint, et defunctus coemeterium non elegerit, jus videtur ad paroeciam principem pertinere.

c) Expletis in ecclesia exsequiis, cadaver tumulandum est ad normam librorum liturgicorum in coemeterio ecclesiae funeris, salvis praescriptis can. 1228, 1229 (*can.* 1231, § 1). Vide *nn.* 148, 149.

ARTICULUS V

ELATIO CADAVERIS IN LOCUM SEPULTURAE

157. **Cui competat.** — Qui exsequias in ecclesia peregit, non solum *jus*, sed etiam *officium* habet, excepto gravi necessitatis casu, comitandi per se vel per alium sacerdotem cadaver ad locum sepulturae (*can.* 1231, § 2).

Qua transiri possit. — I. Sacerdos qui cadaver comitetur ad ecclesiam funeris vel ad locum sepulturae, libere transire poterit, cum stola quoque et cruce elevata, per territorium *alius paroeciae* vel *dioecesis*, etiam sine parochi vel Ordinarii licentia (*can.* 1232, § 1).

II. Si cadaver tumulandum sit in coemeterio ad quod *commode* asportari nequeat (vide *can.* 1218, *n.* 140), parochus vel rector ecclesiae funeris nequit sibi vindicare jus illud comitandi extra fines civitatis vel loci suae ecclesiae (*can.* 1232, § 2).

158. **Invitationes ad deducendum cadaver.** — *a*) Quaecumque erit ecclesia funeris, clerici tum saeculares tum regulares aliarum paroeciarum et monasteriorum, item pia sodalitia, etc. possunt invitari ad deducendum cadaver ad ecclesiam funeris et ad sepulturam et assistendum funeri (*can.* 1233, § 1).

b) Haec invitatio, si facta non est a defuncto antequam moreretur, fieri potest ab heredibus, testamenti exsecutoribus, etc., qui-

bus integrum est hos vel illos clericos, sive saeculares sive religiosos, has vel illas sodalitates advocare (1).

c) Nequit parochus sine justa et gravi causa ab Ordinario probata excludere personas aut coetus invitatos (*Ibid.*). Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 316-318.

A familia vel heredibus clerici ipsi ecclesiae addicti prae aliis omnibus invitari debent (*can.* 1233, § 1).

d) Si Capitulum cathedrale advocatum est, coetus alii, etiam parochus et clerus paroecialis, ibunt in cathedralem, ut inde cum Capitulo in domum defuncti venient, praesidente Capitulo. Et ordo clericorum hic erit: post alios sacerdotes ibit parochus sine stola neque pluviali, quem proxime Capitulum sequetur (2).

e) Attamen parochi est cadaver aspergere, praecinere antiphonam *Exsultabunt*, et Missam exsequialem celebrare (3).

f) Nunquam admittendae societates vel insignia religioni catholicae manifeste hostilia (*can.* 1233, § 2), ut sectae massonicae.

159. **Cadaver comitantes.** — Associantes cadaver tenentur morem gerere parocho circa ductum funeris, salvis uniuscujusque praecedentiae juribus (*Ibid.*, § 3).

160. **Cadaver laici ne a clericis deferatur.** — Laici cadaver, generis aut dignitatis cujusvis ille fuerit, clerici deferre non debent (*Ibid.*, § 4).

ARTICULUS VI

INDEX TAXARUM FUNERALIUM

161. — I. *a)* Locorum Ordinarii indicem funeralium taxarum seu eleemosynarum, si non exsistat, pro suo territorio debent conficere, attentis legitimis consuetudinibus particularibus et omnibus personarum et locorum circumstantiis. *b)* Ad hoc, *consilium* Capituli cathedralis petendum est (*can.* 1234, § 1), et *si opportunum duxerint*, etiam vicariorum foraneorum dioecesis et parochorum civitatis episcopalis (*Ibid.*). *c)* In eo indice pro diversis casibus jura singulorum debent moderate determinari, ita ut quaelibet contentionum et scandali removeatur occasio (*Ibid.*).

II. Si in indice plures classes enumerentur, ut 1.ª, 2.ª, etc., liberum est iis quorum interest (v. gr. heredibus, testamenti exsecutoribus, ipsi defuncto ante mortem) classem eligere (*Ibid.*, § 2).

Cum in **Hispania** haec jura, juxta Concordatum, pars sint dotationis parochorum (vide *vol.* I, *n.* 760, IV), haec fortasse amplitudo non semper apud nos concedatur.

---

(1) S. R. C., 14 jan. 1640: *Decr. auth., n.* 626; S. C. Conc., 19 nov. 1904: *Acta S. Sedis, vol.* 37, *pag.* 590-594.

(2) S. R. C., 23 april. 1895, *n.* 3: *Decr. auth., n.* 3854; *Soláns,* Manual litúrgico, *vol.* 2, *n.* 534.

(3) S. R. C., 12 sept. 1857: *Decr. auth., n.* 3062. Cfr. *Ferreres,* l. c., *nn.* 320, 321.

Indices taxarum non solum distinguere solent diversas classes (tres saltem, quattuor etiam, immo quinque), sed haec ipsae solent etiam inter se differre, attentis paroeciis urbis praecipuae, termini, ascensus, ingresus, ruralibus. Vide, v. c., Synodum Matritensem, Ordinationem et circumscriptionem paroecialem (*Arreglo parroquial*) Valentinam, etc.

III. Districte prohibetur ne quis, sepulturae vel exsequiarum seu anniversarii mortuorum causa, quidquam *exigat* ultra id quod in dioecesano taxarum indice statuitur (*can.* 1235, § 1).

IV. Pauperes gratis omnino ac decenter funerandi et sepeliendi sunt, cum exsequiis, secundum liturgicas leges et dioecesana statuta, praescriptis (*Ibid.*, § 2).

ARTICULUS VII

DE PORTIONE PAROECIALI

162. **Quando solvenda est.** — I. Salvo jure particulari, quoties fidelis *non* funeratur in ecclesia *paroeciali propria*, proprio defuncti parocho debetur **portio paroecialis** (*can.* 1236, § 1).

II. Portio igitur paroecialis, quae hactenus *quarta funeraria* vulgo dicebatur, solvenda est cum defunctus sepultus erit extra propriam paroeciam, v. gr. *a*) quia in illa sepulturam elegit, aut *b*) erat ei familiae sepulcrum, aut *c*) sodalitii (*canonicorum, beneficiatorum*).

163. **Cui et a quo solvenda est.** — I. Portio paroecialis proprio parocho solvitur ab ecclesia ubi sepultura habita est, non a defuncti heredibus. Cfr. *Ferreres*, Las Cofradías, *n.* 271.

II. Si quis habeat plures paroecias proprias ad quas cadaver *commode* deferri possit, et alibi funeretur, portio paroecialis dividenda est inter omnes parochos proprios (*can.* 1236, § 2).

Quod si in earum aliqua mortuus erit in eaque exsequiae celebrentur atque sepultura, nihil haec ceteris debet solvere (*Ibid.*).

Canonicum fundamentum. — Finis hujus praescriptionis, quae jam reperitur in Decretalibus, *lib.* III, *tit.* 28, est ut juribus exsequiarum sive funeralibus parochus remunerationem aliquam juste debitam accipiat propter sua erga defunctum officia: cum vero, si defunctus in aliena paroecia sepeliatur, maxima pars emolumenti exsequiarum huic paroeciae obveniat; jus igitur ipsam jubet proprio parocho *quartam funeralem* solvere, quo aliqua datur compensatio ob amissa funeris jura. *Ferreres*, l. c., *n.* 270.

164. **Quando non solvenda.** — *Non est solvenda:* 1.° cum cadaver in ecclesiam propriae paroeciae commode transportari nequit (*can.* 1236, § 1), ex dictis in can. 1218 (vide *n.* 140). Antiquitus etiam in hoc casu portio paroecialis erat solvenda.

2.° Cum, lue grassante, ut morbo asiatico sive cholera, sine ulla religiosa caeremonia defuncti sepeliuntur, cessat ex ipsa rerum natura obligatio solvendi jura funeris aut sepulturae, etc. *Acta S. Sedis, vol.* 5, *pag.* 127; *Aichner*, Comp. jur. can., § 127, *nota* 23; *Many*, De locis sacris, *n.* 165. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 279.

Quaeritur. *Si defunctus ibi exspiraverit unde in propriam paroeciam transportari commode non possit, in illam autem a familia transfertur, uti permittit* § 3 *can.* 1218 (vide *n.* 140, III), *quae erunt proprii parochi jura, quae parochi territorii defunctionis?*

Resp. Nihil aperte Codex; at ex analogia cum antiqua disciplina videtur dicendum, si a familia in utraque paroecia exsequiae celebrentur, utriusque juribus fieri satis; si tantum in propria paroecia fiant, alteri ab hac solvendam portionem paroecialem (1).

165. **Portio paroecialis unde detrahenda.** — I. Detrahi debet portio paroecialis ex omnibus et solis emolumentis, quae statuta sunt pro funere et tumulatione in taxa dioecesana (*can.* 1237, § 1).

Non est igitur detrahenda ex legatis Missarum alicui definite factis, neque ex factis ecclesiae in qua sepulturam defunctus elegit, neque ex iis quae paramentis, fabricae, anniversario, diei septimo, etc. assignavit. Cfr. *Ferreres*, Las Misas manuales, *nn.* 132-152.

II. Si quacumque de causa primum solemne officium funebre non statim, sed *intra mensem* completum a die tumulationis fiat, licet hoc die non defuerint minora publica officia, qualia sunt Missae lectae, responsa, etc., portio tamen paroecialis ex hujus etiam funeris emolumentis debetur (*can.* 1237, § 2).

Inde sequitur: 1.° non esse quartam funerariam solvendam, si hoc solemne officium publicum fiat post mensem a defuncti sepultura transactum; 2.° posse hoc solemne officium, quod communiter est Missa solemnis cum officio defunctorum vel sine eo, etc., in quocumque templo celebrari etiam quod defunctus ad suum funus et sepulturam non elegerit.

166. **Quantitas portionis paroecialis.** — I. Quantitas portionis paroecialis determinanda est in taxa dioecesana (*Ibid.*, § 3).

Non igitur jure communi definitur, neque erat antea definita, etsi solebat *quarta* funebris appellari.

II. Si ecclesia paroecialis et ecclesia funerans ad diversas dioeceses pertineant, quantitas portionis paroecialis attenditur secundum taxam ecclesiae funerantis (*Ibid.*).

167. **Adnotatio defunctionis et sepulturae.** — Expleta tumulatione, minister ecclesiasticus in libro defunctorum debet describere nomen et aetatem defuncti, nomen parentum vel conjugis, tempus mortis, quis et quae Sacramenta ministraverit, locum et tempus tumulationis (*can.* 1238).

---

(1) Cfr. S. R. C., 14 jun. 1845: *Decr. auth., n.* 2889; *Bargilliat, n.* 934; *Ferreres,* Las Cofradías, *nn.* 272, 273. Vide tamen *Acta S. S., vol.* 40, *pag.* 690 *seq.; vol.* 5, *pag.* 613, *n.* IX.

CAPUT III

DE IIS QUIBUS SEPULTURA ECCLESIASTICA CONCEDENDA EST AUT NEGANDA

168.—I. Ad sepulturam ecclesiasticam non sunt admittendi qui sine baptismo decesserint (*can.* 1239, § 1), licet sint infantes, filii parentum catholicorum.

II. *Catechumeni* (i. e. adulti qui se instruendo ad baptismi receptionem praeparabantur), qui nulla sua culpa sine baptismo moriuntur, (in hoc) baptizatis accensendi sunt (*Ibid.*, § 2); *voti* enim *baptismum* qui dicitur acceperunt.

III. Omnes baptizati sepultura ecclesiastica donandi sunt, nisi eadem *a jure expresse priventur* (*Ibid.*, § 3).

IV. Ecclesiastica sepultura **a jure privantur**, nisi ante mortem *aliqua* dederint poenitentiae *signa:*

1.° *a*) Notorii **apostatae** a christiana fide, aut *b*) sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve ejusdem generis societatibus notorie addicti;

2.° Excommunicati vel interdicti per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam;

3.° Qui se ipsi occiderint deliberato consilio;

4.° Mortui in duello aut ex vulnere inde relato (1);

5.° Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi;

6.° Alii peccatores publici et manifesti (*can.* 1240, § 1).

169. **Casus dubii.** — Occurrente praedictis in casibus aliquo dubio, consulendus, si tempus sinat, Ordinarius (*Ibid.*, § 2); v. gr. si qui manus sibi violentas injecit erat, necne, sui compos, si dubitatur an defunctus dicendus sit peccator publicus et manifestus, an signa poenitentiae dederit, etc. Et mandato Ordinarii standum.

Si tempus deest ut ab eo consilium petatur, petitove consilio, dubium permanet, cadaver sepulturae ecclesiasticae tradendum est, ita tamen ut removeatur scandalum (*Ibid.*), v. c., allatis rationibus propter quas sepultura conceditur, aut declarando Ecclesiam poenas non imponere, nisi certo de delicto atque de emendationis defectu, etc. constet.

Ratio ecclesiasticae sepulturae concedendae baptizatis de quibus dubitatur an privatione juris comprehendantur est, quia privatio haec poena est; poenae autem non sunt ab aliquo expetendae, nisi *certo* constet illis eum esse dignum.

---

(1) In hoc etiam Codex immutat praescriptum Ritualis, *tit.* 6, *cap.* 2, *n.* 4, quod mortuis in duello sepulturam negabat, *etiamsi ante mortem signa poenitentiae dedissent.* Vide edit. typ., *pag.* 135, ann. 1913.

Excluso ab ecclesiastica sepultura sunt quoque deneganda tum quaelibet Missa exsequialis, etiam anniversaria, tum alia publica officia funebria (*can.* 1241).

Si fieri sine gravi incommodo queat, cadaver excommunicati *vitandi* qui, contra canonum statuta, sepulturam in loco sacro obtinuit, exhumandum est, servato praescripto can. 1214, § 1 (super venia Ordinarii ad exhumationem), et in loco profano de quo in can. 1212, reponendum (*can.* 1242). Vide *nn.* 131 et 137.

De coemeteriis et ecclesiastica sepultura cfr. *Reig y Casanova*, (Episcop. Barcinonens.), Cuestiones canónicas, *pag.* 235-319; *Mach-Ferreres*, l. c., *nn.* 579-582 (*pag.* 479-504, *vol.* 2, *ed.* 14); *López Peláez*, l. c., *pag.* 343 *sig.* (edit. ann. 1917).

SECTIO II

DE TEMPORIBUS SACRIS

TITULUS PRAEVIUS

Principia temporibus sacris communia

170. **Notio.** — *Tempora sacra* sunt dies festi; iisque accensentur dies abstinentiae et jejunii (*can.* 1243).

171. **Institutio.** — Dies festos itemque dies abstinentiae et jejunii, universae Ecclesiae communes, constituere, transferre, abolere, unius est supremae ecclesiasticae auctoritatis (*can.* 1244, § 1), i. e., Sedis Apostolicae.

Ordinarii locorum peculiares, *a*) sed tantum suis dioecesibus seu locis, dies festos aut dies abstinentiae et jejunii possunt, *b*) per modum tantum actus indicere (*Ibid.*, § 2); non autem per modum legis perpetuae.

Antiquitus poterant etiam hos dies instituere non solum per modum actus, sed more legis etiam perpetuae, in sua tamen dioecesi; nam extra illam nunquam auctoritate praediti fuere. Vide *n.* 177.

172. **Dispensationes.** — I. Non solum Ordinarii locorum, sed etiam parochi, *in casibus singularibus justaque de causa*, possunt subjectos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinos dispensare (*can.* 1245, § 1).

Haec autem dispensatio est sive ab observantia festorum itemque abstinentiae et jejunii sive ab utraque simul lege (*Ibid.*). Vide *vol.* 1, *n.* 191, *quaesit.* 2, et 193, *quaesit.* 6.

II. Ordinarii, ex causa peculiari magni populi concursus (ut in festis centenariis, in expositione, etc.), aut publicae valetudinis (ut *pestilentia invadente*), possunt totam quoque dioecesim seu locum a jejunio et ab abstinentia vel etiam ab utraque simul lege dispensare (*Ibid.*, § 2).

In religione clericali exempta eandem dispensandi potestatem habent Superiores ac parochi quoad jejunia, abstinentias et festa. Dispensatio refertur ad personas, de quibus in can. 514, § 1 (*Ibid.*, § 3). Hae autem personae sunt: *a*) religiosi subditi, etiam novitii, *b*) alii in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii. Vide *vol.* 1, *n.* 820, I.

173. **Supputatio horum dierum.** — Supputatio diei festi, itemque diei abstinentiae et jejunii, facienda est a media nocte usque ad mediam noctem, salvo praescripto can. 923 (*can.* 1246), scil. ad indulgentiam lucrandam alicui diei affixam, qui dies supputatur a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem quae statutum diem claudit.

TITULUS XIII

De diebus festis

174. **Qui et quot dies festi.** — I. Dies festi sub praecepto in universa Ecclesia praeter dominicos sunt *decem: quinque* Christi Domini, *duo* B. Mariae, *tres* Sanctorum, i e., festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, sancti Joseph ejus sponsi, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum (*can.* 1247, § 1).

II. Ecclesiastico praecepto a populo servando dies festi *Patronorum* non subjacent; locorum autem Ordinarii possunt solemnitatem exteriorem transferre ad dominicam proxime sequentem (*Ibid.*, § 2). Haec translatio est mere liturgica, quam vide sodes apud *Mach-Ferreres*, Tesoro del Sacerdote, *vol.* 1, *pag.* 760, *n.* [314].

Patronus loci aut provinciae, etc. est ille Sanctus (non potest esse aliquod mysterium), quem ut specialem advocatum incolae illius loci aut provinciae, etc. sibi delegerunt, expresse consentiente ecclesiastica auctoritate. Titulus ecclesiae potest esse idem qui loci Patronus vel diversus (1).

---

(1) Cfr. *Ferreres,* Comp. Theol. mor., *vol.* 1, *n.* 581 (edit. 8.ª, 1917); *Coppin-Stimart, n.* 122; *Many,* De locis sacris, *n.* 20; *Piacenza,* Rubr. expositio, *vol.* 1, *pag.* 89; *Soláns,* Prontuario lit., *part.* 1, *sect.* II, *c.* 11 et 12; *Ephem. liturg., vol.* 18, *pag.* 115 *seq.*; *Ferreres,* El Breviario, *n.* 351.

III. Sicubi aliquod festum ex decem enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovandum (*can.* 1247, § 3).

175. **Festorum contractio.** — Tota haec festorum imminutio innititur in *Motu proprio* Pii X, *Supremi disciplinae*, 2 jul. 1911; variatur tamen in nonnullis.

176. **Ejus fundamenta.** — Hujus reductionis causae sunt: *a*) Ecclesiae disciplinam hac in re uniformem reddere, quoad fieri potest, cum aetate nostra tam sit facilis regionum aliarum, etiam remotissimarum, cum aliis communicatio; *b*) industriae favere commercioque, quae festorum intermissione aliquid detrimenti capere possunt; *c*) praeterea ne pauperibus diurnae mercedis omissione noceatur qui suo labore victui quotidiano debent providere, cui vix possunt aliquando, cum annona in dies ingravescat.

177. — Similes causas pro pauperibus Urbanus VIII in festis imminuendis allegavit, Constitut. *Universa*, 13 sept. 1642 (*Bull. Rom. Taurin., vol.* 15, *pag.* 206). Ultra haec, tum plurima erant festa, diversa etiam in diversis regionibus, quorum non pauca fuerant inducta devotione privata populorum ita ut saepe de eorum obligatione dubitaretur eorumque observatio ob multitudinem negligeretur: «Pietatis fervore ob nimiam eorumdem numerositatem tepescente.» Sed tamen festa ab Urbano VIII relicta plurima nobis videntur. Ne vero illa Ordinarii augerent, idem Pontifex, l. c., necessitatem extulit nullius festi novi inducendi.

Hujus constitutionis causa haberi coepta est, saltem practice, R. Pontifici reservata facultas festorum denuo instituendorum, etiam in aliqua solum natione aut dioecesi. Vide praeterea decreta S. R. C., 23 jan. 1703, et S. C. Conc., 22 april. 1719.

Antiquitus Episcopi, ut diximus, et Concilia particularia poterant festa instituere. Hinc eorum diversitas in diversis nationibus necessitasque indices sive catalogos particulares efficiendi. Vide *n.* 171.

178. **Festa quomodo sanctificanda.** — I. Festis de praecepto diebus *a*) Missa audienda est; et *b*) abstinendum ab operibus servilibus, *c*) et actibus forensibus (*can.* 1248).

II. Item est abstinendum, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, a publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus (*Ibid.*).

Legi de audiendo Sacro ubi satisfiat. — Legi de audiendo Sacro satisfacit qui Missae adest quocumque catholico ritu celebretur *a*) *sub dio* aut in quacunque ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico et in privatis coemeteriorum aediculis de quibus in can. 1190; *b*) non vero in aliis oratoriis privatis, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit (*can.* 1249, cum correctione officiali apud *Acta*, IX, *pag.* 557). Vide *n.* 97.

TITULUS XIV

De abstinentia et jejunio

CAPUT I

PRINCIPIA CAPITALIA

179. **Legis abstinentiae natura.** — I. Abstinentiae lex *vetat* *a*) carne *b*) jureque ex carne vesci (*can.* 1250).

II. *Non* autem *vetat* ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium vesci (*Ibid.*).

Notanda. — 1.° Huc usque lex abstinentiae condimenta *ex adipe* prohibebat, et certis diebus *ova* etiam et *lacticinia*.

2.° Nota bene *jus ex carne* ipsi carni aequiparari, ut semper factum est; quare cum caro vetatur, vetatur etiam jus ex carne. Vide *Ferreres*, La nueva Bula de Cruzada, *nn.* 238-247, et *Razón y Fe*, *vol.* 26, *pag.* 501-504; *vol.* 28, *pag.* 234 *seq.*

180. **Legis jejunii natura.** — I. Lex jejunii natura sua *praescribit* ut nonnisi *unica* per diem *comestio* fiat (*can.* 1251, § 1).

II. Sed *non vetat a*) aliquid cibi mane et vespere sumere (*parvitatem* et *collationem*), *b*) servata tamen circa ciborum *quantitatem* et *qualitatem* probata locorum consuetudine (*Ibid.*).

181. **Collatio et parvitas in Hispania et America Latina**. — *a*) Ita in **Hispania** *sine Cruciata* non licebit vesci in parvitate et collatione nisi *vegetalibus*, exceptis dioecesibus aliquibus, ubi consuetudo viget piscibus vescendi. Sed *condimenta* jam sunt licita, quia ex quo permissa sunt locum olei habent. Cfr. *Ferreres*, Comp. Theol. Mor., ed. 8.ª, prima post Codicem, *vol.* 1, *nn.* 613, 614.

b) In **America Latina Insulisque Philippinis** omnibus etiam regularibus permittitur (absque necessitate ulterioris licentiae) vesci lacticiniis, **non** ovis, servata parvitatis lege, ex Indulto 1 jan. 1910.

c) Qui bullam Cruciatam **hispanam** aut **lusitanam** sumpserunt, ova et lacticinia possunt edere.

182. **Legis non permiscendi abolitio.** — Non vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere (*can.* 1251, § 2). Igitur quoties vesci carnibus in esu licet, licet etiam piscibus in eodem. Legem non permiscendi Benedictus XIV tulerat.

Hora prandii et collationis. — Licet serotinam refectionem cum prandio permutare (*Ibid.*).

CAPUT II

ADNOTATIONES HISTORICAE IN CAPUT SUPERIUS

183. **Unica refectio diebus jejunii.** — *a*) Primis Ecclesiae saeculis commune erat diebus jejunii: 1.°, carnem non edere neque vinum bibere; 2.°, unicam refectionem habere (sine collatione et parvitate) sive post horam tertiam vespertinam sive post solis occasum.

b) Aliquibus locis abstinebatur etiam a piscibus omnique condimento et ab ipso oleo. Romae omni jejunio conjuncta erat ovorum et lacticiniorum prohibitio.

c) In Occidente usque ad saec. XI mos est servatus nihil edendi usque ad occasum fere solis. Missa hora Nona, i. e. tertia vespertina, celebrabatur, vesperae post communionem canebantur, ut adhuc fit feria quinta et sabbato Majoris hebdomadae, posteaque prandebatur. Hoc autem prandium cena appellari consuevit, hodieque in mensae benedictione diebus jejunii dicitur adhuc *ad cenam vitae aeternae,* ritusque cenae in omnibus servatur.

d) Saeculo XIII generalis mos erat hora Nona, i. e., tertia post meridiem, prandendi (V. *S. Thom. Aquin.*, 2, 2, *q.* 147, *a.* 7) sine alia refectione (*Ibid., a.* 6); nullibi enim apud S. Doctorem vestigium aliquod collationis aut parvitatis reperitur.

e) Saec. XV coeptum est *meridie* pranderi, at Vesperis jam recitatis. Hinc Vesperarum recitatio ante meridiem in Quadragesima.

f) Accepto more prandendi hora duodecima, coepit admitti collatio nostrae similis.

184. **Collationis origo atque evolutio.** — *a*) Parvitas et collatio, ut sunt apud nos, erant prorsus ignotae primis saeculis, etiam medio XIII, ut dictum est. *V. S. Thom.,* 2, 2, *q.* 147, *a-b.*

b) Collatio a religiosis potissimum inducta est occasione sese congregandi ad lectionem spiritualem in qua sermones sive *collationes* Patrum eremi legebantur; unde nomen desumptum. Primum bibebatur solum, deinde parum cibi additum, *ne potus noceret.*

c) Ne tempus tereretur, ibatur in refectorium ubi habebatur lectio spiritualis, quae aliis diebus fiebat in claustro vel in aula capitulari. Unde hic communitatis actus *collatio* dicta est, et nomen a lectione accepit id quod a potu inceperat. Saec. XIII et XIV collationis hora *hora potationis* adhuc vocabatur; quia cibi quantitas tenuissima erat. Vide *Ferreres,* in *Razón y Fe, vol.* 44, *pag*, 375 *seq.,* ubi totum hoc fuse exponitur.

CAPUT III

DE DIEBUS ABSTINENTIAE ET JEJUNII

185. A) **Disciplina generalis**.—I. Lex **solius abstinentiae** servanda est singulis *sextis feriis* (extra Quadragesimam et Tempora).

II. Lex **abstinentiae** *simul* **et jejunii** servanda est: *a*) feria quarta *Cinerum*, *b*) feriis sextis et sabbatis Quadragesimae, *c*) feriis (IV, VI et sabbato) quattuor Temporum, et *d*) pervigiliis Pentecostes, Deiparae in caelum assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini.

Lex **solius jejunii** servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus (*can.* 1252, § 1-3) seu feriis.

B) **Ex Cruciata Hispaniae et Lusitaniae.** — Iis qui legitime sumpserint bullam Cruciatam in Hispania aut Lusitania:
I. Dies **solius abstinentiae** sunt: feriae sextae quattuor Temporum.
II. **Jejunii et abstinentiae:** *a*) feriae sextae Quadragesimae, *b*) tres vigiliae, Pentecostes, Deiparae in caelum assumptae et Nativitatis Domini.
III. **Jejunii sine abstinentia:** feriae quartae et sabbata Quadragesimae.
C) In **America Lat.** et **Ins. Philippinis** (1). — I. Dies **solius abstinentiae:** quattuor pervigilia, Pentecostes, Deiparae in caelum assumptae, SS. Apost. Petri et Pauli (28 jun.) et Nativitatis Domini.
II. **Jejunii et abstinentiae:** feria quarta Cinerum, feriae sextae Quadragesimae et feria quinta Majoris hebdomadae.
III. **Solius jejunii:** feriae sextae Adventus et feriae quartae Quadragesimae.

186. **Quid si jejunium et abstinentia in diem dominicum vel festum incidant.** — Diebus dominicis vel festis de praecepto lex abstinentiae, vel abstinentiae et jejunii, vel jejunii tantum cessat, excepto *festo* tempore *Quadragesimae*, nec pervigilia anticipantur; immo lex jejunii et abstinentiae cessat *Sabbato Sancto* post meridiem (*Ibid.*, § 4, cum correctionibus officialibus apud *Acta*, IX, *pag.* 557 et 589).

Adnotationes: 1.ª In locis vero ubi aliquod ex illis decem festis non observatur (v. gr. in Gallia, Belgio, **Philippinis, Cuba,** Statibus Foederatis Americae Septentrionalis), dispensatio illa non valet nisi pro festis quae de facto observantur (S. C. C., 28 aug., 1911. Cfr. *Ferreres,* in *Razón y Fe, vol.* 32, *pag.* 239 *seq.*). Contra ubi aliud festum restitutum vel concessum sit, etiam pro illo valet praedicta dispensatio, nisi festum incidat in *Quadragesimam*. S. C. C., 21 nov. 1912.
2.ª Cum Nativitas Domini aut festa S. Petri et S. Pauli, etc. in feriam secundam incidunt, neque abstinentia neque jejunium obligant.
3.ª Vi Cruciatae **hisp.** ac **lusit.** pervigilium Nativitatis semper quoad **jejunium** et **abstinentiam** anticipatur, ac remittitur ad sabbatum proxime praecedentium Quattuor Temporum; sed si Nativitas incidat in diem lunae, illo anno non anticipatur, sed supprimitur.

187. **Indulta particularia.** — His canonibus nihil immutatur de indultis particularibus (*can.* 1253) quae aliqua persona physica vel moralis (populus, provincia, natio, etc.) a S. Sede acceperit. Quare Cruciata hispana et lusitana, indulta Americae Lat. et Philippinarum, etc., stant et vigent.

188. **Jejunia constitutionis, voti, etc. causa.** — Nihil etiam immutatur de votis cujuslibet personae physicae vel moralis, de constitutionibus ac regulis cujusvis religionis vel instituti approbati sive virorum sive mulierum in communi viventium etiam sine votis (*Ibid*). Sic jejunia et abstinentiae ex regula in religiosis institutis nunc, ut antea, servanda.

---

(1) Ex Indulto 1 jan. 1910, ad decennium concesso.

189. **Quinam legibus abstinentiae et jejunii obligentur.** — *a) Abstinentiae* lege tenentur omnes qui *septimum* aetatis *annum expleverint* (*can.* 1254, § 1); *b)* Lege *jejunii* adstringuntur omnes *ab expleto vicesimo primo* aetatis anno *ad inceptum sexagesimum* (*Ibid.*, § 2). Servatur hic antiqua disciplina, quae tamen non expresse declaraverat incepto anno sexagesimo jejunii obligationem exspirare. Neque novum jus quaestionem de feminarum aetate dirimit, sc. utrum quinquagesimo excusentur, necne.

CAPUT IV

DE CAUSIS DISPENSANDI A JEJUNIIS ET ABSTINENTIIS

190. — Ex iis quae nuper diximus constat Codicem magnopere jejunium et abstinentiam mitigasse, suppressis etiam aliquibus jejuniis abstinentiisque non paucis. Quae mitigatio multo est major tam vi Cruciatae in Hispania et Lusitania quam Indulti in America latina et Philippinis.

191. — *a)* Harum dispensationum causa non est solum pietatis, ut nonnullis videtur, defectus, ac neglectio poenitentiae; verumtamen alia sunt gravissima fundamenta ob quae plerisque fit fere moraliter impossibilis lex antiqua jejunii, quae, quod ad priscos attinet, haud difficilis videtur fuisse. His causis sunt sine dubio attribuendae plures petitiones pro mitigationibus et dispensationibus S. Sedi factae. Quibus etiam permotus coetus medicorum catholicorum doctissimorumque Apostolicae Sedi ante aliquot annos exposuit id quod et scientia et experientia hac super re edocti erant.

b) Haec fundamenta revocari possunt *ad majorem aetatis nostrae temperamentorum debilitatem*, qua cogimur ad cibum adhibendum *minore quantitate, frequentia majore.* Unde mutatio, quam jejunium affert in cibo sumendo, valetudini favere nullo modo potest; sed plurimum obesse. Ut causae simul concurrentes possunt numerari *agitatio* seu *turbo vitae nostri temporis* et *vitiosior natura nostrorum ciborum.*

Quod mutatio *in cibo adhibendo,* maxime si non quasi per gradus inducatur, sed repentino, sit contraria valetudini, jam ab Hyppocrate est affirmatum, qui asserit sua aetate semel bisve in die edi solitum. A nostratibus editur ter, quater, etiam quinquies, juxta diversarum regionum mores. Manifestum est jejunium facillimum esse debuisse iis qui semel in die alebantur, non iis difficile qui bis; mutatio enim minus illis quam nobis erat notabilis.

Major in sumendo cibo frequentia stomachorum debilitati debetur, qui cibum ad vitam necessarium singulis aut binis esibus concoquere seu digerere non possunt.

Hanc materiam vide fuse a nobis tractatam in *Razón y Fe, vol.* 44, *pag.* 518 *seq.; vol.* 46, *pag.* 518 *seq.; vol.* 47, *pag.* 105 *seq.*

PARS III

De cultu divino

TITULUS PRAEVIUS

Principia generalia

CAPUT I

DE CULTU ET LITURGIA GENERATIM

192. **Cultus.** — Dicitur *cultus* honor alii exhibitus cum summissione ad superiorem ejus excellentiam.

Adoratio. — *a*) *Adoratio*, sensu *latiore* sumpta, est honor qui alicui tribuitur ratione dignitatis, sive actio qua aliquis alicui exhibet summissionem tanquam ejus excellentiae testimonium. Idcirco principes aliique dignitate conspicui aliquo sensu dicuntur adorari, itemque ii qui maxime ab aliis diliguntur (1). Hac significatione *adoratio* et *cultus* possunt haberi synonyma.

b) At sensu *strictiore* adoratio est honor qui Deo ut Deo tribuitur, i. e., ob summam ejus excellentiam supremumque dominium.

193. *a*) **Divisio**. — Cultus **latriae**, **duliae** et **hyperduliae**. — Hac de causa distinguitur cultus: 1.° *latriae*, qui soli debetur Deo, scil. Sanctissimae Trinitati, singulis ejusdem Personis; Christo Domino, etiam sub speciebus sacramentalibus (*can.* 1255, § 1).

2.° *huperduliae*, qui debetur Beatae Mariae Virgini (*Ibid.*).

3.° *duliae*, qui angelis et aliis cum Christo in caelo regnantibus (*Ibid.*).

Cultus latriae debetur Deo: 1.° jure naturae propter summam ipsius majestatem supremumque in omnes creaturas dominium; 2.° jure divino positivo, quod innumerabilibus S. Scripturae locis comprobatur, ut Matth., 4, 10: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*

---

(1) Cfr. *S. Thomas*, 2, 2, *q.* 103, *art.* 1 et 2; *Suárez,* De Incarn., *disp.* 51, *n.* 1 *seq.; Pesch,* De Verbo Incarn., *n.* 189 *seq.*

194. *b*) **Cultus directus et relativus.** — Praeterea cultus est *directus* aut *relativus*, prout tribuitur Deo ipsi et Sanctis, aut imaginibus aliisque objectis quae ad illos referantur.

Quapropter canon 1255, § 2, sic statuit: «Sacris quoque reliquiis atque imaginibus veneratio et cultus debetur *relativus* personae ad quam reliquiae imaginesque referuntur.»

Ergo cultus *directus* personis tribuitur, relativus rebus *ratione* excellentiae *personae* quacum specialem habent relationem aut connexionem (Cfr. *Suárez,* l. c., *disp.* 51, *sect.* 3). Quia cultus summissionem supponit, homo autem nequit secundum rationem se rebus subjicere, cum sit ipsis natura sua superior, hinc est quod cultus proprie tantum personis tribui potest. Quod si rebus tribuatur, hoc fit ratione personarum.

c) **Publicus et privatus etiam potest esse.** — Cultus, si deferatur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione Deo, Sanctis ac Beatis tantum exhibendos, dicitur *publicus;* sin minus, *privatus* (*can.* 1256).

195. **Liturgia Pontifici reservatur.** — Unius Apostolicae Sedis est *a*) tum sacram ordinare liturgiam, *b*) tum liturgicos approbare libros (*can.* 1257), quod non solum de latina liturgia, sed etiam de orientali intelligendum est. Vide *vol.* 1, *n.* 215 *seq.;* 529, *adnot.*

Libri liturgici sunt quinque: *Missale*, *Breviarium* cum *Martyrologio* (1), *Rituale*, *Pontificale* et *Caeremoniale Episcoporum.*

196. **Adnotationes historicae.** — *a*) Christiana liturgia cum evangelica praedicatione exorta est, atque ex temporum locorumque adjunctis evoluta et absoluta eis.

b) Initio Praelati eam immutabant cum opportunum, prout gloria Dei et bonum Ecclesiae id postulabat, videbatur; unde magna diversitas etiam in ecclesiis ejusdem nationis orta est. Et quanquam RR. Pontifices aliquas immutationes identidem inducebant, non tamen curabant ut in tota Ecclesia admitterentur, neque rituum aut caeremoniarum diversitatem rejiciebant, quin imo probabant hanc varietatem in divino cultu.

c) Cum, saeculo VI exeunte, S. Augustinus monachus in Britanniam missus esset, christianam doctrinam in ea praedicaturus, per Gallias iter faciens, liturgiae novitate, a romana cum primis diversae, permotus est. Quare ad S. Gregorium Papam qui eum miserat scripsit, consulens quid sibi in Britannia faciendum esset in tanta rituum diversitate, quam, cum fides una eademque esset, vehementer admiratus erat.

d) Cui Pontifex respondit hanc sibi varietatem probari, addiditque ut ipse quod Deo esset gratius ex iis quae Romae aut in Gallia vel alibi vidisset seligeret, idque in Britanniam asportaret. Cfr. *Ferreres,* El impedimento de clandestinidad, *nn.* 200, 202.

e) Temporis autem decursu visum est ut una esset liturgia ad fidei unitatem magis magisque firmandam et ad schismata haeresesque praecavendas; utque id consequerentur RR. Pontifices vehementer enixi sunt. *Ibid. n.* 203.

---

(1) Super Martirologio vide *Rossi-Duchesne,* Martyrologium hieronymianum; *Quentin,* Martyrologes historiques du moyen âge (Parisiis, 1908).

f) Concilium Tridentinum magnopere R. Pontifici commendavit ut accurate libri liturgici corrigerentur, praesertim Breviarium et Missale, et sacra tandem liturgia una fieret. Vide *Ferreres,* El Breviario y las nuevas Rúbricas, *vol.* I, *nn.* 175 *seq.,* 182 *seq.,* 309 *seq.*

CAPUT II

DE COMMUNICATIONE CUM ACATHOLICIS

197. **Communicatio cum acatholicis:** *a*) **in sacris.** — Haud licitum est fidelibus quovis modo *active* assistere seu partem habere in sacris acatholicorum (*can.* 1258, § 1).

b) **In mixtis.** — *Tolerari* potest praesentia *passiva* seu mere materialis, *civilis* officii vel honoris causa, *ob gravem rationem* (ab Episcopo in casu dubii probandam), in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque solemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit (*Ibid.*, § 2).

198. — Communicatio *in sacris cum acatholicis* non solum jure ecclesiastico sed etiam naturali prohibetur ob nocumentum quod catholicae religioni potest obvenire, ob perversionis periculum in catholicis itemque scandali quod praebetur; tandem quia haec communicatio remissionem languoremque animi fovet in materia religiosa. Cfr. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 10, *a.* 9.

Strictior est prohibitio cum *ethnicis* communicandi ob superstitionis periculum.

Vetita etiam est utroque jure iisdemque de causis in rebus *mixtis* communicatio, quae tamen *gravi* de causa et cum limitationibus § 2 *toleratur.* Vide inferius *can.* 1374 nostrumque *Compend. Theol. mor., vol.* 1, *nn.* 292, 293.

CAPUT III

DE ORDINARIO QUOD AD LITURGIAM SPECTAT

199. **Orationes et pietatis exercitia.** — I. *Orationes* et *pietatis exercitia* ne permittantur in ecclesiis vel oratoriis sine revisione et expressa Ordinarii loci licentia (*can.* 1259, § 1).

II. Qui in casibus difficilioribus rem totam Sedi Apostolicae debet subjicere (*Ibid.*).

III. **Litaniae.** — Loci Ordinarius nequit novas *litanias* approbare *publice* recitandas (*Ibid.*, § 2).

200. — Verbum *litaniae* a graeco λιτανεύειν oritur, quod sonat

precari, *rogare*, et idem est ac *preces*, *supplicationes*. Quae laudandae Deiparae gratia post Rosarium recitari solent dicuntur *lauretanae*, quia in sancta domo Lauretana singulis sabbatis canuntur a priscis jam inde temporibus, ex qua in totum terrarum orbem dimanarunt.

201. **Adnotationes historicae.** — *a*) Cum per Bullam *Reddituri*, 11 jul. 1587, Sixtus V indulgentias concederet iis qui litanias B. Virginis recitarent, non solum antiquae prelo saepe datae sunt, verum etiam novae *inventae;* quo factum est ut invocationes facile adderentur quae aut apertos errores aut notiones ab Ecclesiae sensu aberrantes non semel continerent. Ut huic vitio mederetur Clemens VIII decreto S. Officii 6 sept. 1601 prohibuit quominus sine S. Rituum Congregationis approbatione vulgarentur publiceque recitarentur aliae litaniae quam communes, sive Sanctorum, et lauretanae. Cfr. *Ferreres,* in *Razón y Fe, vol.* 6, *pag.* 510 *seq.*

b) Die 2 sept. 1727, quod videret S. Indicis Congregatio decretum Clementis VIII negligi, in eo exsequendo institit, prohibuitque ne litaniae non approbatae typis vulgarentur, poenis confirmatis, quas Clemens VIII statuerat, et in Indice librorum prohibitorum continebantur.

c) Benedictus XIV, ulterius etiam progressus, anno 1757 generalibus Indicis regulis eam addidit qua litaniae non probatae proscribuntur eodem modo quo libri prohibiti.

d) Igitur sine S. Sedis licentia aliae litaniae quam communes et lauretanae publice recitari non poterant neque edi, neque privatim legi aut servari secundum regulam X Indicis tunc vigentis. Cfr. *Index lib. prohib.*, *pag.* XVII (Romae, 1877).

e) Quae prohibitio a Pio VII confirmata est, qui 3 aprilis 1821 quascumque litanias alias etiam manuscriptas colligi jussit.

202. **Disciplinae mutatio.** — *a*) Circiter annum 1880 approbatio litaniarum *publice* recitandarum S. Congregationi reservata fuit, Episcopis vero earum quae *privatim* recitantur, quod etiam nunc valet post Codicem promulgatum.

b) Ordinarii revisio et approbatio usui tantum privato licitam reddit *editionem.*

c) Hic notandum est etiam *non approbatas* minime usui privato prohiberi. *Vulgatio* tantum prohibetur.

d) Ad *usum publicum* et *privatum* quod attinet id animadvertatur, eas quae ad usum publicum non sint probatae, a pluribus fidelibus neque recitari neque cani posse in templis aut oratoriis publicis vel semi-publicis, neque in solemnitatibus sive liturgicis, sive non liturgicis, etiam clausis januis (20 jun. 1896, 11 febr. 1898: *D. auth.*, *nn.* 3917, 3980) etiamque nullo ecclesiastico, uti tali, intercedente; sed non prohibetur earum solius unius personae in iisdem locis recitatio aut cantus (1), quin alius eamdem personam comitetur aut illi respondeat in cantu aut in recitatione.

203. **Independentia auctoritatis ecclesiasticae**. — Ecclesiae

(1) Vide decreta 20 jun. 1896, 11 feb. 1898: *D. auth., nn.* 3916, 3981. Cfr. *Ferreres,* in *Razón y Fe, vol.* 24, *pag.* 237-239.

ministri in cultu exercendo unice a Superioribus ecclesiasticis dependent (*can.* 1260). Consequitur hoc independentiam Ecclesiae, probatam in *vol. I*, *nn.* 38-57.

204. **Ordinarii in re liturgica vigilantia.** — I. Locorum Ordinarii advigilare debent *a*) ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur, *b*) et praesertim 1.° ne in cultum divinum sive *publicum* sive *privatum* aut in quotidianam fidelium vitam superstitiosa ulla praxis inducatur, 2.° aut quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis quaestus speciem praeseferens (*can.* 1261, § 1).

II. Si loci Ordinarius leges pro suo territorio hac in re tulerit, etiam *religiosi* omnes, *exempti* quoque, obligatione tenentur easdem servandi; et Ordinarius potest eorundem ecclesias vel publica oratoria in hunc finem (urgendi exsecutionem) *visitare* (*Ibid.*, § 2).

CAPUT IV

DE FIDELIBUS IN TEMPLO

205. I. **Sexuum separatio.** — Optandum ut, congruenter antiquae disciplinae, mulieres in ecclesia separatae sint a viris (*can.* 1262, § 1) (1).

II. **Viri nudato capite esse debent.** —Viri in ecclesia vel extra ecclesiam, dum sacris ritibus assistunt (v. gr. processionibus, termini benedictionibus) nudo capite esse debent, nisi aliud ferant probati populorum mores aut peculiaria rerum adjuncta (*Ibid.*, § 2). Peculiaria adjuncta esse possunt, v. gr. in deferendo Viatico imber, ventus, maxime in solitudine.

III. **Mulieres tecto capite decenterque vestitae.** — Mulieres autem, capite cooperto et modeste vestitae esse debent, maxime cum ad mensam Dominicam accedunt (*Ibid.*).

Viros in ecclesia interesse nudo capite, velato mulieres jam a S. Paulo praescriptum est (I *Cor.*, 11, 4 *seq.*); alicubi tamen caput a viris cooperiri signum est urbanitatis.

Feminis et non viris modestia in vestitu praescribitur, quia saepe ab illis solis in eam peccatur, quod sane dolendum maxime est.

206. **Magistratibus locus specialis.** — Potest magistratibus (civilibus, militaribus, judicialibus, etc., cum adsunt ut tales), pro

---

(1) De antiqua disciplina vide *Marucchi,* Éléments d'Archéologie chrétienne, III, *pag.* 21(Rome, 1902).

eorum dignitate et gradu, locus in ecclesia esse distinctus, ad normam legum liturgicarum (*can.* 1263, § 1).

Haec distinctio potius auctoritati quam personae conceditur; hic autem locus deberet extra presbyterium esse, quod clericorum est proprium; sed multis in regionibus mos est probatus, ut magistratus sacris adsint in presbyterio.

207. I. **Privatis ne sit locus specialis.** — Sine expresso Ordinarii loci consensu nemo fidelis (e particularibus) locum habere potest in ecclesia sibi suisque reservatum (*Ibid.*, § 2). Ergo parochi licentia non sufficit.

II. Ordinarius autem consensum non praebebit, nisi ceterorum fidelium commoditati sit sufficienter consultum (*Ibid.*).

III. Ea semper factis in concessionibus inest tacita condicio, ut Ordinarius possit, *ex justa causa*, concessionem revocare, non obstante quolibet temporis decursu (*Ibid.*, § 3), a concessione transacti.

208. — Ecclesia est hodie fuitque semper institutio maxime omnium popularis. In templo prope nobilem et optimatem in eorumque subselliis sedet tanquam proprio jure pauper, etiam mendicus, sine ullius admiratione; contrarium enimvero mirandum foret. Sic temporibus apostolicis juxta christianos dominos eorum servos sedentes aut genuflectentes cerneres qui ab divitibus paganis ut mancipia habebantur quibusque jura personarum denegari fas erat.

Inter maxima igitur christianae religionis ornamenta hoc quidem numerandum, quod naturam humanam sic nobilitaret eamque jacentem extolleret, ut homo in homine Dei filium agnosceret, apud quem omnes homines aequales sunt, nulla ab illo communi omnium Parente supremoque Judice inter divites et pauperes, nobiles et ignobiles, liberos et servos facta distinctione. Haec hominum coram Deo aequalitas, ab Ecclesia praedicata et in praxi quotidiana agnita, praeparavit et ad exitum perduxit, et quidem sine ulla reipublicae commotione, servitutis abolitionem. Vide *Balmes,* El Protestantismo, *vol.* 1, *cap.* 16; *Paul Allart,* Los esclavos cristianos, *pag.* 25 *seq.,* 142 *seq.,* 175 *seq.,* 200 *seq.* (Madrid, Calleja, sine *ann.*): *Kurth,* Orígenes de la civilización, *vol.* 2, *pag.* 111 *seq.* (Valencia, 1903).

CAPUT V

DE MUSICA IN TEMPLO

209. — I. *a*) Musicae in quibus sive organo aliisve instrumentis sive cantu lascivum aut impurum aliquid misceatur, ab ecclesiis omnino arcendae sunt; *b*) et leges liturgicae circa musicam sacram servandae (*can.* 1264, § 1).

Hae leges liturgicae potissimum continentur in Motu proprio Pii X, 22 nov. 1903, qui merito *Codex musicae sacrae* dicitur (1).

Musicae impurae exclusione confirmatur praescriptum Conc. Tridentini, *sess.* 22, *De observandis et vitandis in celebratione Missae.*

II. Religiosae mulieres, si eisdem liceat, ad normam suarum constitutionum vel legum liturgicarum ac de venia Ordinarii loci, in propria ecclesia aut oratorio publico canere, tali e loco canere debent, ubi a populo conspici nequeant (*can.* 1264, § 2).

TITULUS XV

De custodia et cultu sanctissimae Eucharistiae

CAPUT I

DE EUCHARISTIA CUSTODIENDA

210. I. **Ubinam custodienda.** – Sacra Eucharistia custodiri *debet a*) in ecclesia cathedrali, *b*) in ecclesia principe Abbatiae vel Praelaturae *nullius* (2), Vicariatus et Praefecturae (3) Apostolicae; *c*) in qualibet ecclesia *paroeciali* vel *quasi-paroeciali*, et *d*) in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum (*can.* 1265, § 1, 1.°).

II. **Ubi possit asservari.** — Custodiri *potest*, de licentia Ordinarii loci, *a*) in ecclesia collegiata et *b*) in oratorio principali sive publico sive semi-publico tum domus piae aut religiosae, tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel a religiosis regatur (*Ibid.*, 2.°).

Quae condiciones requirantur. — In utroque casu (I et II) requiritur ut adsit qui ejus curam habeat, et regulariter sacerdos semel saltem in hebdomada Missam in sacro loco celebret (*Ibid.*, § 1).

III. **Quid ut in aliis ecclesiis servari possit requiratur.** — Ut in aliis ecclesiis seu oratoriis custodiri possit, necessarium est *indultum apostolicum;* loci Ordinarius hanc licentiam concedere

---

(1) Videri potest apud *Mach-Ferrerres,* Tesoro del Sacerdote, *vol.* 2, *n.* 438, cum authenticis declarationibus.

(2) Vide *vol.* I, *nn.* 380 *seq.*, 623 *seq.*

(3) *Ibid.*, *nn.* 380 *seq.*, 600 *seq.*

potest tantummodo ecclesiae aut oratorio publico ex justa causa et *per modum actus* (*Ibid.*, § 2).

IV. **Ubi non possit retineri.** — Nemini licet sanctissimam Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre (*Ibid.*, § 3).

211. **Condicio ecclesiis imposita.** — Ecclesiae *in quibus sanctissima Eucharistia asservatur*, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot saltem horas fidelibus patere debent (*can.* 1266). Vide *n.* 218. At hoc non est intelligendum de oratoriis semipublicis, quae satis est pateant communitati, etc.

212. **Ubi custodienda in domibus religiosis**, etc. — Revocato quolibet contrario privilegio, in ipsa religiosa vel pia domo sanctissima Eucharistia custodiri nequit, nisi vel in ecclesia vel in principali oratorio; nec apud moniales intra chorum vel septa monasterii (*can.* 1267). Ratio postremae partis perspicua est; secus enim sacerdos clausuram ingredi deberet in casibus jure prohibitis.

213. **In uno altari custodienda.** — I. Sanctissima Eucharistia continuo seu *habitualiter* custodiri nequit, nisi in uno tantum ejusdem ecclesiae altari (*can.* 1268, § 1).

II. At *per breve tempus,* ut ob dandam in aliqua solemnitate communionem, in precibus novendialibus, in die dominico mensis primo licebit SS. Eucharistiam asservare in altari ubi communio ministranda.

214. **In quo altari custodienda.** — I. *In praecellentissimo ac nobilissimo ecclesiae loco* ac proinde *regulariter* in altari majore, nisi aliud venerationi et cultui tanti sacramenti commodius et decentius videatur, servato praescripto legum liturgicarum quod ad ultimos dies hebdomadae majoris attinet (*Ibid.*, § 2).

II. Sed id in ecclesiis *cathedralibus*, *collegiatis* aut *conventualibus* in quibus ad altare majus chorales functiones persolvendae sunt, ne ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur, opportunum est ut sanctissima Eucharistia regulariter *non* custodiatur *in altari majore*, sed in alio sacello seu altari (*Ibid.*, § 3).

III. Curare debent ecclesiarum rectores ut altare in quo sanctissimum Sacramentum asservatur *sit prae omnibus aliis ornatum*, ita ut suo ipso apparatu magis moveat fidelium pietatem ac devotionem (*Ibid.*, § 4).

215. **Tabernaculum ubi servanda.** — I. *a*) Sanctissima Eucharistia servari debet in **tabernaculo** inamovibili in media parte altaris posito (*can.* 1269, § 1). *b*) Tabernaculum esse debet affabre exstructum, undequaque solide clausum, decenter ornatum ad normam legum liturgicarum, ab omni alia re vacuum, ac tam sedulo custodiri ut periculum cujusvis sacrilegae profanationis arceatur (*Ibid.*, § 2). *c*) Praeterea tabernaculum in quo reconditur SS. Sacramentum, cooperiri debet *conopeo*, quod confici potest ex pan-

no, sive gossypio, sive lana, sive cannabe contexto, esseque coloris albi, vel coloris convenientis officio. *Rit. rom.* — S. R. C., 21 jul. 1855; 28 april. 1866; 7 aug. 1880 (*D. auth.*, *nn.* 3035, ad 10; 3150 et 3520).

II. In tabernaculo neque reliquiae neque chrisma neque olea infirmorum possunt asservari. C. P. **Amer. lat**., *n.* 890, et C. **Manil.**, *n.* 1069; ubi etiam praescribitur ut tabernaculum sit conopeo, aut saltem *cortinula* in exteriore parte, exornatum eleganter. Super illud autem *nihil, nisi crux*, licet collocari. S. R. C., 12 martii 1836 (*D. auth. n.* 2740, ad 1).

III. *Gravi* aliqua suadente causa ab Ordinario loci probata, non est vetitum sanctissimam Eucharistiam *nocturno tempore* extra altare, super corporali tamen, in loco tutiore et decenti, asservari, et *lampade* collucente (*can.* 1269, § 3).

IV. **Clavis** tabernaculi, in quo sanctissimum Sacramentum asservatur, diligentissime custodiri debet, onerata graviter conscientia sacerdotis qui ecclesiae vel oratorii curam habet (*Ibid.*, § 4).

216. **Pyxis in qua servandae particulae consecratae.** — Particulae consecratae, eo numero qui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, perpetuo sunt conservandae in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda et suo operculo bene clausa, cooperta albo velo serico, super corporale et, quantum res feret, ornato (*can.* 1270).

N. B. Hostiae consecratae, sive propter fidelium communionem, sive propter expositionem sanctissimi Sacramenti, et recentes esse debent et frequenter renovari, veteribus rite consumptis, ita ut nullum sit periculum corruptionis, sedulo servatis instructionibus quas Ordinarius loci hac de re dederit (*can.* 1272). Cum Caeremoniale Episcoporum tum S. Rit. Congregatio (*D. auth.*, *n.* 361) praecipiunt ut renovatio fiat octavo quoque die. Vide nostrum *Compend. Theol. mor.*, *vol.* 2, *nn.* 414, 415.

217. **Lampas collucens.** — Coram tabernaculo, in quo sanctissimum Sacramentum asservatur, una saltem *lampas* diu noctuque continenter lucere debet, nutrienda *oleo olivarum* vel *cera apum*; ubi vero oleum olivarum haberi nequeat, Ordinarii loci prudentiae permittitur ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest, vegetalibus (*can.* 1271). Ergo Ordinarius usum petrolei permittere poterit, instante necessitate.

Tum oleum olivarum tum cera apum tam in S. Scriptura quam in ecclesiastica liturgia mysticam significationem nobilissimam habent. Hac de causa praeferuntur ad lucem a sacris rubricis praescriptam.

218. **Pietas erga Eucharistiam excitanda.** — Qui in religiosam fidelium institutionem incumbunt, *a*) nihil debent omittere

ut *pietatem erga sanctissimam Eucharistiam* in eorum animis excitent, *b*) eosque praesertim hortari ut, non modo diebus dominicis et festis de praecepto, sed etiam diebus ferialibus intra hebdomadam frequenter, quantum fieri potest, Missae sacrificio assistant et sanctissimum Sacramentum visitent (*can.* 1273) Vide *n.* 211.

CAPUT II

DE CULTU SS. EUCHARISTIAE

219. I. **Expositio SS. Eucharistiae.—Qua de causa.—Quando cum licentia Ordinarii loci.**—1.° In ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare sanctissimam Eucharistiam, fieri potest expositio privata seu cum pyxide *ex qualibet justa causa* sine Ordinarii licentia (*can.* 1274, § 1).

2.° Etiam sine ea expositio publica seu cum ostensorio die festo Corporis Christi et intra octavam fieri potest *in omnibus ecclesiis* inter *Missarum* solemnia et *ad Vesperas* (*Ibid.*).

3.° Aliis vero temporibus fieri expositio non potest nisi *a*) ex justa et gravi causa praesertim publica, *b*) et de Ordinarii loci licentia, licet ecclesia ad religionem exemptam pertineat (*Ibid.*).

220. II. **Minister expositionis.—Repositio et benedictio.**—1.° Minister expositionis et repositionis sanctissimi Sacramenti est sacerdos vel diaconus (*can.* 1274, § 2).

Igitur diaconus videtur esse minister ordinarius, ut sacerdos; non ita in administranda communione, ad quam requirit Ordinarii vel parochi licentiam, quae sine causa *gravi* concedi non potest, ad normam can. 845, § 2. Vide *Ferreres*, Comp. Theol. mor., *vol.* 2, *n.* 385, IV, et 386.

2.° Minister vero benedictionis Eucharistiae (*cum ostensorio aut cum pyxide*) est solus sacerdos (*can.* 1274 § 2).

3.° Nec eam impertire diaconus potest, nisi in casu quo ad normam can. 845, § 2 (de quo nuper), Viaticum ad infirmum detulerit (*Ibid.*).

Tunc, Viatico administrato, aegro benedictionem cum pyxide (reliquas hostias consecratas continente) impertiatur, quam fidelibus etiam dabit in templo, pyxidem in tabernaculo repositurus. Vide Rit. Rom., *tit.* IV, *cap.* IV, *nn.* 20-23 (ed. typ., *pag.* 81).

De modo exponendi, reponendi et benedicendi cfr. *Mach-Ferreres*, Tesoro del Sacerdote, *vol.* 2, *nn.* 451-455.

221. III. **Supplicatio Quadraginta Horarum.**—1.° Supplicatio Quadraginta Horarum *a*) in omnibus ecclesiis paroecialibus aliisque, in quibus sanctissimum Sacramentum habitualiter asserva-

tur, *b*) statutis de consensu Ordinarii loci diebus, *c*) majore qua fieri potest solemnitate quotannis habenda est (*can.* 1275).

2.° Sicubi ob peculiaria rerum adjuncta nequeat sine gravi incommodo et cum reverentia tanto sacramento debita fieri, curare loci Ordinarius debet ut saltem per aliquot continuas horas, statis diebus, sanctissimum Sacramentum solemniore ritu exponatur (*Ibid*).

TITULUS XVI

De cultu Sanctorum, sacrarum imaginum, et reliquiarum

CAPUT I

DE CULTU SANCTORUM

222.—I. Bonum atque utile est Dei Servos, una cum Christo regnantes, suppliciter invocare eorumque reliquias atque imagines venerari; sed prae ceteris filiali devotione Beatissimam Virginem Mariam fideles universi prosequi debent (*can.* 1276).

II. Cultu publico eos tantum Dei Servos venerari licet (ex vigenti disciplina), qui auctoritate Ecclesiae inter Sanctos vel Beatos relati sint (*can.* 1277, § 1). Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, *nn.* 669 *seq.*, 687 *seq.*

III. In album Sanctorum canonice relatis cultus duliae debetur; Sancti coli possunt ubique et quovis actu ejus generis cultus; Beati vero non possunt, nisi loco et modo quo Romanus Pontifex concesserit (*can.* 1277, § 2).

223.—Non igitur *a*) possunt aedificari templa aut altaria in honorem eorum qui in album Sanctorum aut saltem Beatorum non sint relati (vide dicta *n.* 65); neque fas est eorum reliquias vel imagines exponere publice venerandas, aut in processionibus deferre (Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 697, 698). *b*) Licet tamen has reliquias aut imagines privatim servare, reverenter deosculari, etc., cum hic cultus sit omnino privatus.

c) Ornari aureolis vel radiis non possunt imagines defunctorum, etiamsi vulgo sancti habeantur, si inter Beatos non sunt relati; neque ante eorum sepulcra lampades pendere possunt. Cfr. *Ferreres*, l. c. Vide **Casus**, *n.* 447.

«Imagines virorum ac mulierum, qui cum fama sanctitatis decesserunt, sed nondum Beatificationis aut Canonizationis honores consecuti sunt, neque Altaribus utcumque imponi possunt, neque extra Altaria depingi cum aureolis, radiis aliisve sanctitatis signis; possunt tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus Ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, neque quidquid profani aut ab Ecclesiae consuetudine alieni.» S. R. C., 14 aug. 1894, a Leone XIII confirm., 27 ejusdem mensis et anni. *D. auth., n.* 3825.

224. **Patroni.** — Laudabiliter quoque, servatis servandis, *Sancti* nationum, dioecesium, provinciarum, confraternitatum, familiarum religiosarum aliorumque locorum et moralium personarum eligi possunt Patroni (*can.* 1278).

Electio fit a populo per ejus vices gerentes, accedente consensu expresso Ordinarii et cleri et insuper approbatione Sedis Apostolicae (*Ibid.*).

Ut vero *Beati* Patroni constituantur peculiare ejusdem Sedis Apostolicae indultum accedat oportet (*Ibid.*). Vide *nn.* 65 et 174.

CAPUT II

DE CULTU RELIQUIARUM

225. **Ubinam possint reliquiae asservari.** — 1.° *Insignes* (1) Sanctorum vel Beatorum reliquiae nequeunt in aedibus vel oratoriis privatis asservari, sine expressa Ordinarii loci licentia (*can.* 1282, § 1).

2.° Reliquiae *non insignes* debito cum honore etiam in domibus privatis servari pieque a fidelibus gestari possunt (*Ibid.*, § 2),

226. **Quae reliquiae publice in templis honorandae.** — *Publico cultu* eae solae reliquiae in ecclesiis, quanquam exemptis, honorari possunt, quas *genuinas* esse constet *authentico* documento alicujus S. R. E. *Cardinalis*, vel *Ordinarii loci*, vel alius viri ecclesiastici cui facultas *authenticandi* indulto apostolico sit concessa. Vicarius Generalis nequit, sine mandato speciali, reliquias authenticas edicere (*can.* 1283, § 1, 2).

227. **Beatorum reliquiae ubi possint exhiberi.** — Beatorum reliquiae, sine peculiari indulto, in processionibus non possunt circumferri, neve in ecclesiis exponi, nisi ubi eorum officium et Missa celebretur ex Sedis Apostolicae concessione (*can.* 1287, § 3).

---

(1) *Insignes* reliquiae dicuntur corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus aut illa pars corporis in qua passus est martyr, dummodo sit integra et non parva (*can.* 1281, § 2).

228. **Quemadmodum reliquiae exponendae.** — Reliquiae, cum exponuntur, in thecis seu capsis clausae et obsignatae sint oportet. Reliquiae sanctissimae Crucis nunquam in eadem theca cum reliquiis Sanctorum publicae venerationi sunt exhibendae, sed *propriam thecam separatam* habere debent (*Ibid.*, § 1, 2) (1).

229. — *Quid si authenticitatis documenta ob civiles perturbationes vel ob alium quemlibet casum interierint?*

Resp. 1.° In hoc casu publicae venerationi exponi nequeunt, nisi praecesserit judicium Ordinarii loci, non autem Vicarii Generalis sine mandato speciali (*can.* 1285, § 1).

2.° Reliquiae tamen antiquae in ea veneratione qua hactenus fuerunt, sunt retinendae, nisi in aliquo peculiari casu *certis* argumentis constet eas falsas vel suppositicias esse (*Ibid.*, § 2).

230. **Animadvertenda.** — 1.° Sacras reliquias *vendere* nefas est (*can.* 1289, § 1).

2.° Immo *a) insignes* reliquiae aut imagines *pretiosae*, *b)* itemque aliae reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia *magna populi veneratione* honorentur, nequeunt valide *alienari* neque in aliam ecclesiam *perpetuo* transferri sine Apostolicae Sedis permissu (*can.* 1281, § 1).

3.° Rectores ecclesiarum, ceterique ad quos spectat, sedulo invigilare debent ne sacrae reliquiae ullo modo *profanentur*, neve hominum incuria *pereant*, vel *minus decenter custodiantur* (*can.* 1289, § 2).

4.° Non licet, maxime in sacris concionibus, libris, ephemeridibus vel commentariis fovendae pietati destinatis, ex *meris conjecturis*, ex solis *probabilibus argumentis* vel praejudicatis opinionibus, praesertim verbis ludibrium aut despectum sapientibus, quaestiones agitari de sacrarum reliquiarum authenticitate (*can.* 1286).

CAPUT III

DE CULTU SACRARUM IMAGINUM

231. **Imagines vetitae.** — I. Nemini licet in ecclesiis, etiam exemptis, aliisve locis sacris ullam *insolitam* ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Ordinario loci sit approbata (*can.* 1279, § 1).

---

(1) *Sanctissimae Crucis* reliquiae, quas in cruce pectorali Episcopus forte defert, ecclesiae cathedrali, ipso defuncto, cedunt Episcopo successori transmittendae; et si defunctus pluribus pariter praefuerit dioecesibus, ecclesiae cathedrali dioecesis, in cujus territorio supremum diem obiit aut, si extra dioecesim mortuus est, ex qua ultimo decessit (*can.* 1288).

II. Ordinarius sacras imagines publice ad fidelium venerationem exponendas approbare non potest, quae et *forma* et *repraesentatione* cum probato Ecclesiae usu non congruant (*Ibid.*, § 2); vel quae debitam decentiam et honestatem non praeseferant, aut rudibus periculosi erroris (aut dogmatis falsitatem admittendi) occasionem praebeant (*Ibid.*, § 3).

232.—*Cujus est imagines* **benedicere** *publicae venerationi exponendas?*

Resp. Ordinarii, qui tamen potest hanc facultatem cuilibet sacerdoti delegare (*Ibid.*, 4).

Quocirca si imagines exponendae sunt *in ecclesiis regularium exemptorum*, earum Ordinario competit benedictio (vide *vol.* I, *nn.* 366 et 778, 8.°), non Ordinario loci.

Quid requiritur ut imagines vetustate, arte aut cultu praestantes possint **restaurari?**

Resp. Si quando reparatione indigeant, nunquam restaurari possunt sine dato scriptis consensu ab Ordinario; qui antequam veniam concedat, debet prudentes ac peritos viros consulere (*can.* 1280). Ordinarius idem est qui in quaestione superiore.

TITULUS XVII

De sacris processionibus

233. **Notio.** — Nomine *sacrarum processionum* significantur solemnes supplicationes quae a populo fideli, duce clero, fiunt eundo ordinatim de loco sacro ad locum sacrum, ad excitandam fidelium pietatem, ad commemoranda Dei beneficia eique gratias agendas, ad divinum auxilium implorandum (*can.* 1290, § 1).

234. **Divisio.** — Processiones ordinariae aut extraordinariae esse possunt.

Ordinariae sunt quae statis diebus per annum fiunt ad normam librorum liturgicorum vel consuetudinum ecclesiarum (*Ibid.*, § 2).

In his numerari possunt processiones Corporis Christi, publicarum supplicationem majorum et minorum, etc.

Appellantur *extraordinariae*, quae aliis publicis de causis in alios dies indicuntur, v. gr. occasione centenarii, publicae calamitatis, insignis beneficii, etc.

235. **Processio die festo Corporis Christi. I. In qua ecclesia facienda.** — *a*) Die festo Corporis Christi *unica* tantum *solemnisque processio* per publicas vias in uno eodemque loco fieri debet *b*) ab ecclesia *digniore.* Excipe 1.°, nisi aliter ferat *immemorabilis*

consuetudo; 2.° si locorum circumstantiae ex prudenti Episcopi judicio aliud exigant.

II. **Qui debeant interesse.** — Ei clerici omnes religiosaeque virorum familiae, etiam exemptae, que in oppido aut civitate existant, et laicorum confraternitates *interesse debent*, regularibus exceptis qui in strictiore clausura perpetuo vivant (v. c. Carthusiani, Trappenses, etc.), aut a civitate ultra tria millia passuum (fere quatuor kilometra) distent (*can.* 1291, § 1).

III. **Processiones infra octavam Corporis.** — Ceterae paroeciae et ecclesiae etiam regulares possunt, *intra octavam*, proprias processiones extra ecclesiae ambitum agere; sed ubi plures sunt ecclesiae, Ordinarii loci est dies, horas ac vias praestituere quibus suam quaeque processionem agant (*Ibid.*, § 2).

236. **Processiones extraordinariae.** — I. Ordinarius loci, *audito* Capitulo cathedrali, potest ex publica causa extraordinarias processiones indicere (*can.* 1292).

II. Iis, sicut et ordinariis ac consuetis, ii omnes interesse debent de quibus in can. 1291, § 1 (*Ibid.*). Vide *n.* 235, II.

237. **Quae processiones religiosis permittantur.** — *a*) Religiosi etiam exempti nequeunt extra suas ecclesias et claustra processiones ducere sine Ordinarii loci licentia (*can.* 1293). *b*) *Excipitur* processio Corporis Christi, quam facere possunt ad normam can. 1291, § 2 (*Ibid.*). Vide *n.* 235, III.

238. *a*) **Processionum institutio, suppressio, translatio.** — Spectant ad Ordinarium loci. Parochus vel quivis alius nequit processiones novas inducere aut consuetas transferre vel abolere sine Ordinarii loci licentia (*can.* 1294, § 1).

b) **Processionibus ecclesiae alicujus propriis interesse qui debeant.** — Omnes clerici eidem adscripti (*Ibid.*, § 2).

c) **Ordo, modestia, reverentia.** — Curare debent Ordinarii ut sacrae processiones, exstirpatis, si qui sint, malis usibus, ordinate procedant eaque modestia ac reverentia ab omnibus perficiantur, quae piis ac religiosis hujusmodi actibus maxime convenit (*can.* 1295).

TITULUS XVIII

De sacra supellectili

CAPUT I

DE SACRA SUPELLECTILI GENERATIM

239. **Cura et usus sacrae supellectilis.** — I. Sacra suppellex, praesertim quae ad normam legum liturgicarum *benedicta* aut *consecrata* esse debet quaeque publico in cultu adhibetur, *a*) caute custodienda est in ecclesiae sacrario aliove tuto ac decenti loco, *b*) nec ad usus profanos adhibenda (*can.* 1296, § 1).

II. Calix et patena **consecranda** sunt, **benedicenda** casulla, stola, manipulus, corporalia, palla, alba, amictus, item tres mappae sive tobaleae altaris. Cfr. *Ferreres*, Los Oratorios, *nn.* 210-226; *Mach-Ferreres*, *n.* 186.

Inventarium.—Universae sacrae supellectilis *a*) inventarium fieri debet ad normam can. 1522, *b*) et accurate illud servari (*can.* 1296, § 2).

240. **Materia et forma.**—Circa materiam et formam sacrae supellectilis servanda sunt praescripta liturgica, ecclesiastica traditio et, meliore quo fieri potest modo, etiam artis sacrae leges (*Ibid.*, § 3).

Sic, v. gr., praescriptum est ut calix et patena sint *ex auro* vel *argento*, aut saltem cuppa calicis argentea. Haec et patena debent esse *deauratae*, interius illa, haec in parte superiore seu concava. Cfr. *Gasparri.* l. c., *n.* 733; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 504; *Many*, De Missa, *n.* 116.

Etiam praeceptum est ut fiant *ex lino* aut *cannabe* alba, cingulum, corporalia, palla, purificatorium et altaris tobaleae.

241. **Quis ecclesiae providere de supellectili debeat.** — Nisi aliter sit provisum, qui officio tenentur reparandae ecclesiae ad normam can. 1186 (vide *n.* 92), debent quoque ei providere de sacra supellectili ad cultum necessaria (*can.* 1297).

CAPUT II

DE SACRA SUPELLECTILI CARDINALIUM ET EPISCOPORUM RESIDENTIALIUM

242. **Cardinalium Curiae supellex.** — I. Defuncti S. R. E. Cardinalis qui in Urbe domicilium habebat, quamvis Episcopus suburbicarius aut Abbas *nullius* esset, quaelibet sacra supellex, — exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis — aliaeque res omnes stabiliter divino cultui destinatae, nulla habita ratione qualitatis et naturae redituum quibus comparatae sint, cedunt pontificio sacrario (*can.* 1298, § 1).

II. Excipiendum, si Cardinalis eas donaverit aut testamento reliquerit alicui ecclesiae vel oratorio publico vel loco pio vel alicui personae ecclesiasticae seu religiosae (*Ibid.*).

III. Optandum ut Cardinalis, qui hujusmodi facultate uti velit, saltem ex parte praeferat illas ecclesias, quas in titulum, administrationem seu commendam obtinuerit (*Ibid.*, § 2).

243. **Item Episcoporum residentialium.** — I. Defuncti Episcopi residentialis, etiamsi cardinalitia dignitate fulserit, sacra supellex cedit ecclesiae cathedrali (*can.* 1299 § 1). Excipe: 1.° annulos et cruces pectorales etiam cum sacris reliquiis, salvo praescripto can. 1288 super reliquiis *Ligni Crucis* (vide *n.* 228, *adnot.*); 2.° ea omnia utensilia cujusvis generis *a*) quae legitime probetur ab Episcopo defuncto comparata fuisse bonis ad ipsam ecclesiam non pertinentibus, *b*) neque constet in ecclesiae proprietatem transiisse (*Ibid.*), v. c. quia ei ab ipso Episcopo data sunt.

II. Si quando Episcopus duas vel plures dioeceses successive rexerit aut simul praefuerit duabus vel pluribus dioecesibus unitis aut in perpetuam administrationem concessis, cathedralem ecclesiam habentibus propriam et distinctam, quae sacra utensilia constiterit reditibus unius tantum dioecesis fuisse comparata, ea ejusdem cathedrali ecclesiae cedunt; secus dividi debent, aequis partibus, inter singulas ecclesias cathedrales, dummodo dioecesium reditus ne sint divisi (per administrationis separationem), sed unam episcopalem mensam perpetuo constituant; si vero reditus divisi sint ac separati, divisio fiet inter singulas ecclesias cathedrales, non partibus aequalibus, sed pro ratione fructuum quos in singulis dioecesibus Episcopus perceperit ac temporis quo eidem praefuerit (*Ibid.*, § 2).

III. Episcopus obligatione tenetur **inventarii** sacrorum utensilium authentica forma conficiendi, in quo pro rei veritate quan-

do acquisita sint, exprimat, distincteque describat si qua non ex ecclesiae reditibus ac proventibus, sed ex propriis bonis vel ex donatione sibi facta comparaverit; secus omnia reditibus ecclesiae comparata praesumuntur (*Ibid.*, § 3).

IV. **A quo sacra supellex subministranda Episcopo.**—Ecclesia cathedralis debet sacram supellectilem aliaque quae ad Missae sacrificium vel ad alias *pontificales* functiones necessaria sint, gratis Episcopo subministrare etiam privatim celebranti non solum in ecclesia cathedrali, sed in aliis quoque civitatis vel suburbii ecclesiis (*can.* 1303, § 1).

244. **Hujus rei disciplina concordata hispana.** — Praescripta canonis 1299 ex hispanis legibus concordatis ad verbum fere desumpta sunt.

Ex articulo 31 Legis concordatae ann. 1851: «Queda derogada la actual legislación relativa a expolios de los arzobispos y obispos, y en su consecuencia podrán disponer libremente, según les dicte su conciencia, de lo que dejaren al tiempo de su fallecimiento, sucediéndoles ab intestato los herederos legítimos con la misma obligación de conciencia; exceptúanse en uno y otro caso los ornamentos y pontificales, que se considerarán como propiedad de la mitra y pasarán a sus sucesores en ella.»

245. — Praeterea ille articulus R. O. concordata 28 maji 1864 sic declaratur:

«1.° Se comprenden bajo el nombre de ornamentos pontificales, todas las vestiduras, vasos, custodias, candeleros, libros y demás objetos sagrados que se hallan destinados al culto divino de un modo permanente.

2.° Los muy reverendos arzobispos y reverendos obispos podrán disponer libremente por testamento de los anillos y de las cruces pectorales, aun cuando contengan reliquias. Si fallecieren intestados, pasarán estas alhajas a sus herederos legítimos.

3.° Con igual libertad podrán disponer de otros objetos sagrados siempre que aparezca debidamente comprobado que el Prelado los adquirió con fondos o rentas que no pertenecían a la Iglesia, o que fueron donados a él y no a la mitra.

4.° Los muy reverendos arzobispos y reverendos obispos cuidarán en lo sucesivo de hacer formal inventario de los objetos adquiridos por donación o con fondos de su exclusiva propiedad, especificando en él el modo y tiempo de la adquisición. Los objetos no enumerados en este inventario se considerarán desde luego como propiedad de la mitra, y pasarán a los nuevos Prelados en su caso.

5.° Cuando un mismo Prelado haya regido sucesivamente dos o más diócesis, se aplicarán respectivamente los ornamentos y pontificales a la iglesia a que fueron donados, o con cuyas rentas se hubiesen adquirido.» Cfr. *Alcubilla,* V. Concordatos, *vol.* 4, *pág.* 163, *edic.* 6.ª

CAPUT III

DE PRAESCRIPTIONIBUS COMMUNIBUS PRAELATORUM OMNIUMQUE BENEFICIATORUM

246. — I. Superioris can. 1299 praescripta sunt quoque applicanda clerico qui in aliqua ecclesia *beneficium saeculare* vel *religiosum* obtinuerit (*can.* 1300); i. e. ejus paramenta, sacra vasa ceteraque cultus supellex sunt illius ecclesiae, nisi contrarium probetur. Quod dictum intellige de canonicis, parochis ceterisque beneficiatis.

II. S. R. E. Cardinalis, Episcopus residentialis aliique clerici beneficiarii (*parochi, canonici*, etc.) obligatione tenentur curandi *civilis* **testamento** vel alio instrumento in forma juris civilis valido ut canonica praescripta, de quibus in can. 1298-1300, debitum effectum etiam in foro civili sortiantur (*can.* 1301, § 1, cum correctione officiali).

III. Quamobrem tempestive ac forma jure civili valida personam integrae famae designare debent ad normam can. 380 (vide *vol.* 1, *n.* 676), quae, adveniente ipsorum morte, non solum sacram supellectilem, sed etiam libros, documenta aliaque quae ad ecclesiam pertinent et in eorum domo reperiuntur, occupet et cui debentur, remittat (*Ibid.*, § 2).

His omnibus praescriptionibus cavetur ne paramenta, sacra vasa, libri, documenta, etc., ad Ecclesiam pertinentia, ad heredes veniant, ut aliquando evenit.

IV. Rectores ecclesiarum aliique quibus credita sit cura sacrae supellectilis, sedulo debent ejusdem conservationi et decori prospicere (*can.* 1302).

CAPUT IV

DE STIPE ECCLESIIS PAUPERIBUS EROGANDA

247. I. **Quis possit eam permittere.** — Si qua ecclesia *paupertate* laboret, potest Ordinarius *permittere* ut a sacerdotibus qui *in proprium commodum* inibi celebrant, propter utensilia ceteraque (vinum, hostiam, ceram, etc.) ad Missae sacrificium necessaria, moderata stipes exigatur (*can.* 1303, § 2).

II. *a*) **Cujus sit eam definire, et qui ea definita obligentur.**

Episcopi (vel Abbatis aut Praelati *nullius*), non autem Vicarii Capitularis aut Vicarii Generalis sine speciali mandato, est eandem stipem definire, *b*) et nemini, nec religiosis exemptis, licet ea majorem exigere (*Ibid.*, § 3).

III. **Quomodo definienda.** — Episcopus pro tota dioecesi ejusmodi stipem debet in dioecesana Synodo, si fieri possit, definire, aut extra Synodum, *audito* Capitulo (*Ibid.*, § 4).

248. **Quantitas taxationis.** — Praescriptum can. 1303, § 2, ad *taxationem* spectans, praeceptis Urbani VIII et Innocentii XII innititur. Illa igitur aestimatio non videtur posse esse major expensis stricte necessariis. S. C. Conc., ann. 1625 ad 7. Cfr. *Ferreres*, Misas manuales, *n.* 75, *ed.* 3.

249. **A quo solvenda.** — Taxatio personalis est solvenda ergo ab sacerdotibus qui illic suo commodo celebrant, non ab iis qui ecclesiae inserviunt, ut sunt parochus, coadjutores, cappellani qui statis horis fidelibus celebrant; verbo: non ab iis qui ibi *debent* sacrum facere.

250.—**In Hispania**, quod sciamus, haec stipes exigi non solet, admisso laudabiliter sacerdote celebraturo, modo licentias afferat; quod quidem liberalitatem caritatemque ostendit qua erga suos in sacerdotio fratres clerus hispanus afficitur. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 82.

CAPUT V

DE BENEDICTIONE, EXSECRATIONE ETC., SACRAE SUPELLECTILIS

251.—**Benedictionem illius sacrae supellectilis** quae ad normam legum liturgicarum benedici debet antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, impertire possunt:

1.° S. R. E. *Cardinales,* et *Episcopi* omnes (etiamsi solum sint titulares), pro omnibus ecclesiis;

2.° Locorum *Ordinarii*, charactere episcopali carentes (ut Praelati *nullius*, Vicarius Capitularis, Vicarius Generalis), pro ecclesiis et oratoriis proprii territorii;

3.° *a*) *Parochus* pro ecclesiis et oratoriis in territorio suae paroeciae positis, *b*) et *rectores* ecclesiarum pro suis ecclesiis;

4.° Sacerdotes a loci Ordinario delegati, intra fines delegationis et jurisdictionis delegantis;

5.° Superiores religiosi, et sacerdotes ejusdem religionis ab ipsis delegati, pro propriis ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subjectarum (*can.* 1304).

252. **Quo pacto consecratio vel benedictio amittatur.** — Sacra supellex *benedicta* aut *consecrata* benedictionem aut consecrationem amittit:

1.° Si tales laesiones vel mutationes subierit ut pristinam amiserit formam, et jam ad suos usus non habeatur idonea (v. gr. si calix perforatur).

2.° Si ad usus indecoros, (ut ad actionem in theatro), adhibita vel publicae venditioni exposita est (non si privatae ad aliam ecclesiam aut oratorium) (*can.* 1305, § 1).

3.° Calix et patena *non amittunt* consecrationem ob consumptionem vel renovationem auraturae, salva tamen, priore in casu, gravi obligatione rursum ea inaurandi (*Ibid.*, § 2).

253.—**Ante Codicem** promulgatum calix et patena manebant exsecrata, auratura sive consumpta sive renovata. Ratio cur nunc consecrata maneant quaerenda est in voluntate Ecclesiae, quae consecrationem instituit ejusque durationem effectusque morales potest definire.

254. **Qui possint sacra utensilia tangere.** — Curandum ne calix cum patena et ante lotionem purificatoria, pallae et corporalia, quae adhibita fuere in sacrificio Missae, tangantur, nisi a *clericis* vel ab iis qui eorum custodiam habent (v. gr. aeditui, religiosae quae curant de sacrario, etc.) (*can.* 1306, § 1).

255. **A quo et qua ratione lavanda purificatoria, pallae et corporalia in Missae sacrificio adhibita.** — Prius abluenda sunt a *clerico in majoribus ordinibus constituto;* aqua autem primae lotiotis mittenda est in sacrarium (*sumidero*) vel, si hoc deest, in ignem. Altera lotio a laicis etiamsi religiosis non sint, fieri potest (*Ibid.*, § 2).

TITULUS XIX

De voto et jurejurando

CAPUT I

DE VOTO

ARTICULUS I

DE VOTI NOTIONE ET DIVISIONE

256. **Notio.**—Votum est promissio deliberata ac libera Deo facta *de bono possibili et meliore* (*can.* 1307, § 1).

Explicatio. — *a*) Votum est actus *latriae* soli *Deo* debitus, et ex virtute religionis impleri debet. Quare dum vovemus quaedam *Sanctis,* sensus est voveri ea Deo in honorem simul Sanctorum; sicut templa et altaria aedificamus Deo in eorundem honorem. *S. Alph., lib.* 3, *n.* 194.

b) Ex dictis materia voti debet esse *moraliter possibilis;* votum enim est promissio Deo facta cum voluntate se obligandi ad promissum servandum; nemo autem se potest obligare ad aliquid *quod fieri moraliter nequeat.* Hac de causa nullum est votum vitandi omnia peccata etiam levissima, nam hoc moraliter fieri non potest. *Trid., sess.* 6. Cfr. *Ferreres,* Comp. Th. mor., *n.* 408.

c) Debet etiam voti materia res esse *bona moraliter*, immo *melior,* scil. *quae* aliam *meliorem non impediat.* Ratio, quia Deus non colitur actione indifferenti neque non meliore quam est ejus omissio. Attamen bonum *melius* non modo *absolute* in se ipso, verum etiam *relate* ad circumstantias intelligendum est. *Ferreres,* l. c., ubi de hoc fuse.

257. **Qui voti capaces.** — Omnes congruenti rationis usu pollentes, sunt voti capaces, nisi jure prohibeantur (*can.* 1307, § 2), sicut prohibentur vota religiosa nuncupare ii qui aetate requisita carent.

Estne validum votum metu emissum?

Resp. 1.° *Neg.*, si est metu gravi et injusto emissum, sed ipso jure nullum est (*Ibid.*, § 3). Ratio, quia id Deo acceptum esse non potest quod ab alio per vim aut per injuriam extorquetur, cum lex naturae postulet ut suum cuique jus ex integro restituatur. Quo quidem evincitur ejusmodi vota esse invalida jure naturae.

Resp. 2.° *Affirm.*, si metus est *ab intrinseco* (v. gr., a conscientia stimulis agitata), vel a causa necessaria (ut a tempestate), nisi usum rationis voventi ademerit; quia haec vota sunt simpliciter voluntaria. Item, si metus ex *levi* causa enascitur, quia metus levis non censetur in actum influere efficaciter, sed potius est occasio quam causa voti. *Ita communiter cum Sánchez*, *Azor*, *Salm.* Et *S. Alphonsus* hoc habet *probabilius*, l. c., *n.* 197.

Probabilis tamen sententia est ea quae docet omne votum emissum ob metum etiam *levem* ratione habita personae, sed tamen injustum, quique fuerit causa vovendi, esse invalidum, saltem in foro conscientiae. Nam Deus sibi acceptum habere tanquam donum gratuitum non potest quod est injuste extortum. *Castropalao*, *n.* 15, *d.* 1, *p.* 1; *Suárez*, *Busemb.*, *Sánchez*, l. c., et alii.

258. **Divisio.** — Votum esse potest:

1.° *Solemne* vel *simplex*, prout vim habet voventem inhabilem reddendi ad actus voto contrarios (si materia sit capax hujus inhabilitatis), aut talem vim non habet, sed reddit tantum *illicitos* hujusmodi actus. Cfr. *can.* 579, et *vol.* 1, *nn.* 780-786, et 878.

2.° *Publicum* aut *privatum*, prout nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptatur, aut non (*can.* 1308, § 1). — Sic publica sunt vota emissa in *professione* religiosa, etiam simplici, non modo quae in religione stricte dicta emittitur, sed etiam in

religiosa congregatione quae a solo Episcopo sit approbata; item votum adnexum ordini sacro, etc. Privata vero sunt vota *devotionis*, quae a novitiis aliquando fiunt, item vota quae vel in *piis sodalitatibus*, vel libere a personis saecularibus nuncupantur, etc.

N. B. Publicum est *solemne*, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum, secus *simplex* (*Ibid.*, § 2).

3.° *Personale* vel *reale*, aut *mixtum*, prout actio vel omissio voventis promittitur, aut res aliqua a voventis actione separabilis, aut aliquid quod naturam utriusque participet (*Ibid.*, § 4).

4.° *Temporarium* vel *perpetuum*, prout ad certum tempus tantum, aut per totam vitam servandum promittitur.

5.° Votum *reservatum* dicitur illud cujus dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest (*Ibid.*, § 3).

N. B. Omne votum *solemne* semper est *publicum*, at non contra; item omne votum *solemne perpetuum* est, non autem viceversa.

259. — Vota privata quae R. Pontifici reservantur sunt haec duo tantummodo: votum *perfectae ac perpetuae castitatis* et votum ingrediendi *in religionem* votorum solemnium, cum emissa sunt absolute et post *completum duodevicesimum* aetatis *annum* (*can.* 1309). His antea addebantur vota peregrinandi Romam, Hierosolyma et ad S. Jacobum Compostellanum.

ARTICULUS II

DE OBLIGATIONE VOTI

260. **Quem obliget.** — I. Votum non obligat ratione sui nisi emittentem (*can.* 1310, § 1). Ratio est, quia votum est onus personale sponte susceptum, nec potest aliquis promittere rem aut actionem alienam.

II. Verumtamen voti *realis* obligatio transit ad heredes, item obligatio voti mixti pro parte qua reale est (Cfr. *can.* 1310, § 2).

261. **Quemadmodum obliget.** — I. Votum obligat *per se*, sicut lex vel praeceptum Ecclesiae; ac proinde *graviter* in materia gravi, *leviter* in levi; votum est enim quasi lex privata, a quovis sibimetipsi imposita.

II. Votum obligat *secundum voventis intentionem*, si ille obligationis quantitatem in actu vovendi determinat, ita ut sub levi tantum in materia quantumvis gravi se ligare possit. — Ratio est, quia sicut legislator vel Superior potest in materia gravi sub levi tantum obligare, ita etiam qui vovet de re gravi, levem tantum obligationem sibi imponere potest. Non tamen vicissim *graviter* in re *levi* potest se obligare, quia materia levis non est capax gravis obligationis. Ita *communiter auctores, et S. Alph., lib.* 3, *nn.* 211 *et* 213.

ARTICULUS III

DE CESSATIONE VOTI ET PRAESERTIM DE IRRITATIONE ET SUSPENSIONE

262.—Obligatio voti cessare potest:

1.° Causis *intrinsecis*, scil.: *a*) lapsu temporis ad finiendam obligationem appositi (ut si quis emittit votum castitatis triennale, triennio elapso cessat), *b*) mutatione substantiali materiae promissae, *c*) deficiente condicione a qua votum pendet, aut ejusdem causa finali (*can.* 1311).

2.° Causis *extrinsecis*, scil. irritatione, suspensione, dispensatione, commutatione (*Ibid.*).

263. **Definitio. — Irritatio** *voti* est ejus abrogatio facta ab illo, cujus potestati subest voluntas voventis.

Suspensio *voti* est ejus intermissio in obligando, imposita ab illo cujus potestati subest materia voti. Irritatio votum reddit nullum in perpetuum, suspensio ad tempus.

Irritatio dici antea solebat irritatio *directa*, *suspensio* irritatio *indirecta*.

264. **Principia.** — I. Qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet, potest ejus vota (*privata*) valide et, ex justa causa, etiam licite **irrita** reddere, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat (*can.* 1312, § 1).

Quare vota privata religiosorum utriuslibet sexus, irritare possunt: 1.° Summus Pontifex tanquam supremus omnium regularium Moderator; 2.° Superiores Ordinis vel domus, etiam Abbatissa; 3.° Episcopus proprius, si Institutum ab ejus jurisdictione non est exemptum. *S. Alph., l.* 3, *n.* 227.

II. Vota ante professionem religiosam emissa *suspenduntur* (*ipso jure*) toto tempore quo vovens in religione permanserit (*can.* 1315). Si quis religionem postea derelinquat, praedicta vota reviviscunt, nisi legitime dispensata sint.

III. Qui hujusmodi potestatem non quidem in voluntatem voventis, sed in *voti materiam* habet, potest voti obligationem tamdiu **suspendere**, quamdiu voti adimplementum sibi praejudicium afferat (*can.* 1312, § 2).

Hinc 1.° Maritus *suspendere* potest vota uxoris quae juri conjugali, filiorum educationi, vel domus gubernationi praejudicent.

2.° Uxor potest vota mariti *suspendere* quae matrimonii jura laedant, ut votum castitatis, longae peregrinationis, induendi habitum eremitae, etc.

3.° Herus potest *suspendere* vota famulorum, quae obsequium debitum impediunt vel minuunt, ut votum quotidie Missam audiendi. *S. Alph., n.* 241 *et seq.*

265. *Potestne omnia vota uxoris maritus irritare?*

Resp. Controvertitur. Alii *negant*, et dicunt maritum posse tantum ea vota *suspendere* quae juribus suis obstant; in aliis enim uxor non est subjecta. *Ita Voit, n.* 600; *Laymann*, etc. — Melius tamen alii cum *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 88, *art.* 8, *ad* 3; *S. Alph.*, *n.* 234; *Ball.-P.*, *vol.* 2, *n.* 675; *Aertnys*, *l.* 3, *n.* 101; *De Varceno*, *tr.* 9, *c.* 1, *art.* 2, § 8, *et pluribus aliis*, marito jus tribuunt *irritandi* vota in matrimonio emissa.

266. **Patria potestas irritandi vota.** — Patrem posse vota filiorum *impuberum irritare* doctrina communis est. Vide *n.* 264, I, necnon Decr. Gratiani, c. *Puella*, *causa* 20, *c.* 2. Praeterea 1.°, cum Codices civiles recentiores exercitium patriae potestatis inter filios puberes et impuberes non distinguant, probabile saltem videtur posse patrem omnia vota *irritare* filiorum etiam *puberum*, dummodo sint sub patria potestate.

2.° Cum iidem Codices, patre deficiente, matri patriam potestatem tribuant (C. C. **hisp.-ph.**, *a.* 154; **lusit.**, 139; **aeq.**, 234, 258; **arg.**, 299 (265); **boliv.**, 189 y 191 reform. por el 1.° y 2.° de la *Ley* de 28 de octubre de 1890; **bras.**, 380; **col.**, *a.* 63 de la *Ley* 153 de 1887; **cost.**, 129, 130; **guat.**, *a.* 290; **mexic.**, 366, 364; **per.**, 285; **Salv.**, 287; **ur.**, 233; **ven.**, 236, 237), eandem irritationem mater perficere potest toto illo tempore quo ei patria potestas competit. *D'Annibale*, 3, *n.* 206; *Buccer.*, Inst. Mor., *vol.* 1, *nn.* 607, 608. — Vide *Gury-Ferreres*, **Casus**, *n.* 326.

Poterunt etiam irritari a tutore. Cfr. *S. Alph.*, l. c., *nn.* 229, 230.

ARTICULUS IV

DE DISPENSATIONE VOTORUM

267. **Notio.** — *Dispensatio voti* est absoluta ejus condonatio nomine Dei a Superiore legitimo facta.

268. **Principia.** — I. Ecclesia habet veram potestatem dispensandi in votis, ut in juramentis. — Constat ex verbis Christi, Matth., XVI, 19: *Quodcumque solveris*, etc.; — et ex more constanti Ecclesiae. — *Communis sententia.* Cfr. *Wernz*, Jus decretal., 3, *n.* 584.

II. Soli praelati, quibus jurisdictio in foro externo data est, a votis dispensare possunt; quia haec potestas ad externam Ecclesiae gubernationem pertinet, sicut potestas ferendi leges et censuras.

269. **Qui singulatim hanc potestatem exerceant.** — Vota non reservata possunt ex *justa causa* dispensare (dummodo dispensatio non laedat jus aliis quaesitum): *a)* loci Ordinarius quod attinet ad omnes suos *subditos* atque etiam *peregrinos;* (*can.* 1313, 1.°); *b)* Superiores *religionis clericalis exemptae* quoad suos subditos etiam

novitios necnon quoscumque alios in domo diu noctuque commorantes causa famulatus, educationis, hospitii aut infirmae valetudinis (*can.* 1313, 2.°, et 514, § 1); *c*) ii quibus ab Apostolica Sede delegata est dispensandi potestas (*can.* 1313, 3.°).

III. **Quae causa requiratur**. — *Ad dispensationis validitatem* semper *justa causa* requiritur (Cfr. *can.* 1313).

Nam cum vota fiant Deo, homo non potest ab iis dispensare, nisi tanquam merus delegatus; hic autem, ut in tractatu de legibus dictum est, nequit valide sine justa causa dispensare. Cfr. *vol.* 1, *n.* 194. *Ita communiter. S. Alph., lib.* 3, *n.* 250.

Causa justa esse potest bonum Ecclesiae, societatis, familiae, illiusque qui se voto obstrinxit, si v. gr. propter illud scrupulis gravibusve tentationibus exagitatur, si magnam in voto adimplendo difficultatem experitur, si actus vovendi non fuit perfecte deliberatus, etc. *S. Alph.*, *n.* 252. Cfr. *Ferreres*, Comp. Theol. mor., *vol.* 1, *n.* 417 *seq.*

ARTICULUS V

DE COMMUTATIONE VOTORUM

270. **Notio.** — *Commutatio voti* est substitutio alicujus operis loco promissi. Fieri potest tripliciter: in bonum melius, in aequale, in minus.

271. **Quis possit commutare.** — Opus *voto non reservato* promissum potest *in melius vel in aequale* bonum *ab ipso vovente* commutari; *in minus* vero *bonum* ab illo cui potestas est dispensandi (*can.* 1314), secundum ea quae *n.* 269, III, dicta sunt.

Unde quicumque potest, etiam per meram delegationem, a votis *dispensare*, eo ipso *commutare* potest; qui enim magis potest, potest etiam minus in eodem genere. — Non autem vice versa; quia potestas major in minore non continetur. *S. Alph.*, *n.* 246.

Opus melius illud censetur quod ad majorem voventis spiritualem utilitatem majusque Dei obsequium conducit.

CAPUT II

DE JUREJURANDO

272. **Notio.** — *Jusjurandum* est invocatio Nominis divini in testem veritatis (*can.* 1316, § 1).

Jusjurandum quod sacri canones exigunt, per procuratorem

praestari valide nequit (*Ibid.*, § 2), sed personaliter praestandum est.

273. **Divisio**. — Jusjurandum potest esse:

1.° *Assertorium* vel *promissorium*, prout veritas tantum asseritur, aut promissio seu pactum per ipsum juramentum confirmatur.

2.° *Solemne* vel *simplex*, prout fit forma jure requisita, et consuetis caeremoniis, aut iis seclusis.

3.° *Explicitum* vel *implicitum*, prout Deus expresse in testem invocatur, aut adhibentur in testimonium creaturae in quibus attributa divina specialiter relucent.

Juramentum *imprecatorium* illud est quo Deus invocatur simul in testem et in perjurii vindicem.

ARTICULUS I

DE JURISJURANDI CONDITIONIBUS

274. **Conditiones essentiales**. — Duo ad juramentum requiruntur: 1.° *intentio jurandi*, saltem virtualis; quia sine hac intentione non potest exsistere juramentum formale; 2.° *formula juratoria*, sive invocando Deum *explicite*, sive *implicite* per creaturas: quia cum Deus invocetur ut testis, necesse est ut hoc in juramento exprimatur. *S. Alph.*, *n.* 134.

275. **Quae ut sit licitum requirantur**. — Jusjurandum praestari nequit, nisi in veritate, in judicio et in justitia (*can.* 1316, § 1).

I. Itaque requiritur *veritas*, id est conformitas assertionis cum intentione et cogitatione jurantis. Omne igitur mendacium, non vero omnis error excluditur. In juramento assertorio veritas *factum* ipsum respicit, in promissorio *intentionem*.

Notandum est in juramento *promissorio* includi etiam *assertorium*, quia Deus invocatur ut testis *praesentis intentionis* adimplendi promissa; jurans autem ex virtute religionis stare debet hac promissione facta coram Deo, ut teste summa auctoritate praedito (1).

II. Requiritur *judicium*, id est, ut cum discretione, prudentia, consideratione ac reverentia, nec sine *necessitate* aut *gravi causa* fiat.

III. *Justitia*, id est, ut juramentum sit de re justa, licita et honesta. Sic contra justitiam juraret, qui juramento promissorio se obligaret ad damnum proximo injuste inferendum, vel ad quidpiam aliud prohibitum. *S. Alph.*, *n.* 144.

---

(1) Aliquis tamen posset jurare solum de proposito vel intentione praesenti, v. gr., «juro mihi esse nunc voluntatem proximo mense Romam eundi»; tunc autem sine perjurio hoc propositum posset infringi. *Laymann, lib.* 4, *tr.* 3, *cap.* 4, *n.* 4.

276. — *a*) Ut jusjurandum licitum sit, satis est quaecumque honesta causa alicujus momenti, ut familiae pacem confirmare, contractus reddere securiores, etc. *S. Alph.*, Hom. Apost., *n.* 14.

b) Sed non sufficit mera veritatis *probabilitas;* requiritur aliqua *certitudo moralis.*

ARTICULUS II

DE OBLIGATIONE JURISJURANDI PROMISSORII

277. **Principia.**—I. Qui libere jurat se aliquid facturum, peculiari religionis obligatione tenetur implendi quod tali jurejurando firmaverit (*can.* 1317, § 1). Unde omne juramentum promissorium de re licita et honesta, praeter obligationem justitiae aut fidelitatis quae ex simplici promissione oritur, obligationem quoque religionis inducit, i. e. obligationem ex reverentia erga Deum implendi promissa (*Suárez*, *l.* 3, *c.* 16, *n.* 10 *seq.*). Unde homines «sancto quodam timore Dei, vindicis veritatis, a violanda promissione deterrentur» (*Wernz*, 3, *n.* 144). — Ratio est, quia promissio *per se* jam obligat, testimonio autem divino invocato confirmatur et corroboratur.

II. Obligatio juramenti promissorii sequitur naturam et conditiones actus cui adjicitur (*can.* 1318, § 1). Quod si adjiciatur actui directe vergenti in damnum aliorum aut in praejudicium boni publici vel salutis aeternae, nullam parit obligationem (*Ibid.*, § 2).

Ratio primi est, quia juramentum naturam actus minime immutat, sed ei solam religionis obligationem addit, et proinde easdem condiciones et limitationes habere debet. Ratio secundi est, quia juramentum, utpote religionis actus, non potest esse vinculum iniquitatis. Neque hujusmodi juramenta reviviscunt, etiamsi res esse illicita postea desinat, ex juris antiqui reg. 18, in VI: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.*

III. Obligatio juramenti est interpretanda *a*) *stricte* secundum jus et secundum jurantis *intentionem*, *b*) aut, si hic dolo agat, secundum *intentionem* illius *cui juratur* (*can.* 1321). Ratio primi est, quia jurans censetur se voluisse obligare quam minime potuit; ratio secundi, quia suus dolus vel fraus nemini prodesse debet.

IV. Obligatio juramenti interpretanda insuper est juxta condiciones tacitas in eo inclusas seu subintellectas, quae sunt: 1.° si potuero sine gravi damno; 2.° si res non erit notabiliter mutata; 3.° si jura aut voluntas superioris non obstiterint; 4.° si alter fidem reciprocam servaverit; 5.° nisi alter de jure suo cesserit. *S. Alph.*, *lib.* 3, *n.* 180.

278.—QUAESITA: 1.um *Obligatne jusjurandum promissorium cum errore aut dolo emissum?*

Resp. Neg., si error aut dolus versatur super rei substantia; secus vero, si adjuncta ejus accidentalia tantum afficiat; quia contractus simplex invalidus foret in priore casu, non autem in posteriore, ubi solum esset *rescindibilis* (*can.* 103, § 2). *S. Alph.*, *n.* 175.

2.um *Obligatne jusjurandum promissorium per vim aut metu gravi extortum?*

Resp. Affirm., sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest (*can.* 1317, § 2).

3.um *Servandumne est jusjurandum quo bonum privatum aut favor a lege concessus renuntiatur?*

Resp. Affirm., dummodo nec vi nec dolo praestitum sit, nec aliunde vergat in dispendium salutis aeternae (*Ibid.*, § 3).

4.um *Quomodo* **cessat obligatio** *jurisjurandi?*

Cessat *a*) Si *remittitur* ab eo in cujus commodum jusjurandum emissum fuerat; *b*) si res jurata substantialiter *mutata est* vel, adjunctis mutatis, fit aut mala aut omnino indifferens, aut denique est *majoris* boni impediens; *c*) si deficit *causa finalis* aut condicio qua jusjurandum forte factum est; *d*) irritatione, dispensatione aut commutatione, ut de voto dictum est, *n.* 262 *seq.* (*can.* 1319).

5.um *Quinam possunt jusjurandum* **irritare, dispensare**, etc.?

Resp. Qui *votum* irritare, dispensare, commutare possunt (Vide *nn.* 263-270), eandem potestatem eademque ratione habent circa jusjurandum promissorium; sed si jurisjurandi dispensatio vergat in praejudicium aliorum qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest jusjurandum dispensare *propter* necessitatem aut utilitatem Ecclesiae (*can.* 1320), cum bonum particulare sit communi Ecclesiae postponendum.

279. — *N. B.* Qui rem pravam juravit, nunquam obligatur jurejurando; immo dupliciter peccat, si juramentum adimplet: et contra virtutem religionis et contra eam virtutem cui materia jurisjurandi opponitur. *S. Alph.*, *n.* 176.

PARS IV

De magisterio ecclesiastico

Cfr. *nn.* 26 et 27.

TITULUS PRAEVIUS

De Ecclesiae magisterio in rebus fidei

280. I. **Fidei depositum Ecclesiae concreditum.** — Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa, Spiritu Sancto jugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret (*can.* 1322, § 1).

II. **Ecclesia in suo magisterio est independens.** — Ecclesiae, *independenter a qualibet civili potestate*, jus est et officium gentes omnes evangelicam doctrinam docendi (*Ibid.*, § 2).

Christus Dominus munus Ecclesiae commisit ab omni humana auctoritate independens Evangelii praedicandi omniumque populorum ac gentium caelesti ipsius doctrina docendarum, cum sic est Apostolos allocutus: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth. XXVIII, 18-20). *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* (Marc.. XVI, 15-16). Vide *vol.* 1, *n.* 44.

CAPUT I

DE OBLIGATIONE UNIVERSALI CATHOLICAM FIDEM AMPLECTENDI

281. — Evangelicam doctrinam rite ediscere veramque Dei Ecclesiam amplecti omnes divina lege tenentur (*can.* 1322, § 2). Vide quae numero superiore dicta sunt, et *vol.* 1, *nn.* 29 *seq.*, 38 *seq.*, 46 *seq.*, 51, 201.

282. **Infideles et infidelitas.** — Qui habitum fidei per baptismum non acceperunt, dicuntur infideles.

Infidelitas igitur, sensu sumpta generali, est carentia fidei in homine non baptizato.

Infidelitas triplex est: positiva, negativa et privativa.

1.ª Dicitur infidelitas *positiva* seu *formalis* carentia fidei in eo qui illam aperte rejicit, cum jam satis ipsam edoctus est.

2.ª Infidelitas *negativa* sive *materialis* est carentia fidei in eo qui nunquam de vera religione certior factus est, aut si quid de ea cognovit, nullam de ea curam habendam esse fide bona existimavit.

3.ª Infidelitas *privativa* dicitur fidei carentia in eo qui culpabiliter negligit, data occasione, aliquam ipsius notitiam acquirere, cum satis noverit obligationem illius examinandae, etsi non statim amplectendae.

283. **Peccatum infidelitatis.** — I. Infidelitas *positiva* seu *formalis* peccatum est gravissimum. Ratio est, quia secum fert gravem injuriam contemptumque primae veritatis, i e., auctoritatis Dei, qui nobis credenda revelat. Culpa infidelitatis *privativae* majore aut minore negligentia in vestiganda veritate dimetienda est. Ut haec negligentia gravis sit, requiritur dubium prudens de errore sectae in qua vivitur.

II. Infidelitas *negativa* sive pure *materialis* in se non est peccatum, sed peccati punitio. Ratio est, quia ibi peccatum esse nequit ubi ignorantia invincibilis est.

CAPUT II

DE OBLIGATIONE CHRISTIANORUM CREDENDI RES FIDEI

284. — I. *Fide divina et catholica* ea omnia credenda sunt quae verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam *divinitus revelata* credenda proponuntur (*can.* 1323, § 1).

II. Solemne hujusmodi judicium pronuntiare proprium est tum Oecumenici Concilii, tum Romani Pontificis *ex cathedra* loquentis (*Ibid.*, § 2). Vide *vol.* I, *nn.* 388, 391, 438.

III. Declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id manifeste constiterit (*Ibid.*, § 3).

285. **Fidei notio et divisio.** — *Fides* sensu latiore est actus intellectus quo assensum praebemus iis quae ab aliquo dicuntur, ejus auctoritate aut veracitate moti.

Fides, quatenus est *virtus theologica,* considerari potest ut *habitus* et ut *actus.* In primo casu est habitus supernaturalis et infusus qui mentem inclinat ut firmiter credat vi auctoritatis divinae veritates divinitus revelatas.

Tanquam **actus**, de quo agitur hoc canone, est assensus firmissimus quem veritatibus a Deo revelatis adhibemus, nixi ipsius Dei revelantis auctoritate.

286. **Fides divina et fides catholica**. — Haec fides actualis dicitur *divina* simpliciter, si credimus id quod nobis Deus certo revelat, sed Ecclesia nobis credendum non proponit, qualis esset revelatio particularis. Dicitur *catholica*, si id credimus quod non solum Deus revelavit, sed etiam nobis ab Ecclesia proponitur ut tanquam de fide credamus, qualia sunt judicia seu definitiones de Christi Domini reali praesentia in Eucharistia, de R. Pontificis infallibilitate.

287. **Fides explicita et implicita, formata, etc.** — 1.° Relate ad suum objectum, fides *explicita* est, si hoc objectum exprimitur crediturque distincte; *implicita*, si objectum in alio tantum inclusum est. Ita cum dicitur: «Credo in SS. Trinitatem», fit actus fidei explicitae de hoc mysterio. At cum dicitur: «Credo omnia quae Ecclesia docet esse credenda», fit actus fidei implicitae de singulis dogmatis revelatis.

2.° Est *formata* seu *viva* et *informis* sive *mortua*, si est conjuncta cum operibus caritatis, aut contra.

288. **Objectum formale fidei.**—*a*) Objectum *formale* fidei, i. e., ratio qua creditur, est auctoritas Dei sapientiae et veracitatis infinitae, qui locutus est.

b) Voluntate Christi Ecclesia constituta est medium sive instrumentum necessarium ac tutum, ut fidelibus proponantur veritates revelatae quas debent credere; ideoque fides catholica innititur etiam secundario in auctoritate Ecclesiae infallibili, quae neque falli potest neque nos fallere, cum fidei articulos nobis proponit.

289. IV. **Obligatio se subjiciendi magisterio.** — Satis non est *haereticam* pravitatem devitare, sed oportet illos quoque errores diligenter fugere, qui ad illam plus minusve accedunt (*can.* 1324).

Quid sit haeresis, qui haeretici, dicitur in *n.* 293.

Quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare quibus pravae hujusmodi opiniones a Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt (*can.* 1324), ut *Syllabus*, decretum *Lamentabili sane*, etc.

V. Episcopi, licet singuli vel etiam in Conciliis particularibus congregati infallibilitate docendi non polleant, fidelium tamen suis curis commissorum, sub auctoritate Romani Pontificis, veri doctores seu magistri sunt (*can.* 1326).

CAPUT III

DE OBLIGATIONE FIDEM PROFITENDI

290.—I. Fideles Christi fidem *aperte profiteri* tenentur quoties eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secumferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, injuriam Dei vel scandalum proximi (*can.* 1325, § 1).

Ratio, quia ita postulat caritas quam in Deum atque in proximum profiteri debemus. *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 3, *a.* 2; *S. Alph.*, *n.* 11.

291.—Inde colligitur debere nos non modo *a*) fidei veritates cum assensu *interno* credere, *b*) *nunquam* eas ne exterius quidem *negando*, sed *c*) in certis adjunctis debere *aperte confiteri* etiam **cum vitae periculo**.

Est igitur de actu *externo* **praeceptum duplex:**

Alterum *negativum,* quod veram fidem negare vetat; nam fidem negare idem est ac Deum negare. Quare Christus apud S. Matth., 10, 33: *Qui negaverit me,* inquit, *coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.*

Alterum praeceptum *affirmativum* est et cogit aliquando ut publice fidei testimonium etiam cum capitis periculo praebeatur. Nam divinus honor nonnunquam exigit ut Christifideles fidei confessioni vitam postponant. Eruitur hoc ex verbis ipsius Christi apud S. Matth., X, 32: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.* Et apud S. Luc., IX, 26: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.*

292.—II. Nunquam licet **fidem simulare falsam**; hoc enim perinde esset ac veram negare, quod malum est intrinsece. Aperte constat ex Christi verbis modo allatis.

III. Licet ex gravi causa **dissimulare** seu occultare fidem veram, secluso scandali periculo. Ratio est, quia non semper urget praeceptum fidei confitendae. *S. Alph.*, *nn.* 10, 12; et *alii communiter.*

IV. *Per se* non licet interrogato a *potestate publica tacere* vel *uti verbis ambiguis;* nisi forte in casu in quo taciturnitas pro confessione fidei habeatur a praesentibus (*Lehmk.*, 1, 293), aut nisi lex aperte statuat nulli potestati publicae licere, ut se in civium conscientiam ingerat. *Génicot*, 1, *n.* 197.

At potest, cum nullum est praesentibus scandalum neque ulla fidei negatio apparet aut formido aut verecundia; tunc enim nulla fidei confitendae adest obligatio. *S. Alph., ibid.* Vide *Ferreres,* Comp. Theol. mor., *vol.* 1, *nn.* 266, 273.

CAPUT IV

DE HAERESI ET HAERETICIS, APOSTATIS ET SCHISMATICIS

293. **Definitiones.** — I. *Haeresis proprie dicta* est voluntarius error et pertinax contra aliquam fidei veritatem ab Ecclesia propositam, in eo qui fidem recepit. *Lato sensu* est error, etiam involuntarius, contra aliquam fidei veritatem.

II. **Haereticus** est qui post susceptum baptismum nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis *denegat* aut de ea *dubitat*. **Apostata**, qui post susceptum baptismum a fide christiana totaliter recedit. **Schismaticus**, qui post susceptum baptismum subesse renuit Summo Pontifici **aut** cum membris Ecclesiae ei subjectis communicare recusat (*can.* 1325, § 2).

294. **Divisio.** — Distinguitur haeresis:

1.° *Formalis*, quae est haeresis proprie seu stricto sensu dicta; et *materialis*, qua quis adhaeret errori sine pertinacia.

2.° *Interna* vel *externa* seu *manifestata* aut pure *externa*, prout *interne* aut *externe* tantum, aut utroque modo habetur, quo in casu *mixta* appellari solet.

3.° *Occulta* et *notoria*, prout nemini aut paucis tantum, vel multis nota est.

Apostasia. — Ad haeresim refertur apostasia, quae est totalis defectio *a fide christiana*, quam quis antea professus est. Sensu minus stricto vocatur etiam apostasia, defectio *a fide catholica*, cum transitur ad sectam haereticam. Peccatum apostasiae specie non differt a peccato infidelitatis vel haeresis. De ea igitur, sicut de haeresi formali, statuendum:

295. — 1.um *Haeresis formalis est semper gravissimum peccatum, sicut ipsa infidelitas.* — Ratio est: 1.° Quia virtus fidei, utpote theologica, est una ex praecipuis virtutibus, et proinde peccatum ipsi directe oppositum est ex gravissimis. 2.° Fides est fundamentum justitiae, sine qua *impossibile est placere Deo* (Hebr., XI, 6); ergo haeresis, expellendo fidem, privat hominem omni justitia. 3.° Quia haeresis est contemptus auctoritatis Dei revelantis; est ergo directe et immediate contra Deum.

2.um *Haeresis pure materialis vacat omni culpa.* — Ratio patet ex ejus definitione: supponitur enim quispiam hic et nunc errare ex ignorantia invincibili veritatis; peccatum autem cum tali ignorantia fieri nullo modo potest. Ergo, etc. Cfr. *Ferreres*, Comp. Theol. mor., *vol.* 1, *n.* 283 *seq.*

Habendus est haereticus *materialis* tantummodo: 1.° Qui paratus est se submittere judicio Ecclesiae, cum errorem agnoverit. 2.° Qui de vera fide nihil cognovit, neque unquam de suae religionis existimata veritate dubitavit. 3.° Qui dubitans, cognoscendae veritati, quantum potuit, incubuit.

Haereticus *formalis* reputandus est: 1.° Qui dubitat, nec vult ulterius inquirere. 2.° Qui malitiose intellectum a motivis auctoritatis avertit, ut suae sectae mordicus adhaereat, animo ita comparato ut, etiamsi *veritas* menti affulgeat, statutum habeat in falsa secta sua perseverare. Si quis vero ignorantiam affectaret, ne se auctoritati Ecclesiae opponeret, etsi gravissime contra fidem peccaret, haereticus *formalis* non esset, quod pertinacia careret (Cfr. *Lugo*. De fide, *disp*. 30, *n*. 197 *seq*.). 3.° Qui, cognita veritate, adhuc contradicit Ecclesiae.

296. — *N. B.* Cavere debent catholici ne disputationes vel collationes, publicas praesertim, cum *acatholicis* habeant, sine venia Sanctae Sedis aut, si casus urgeat, loci Ordinarii (*can*. 1325, § 3).

Hac prohibitione cavetur ne publice verba fiant Ecclesiae nomine ab iis qui carent scientia, auctoritate, peritia et prudentia, quibus est opus ad catholicam doctrinam exponendam et propugnandam.

TITULUS XX

De divini verbi praedicatione (1)

297. I. **Cui est commissa**. — Munus fidei catholicae praedicandae commissum (a Christo) praecipue est Romano Pontifici pro universa Ecclesia, Episcopis pro suis dioecesibus (*can*. 1327, § 1). Vide dicta *n*. 280.

II. **Episcopo jus est et officium praedicandi**.—Episcopi *a*) tenentur officio praedicandi *per se ipsi* Evangelium, nisi legitimo prohibeantur impedimento; *b*) et insuper, praeter parochos, debent alios quoque viros idoneos in auxilium assumere ad hujusmodi praedicationis munus salubriter exsequendum (*Ibid*., § 2).

III. **Jus Episcopi ut nullus in dioecesi sine ejus facultate praedicet**. — Nemini ministerium praedicationis licet exercere, nisi a legitimo Superiore munus acceperit. Hoc autem munus accipi potest vel facultate peculiariter data, vel officio collato cui ex sacris canonibus praedicandi munus inhaereat (*can*. 1328), ut est officium parochi, oeconomi, regentis, etc.

---

(1) Super hac materia gravissima Benedictus XV Encyclicam *Humani generis Redemptionem* edidit, 15 jun. 1917 (*Acta, vol*. 9, *pag*. 305-317), S. autem C. Cons. *Instructionem* sive *Normam* ad illius exsecutionem, 28 jun. ejusdem anni (*Acta, vol*. 9, *pag*. 328-334).

CAPUT I

DE CATECHETICA INSTITUTIONE

298. — I. Proprium ac gravissimum officium, pastorum praesertim animarum, est catecheticam populi christiani institutionem curare (*can.* 1329).

Ex Encyclica Pii X *Acerbo nimis,* 15 april. 1905, parochi omnesque qui curam habent animarum debebant totum annum, diebus dominicis et festis, *nullo excepto,* catechismum pueros docere *per horam integram.* Hoc quidem praeceptum in Codice non reperitur, sed quoad substantiam videtur exsequendum, saltem si ita Episcopus jubet, ad normam can. 1336. Vide *n.* 300, 2.°

II. Praeterea debet parochus: *a*) singulis annis statis temporibus, continenti per plures dies institutione, pueros ad sacramenta *poenitentiae et confirmationis* rite suscipienda praeparare; *b*) peculiari omnino studio, praesertim, si nihil obsit, *Quadragesimae* tempore, pueros sic instituere ut sancte Sancta primum de altari libent (*can.* 1330); *c*) et pueros qui primam communionem recenter receperint, uberius ac perfectius catechismo excolere (*can.* 1331).

III. Haec vero de pueris. Ad adultos quod attinet, debet parochus eis *catechismum* sermone ad eorum captum accommodato explicare; hoc autem faciendum *a*) diebus dominicis aliisque festis de praecepto; *b*) hora non sibi commodiore, sed suo judicio *magis apta ad populi* **frequentiam** (*can.* 1332).

299. — *Potestne parochus jubere ut a suis coadjutoribus in hoc officio juvetur sive pro pueris sive pro adultis?*

Resp. Potest; immo, si legitime sit impeditus, *debet* operam adhibere clericorum, in paroeciae territorio degentium, aut etiam, si necesse sit, piorum laicorum, potissimum illorum qui in pium sodalitium *doctrinae christianae* aliudve simile in paroecia erectum adscripti sint (*can.* 1333, § 1).

Quin etiam presbyteri aliique clerici, nullo legitimo impedimento detenti, proprio parocho in hoc sanctissimo opere adjutores esse *debent*, etiam sub poenis ab Ordinario infligendis (*Ibid.*, § 2).

300. — *Quando* **religiosi** *tenentur populo catechismum docere?*

Resp. 1.° Cum, Ordinarii loci judicio, religiosorum auxilium ad catecheticam populi institutionem sit necessarium, Superiores religiosi, etiam exempti, ab eodem Ordinario requisiti, tenentur per se vel per suos subditos religiosos, sine tamen regularis disci-

plinae detrimento, illam populo tradere, praesertim in propriis ecclesiis (*can.* 1334).

2.° Ordinarii loci est omnia in sua dioecesi edicere quae ad populum in christiana doctrina instituendum spectent; et etiam religiosi exempti, quoties personas non exemptas docent, eadem servare tenentur (*can.* 1336).

301. — *N. B.* 1.° Etiam vicarii coadjutores parochorum debent pueris catechismum tradere (*can.* 476, § 6, et 1333, § 2); in **Hispania** etiam beneficiarii Coronae Aragoniae (1).

2.° Episcopus jubere potest ceteros clericos catechismum pueros docere (*can.* 128) (2), sacerdotes praesertim qui celebrare debent in ecclesiis tam distantibus, ut paroeciani non sine gravi incommodo possint paroecialem ecclesiam adire (*can.* 483, 1.°). Vide *vol.* I, *n.* 774 (3).

3.° Obligatio christianae doctrinae tradendae **gravissima** est (Synod. dioec. *Vallisol., lib.* 1, *tit.* 5, § 1, *n.* 6).

Conc. Plen. **Amer. lat.**, *n.* 820, III, inter peculiares causas privationis officii et beneficii temerariam omissionem catecheticae institutionis numerat, saltem si diebus dominicis aliisque festivis de praecepto per majorem anni partem omittitur etiam post legitimam monitionem. Idem Pius X ad decennium ad **Insulas Philippinas** extendit 1 jan. 1910, quod etiam Codex affert *can.* 2182-2185.

4.° Munere catechizandi parochus *per se ipse* fungi debet, nisi legitime impediatur. Innoc. XIII, Const. *Apostolici ministerii,* § 2; Conc. Prov. *Vallisol., p.* 6, *tit.* 7, § 3, *n.* 1; *Wernz,* l. c., *vol.* 3, *n.* 45. Cfr. *Ferreres,* l. c., *n.* 20 *seq.*

5.° Non solum parentes aliique qui parentum locum tenent (ut, v. gr., sunt tutores), sed heri quoque ac patroni obligatione adstringuntur curandi ut omnes sibi subjecti vel commendati catechetica institutione erudiantur (*can.* 1335).

CAPUT II

DE SACRIS CONTIONIBUS

ARTICULUS I

A QUIBUS ET QUOMODO CONTIONATORES ELIGENDI

302. **A quo facultas contionandi concedatur.** — Tum clericis e clero *saeculari*, tum *religiosis non exemptis* facultatem contio-

---

(1) Cfr. *Ferreres,* La enseñanza del Catecismo, comentario canónico-moral sobre la Encíclica *Acerbo nimis, n.* 15 *seq.*

(2) Bened. XIV, Const. *Etsi minime,* 2 febr. 1742, § 6; Conc. Prov. *Vallisolet., p.* 6, *tit.* 7, § 3, *n.* 1; Conc. Prov. *Burg., p.* 1, *tit.* 6, *n.* 5. Cfr. *Ferreres,* l. c., *n.* 17 *seq.*

(3) Cfr. Bened. XIII, in Conc. Rom., *tit.* 1, *c.* 5; Conc. **Manil.**, *n.* 855. Cfr. *Ferreres,* l. c., *n.* 17.

nandi pro suo territorio solus concedit loci Ordinarius (*can.* 1337).

303. **Religiosi exempti. — I. Quis eam concedat.** Si contio vel adhortatio habenda sit tantum ad religiosos exemptos aliosve de quibus in can. 514, § 1 (scil. ad illos qui in domo religiosa diu noctuque degunt causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis), facultatem contionandi in religione clericali dat *eorum Superior* secundum constitutiones (*can.* 1338, § 1).

II. **Cui et quomodo.** — *a*) Superior religiosus potest hanc facultatem concedere tum *religiosis* sive suae sive alius religionis, tum *clericis saecularibus*; *b*) dummodo a proprio Ordinario vel Superiore sint idonei judicati (*Ibid.*).

III. **Quando ab Ordinario loci concedatur.**— Si contio habenda est ad alios, diversos ab iis de quibus in § 1, etiamsi fiat (in ecclesia regularium exemptorum, vel) ad moniales regularibus subjectas, facultatem impertit Ordinarius loci in quo contio fiet (*Ibid.*, § 2).

Ergo *religiosi* quoque *exempti* ne in propriis quidem ecclesiis sine Ordinarii facultate possunt ad populum verba facere.

IV. **Facultas, licentia, consensus.** — *a*) Contionator verba facturus monialibus exemptis, sive Ordinario *non subjectis, licentia* Superioris regularis *praeterea* indiget (*Ibid.*).

b) Facultatem vero contionandi apud sodales religionis laicalis, quamvis exemptae (v. c., apud Fratres S. Joannis de Deo), dat loci Ordinarius; sed contionator nequit facultate uti sine Superioris religiosi *assensu* (*Ibid.*, § 3).

304. **Negatio et renovatio licentiae religiosorum.** — I. Ordinarii locorum religiosis qui a proprio Superiore exhibeantur, facultatem concionandi *sine gravi causa* non possunt licite *denegare* (1339, § 1).

II. Multo minus possunt licite revocare concessam (*Ibid.*), secundum illud: *Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.*

III. Gravior etiam causa requiritur ad hanc facultatem una simul universis domus religiosae sacerdotibus revocandam (*Ibid*).

At patet fieri revocationem posse justis de causis.

IV. Contionatoribus religiosis, ut *facultate* recepta uti liceat, opus est praeterea sui Superioris *licentia* (*Ibid.*, § 2).

ARTICULUS II

DE CONTIONATORUM IDONEITATE

305. **Praevia conditio ad contionandi facultatem.** — I. Graviter onerata eorum conscientia, loci Ordinario vel Superiori religioso non est liberum facultatem vel licentiam contionandi cui-

quam concedere, nisi prius constet de ejus bonis moribus et de sufficienti doctrina (*can.* 1340, § 1).

II. Constare autem de doctrina communiter debet praevio *examine.* Excipitur sacerdos cujus doctrina theologica aliunde eis nota est, ut canone 877, § 1 indicatur, quod attinet ad audiendas confessiones (*Ibid.*).

III. Communis igitur ratio cognoscendae idoneitatis ad praedicationem, in scientia potissimum agendique ratione, est experimentum sive examen verbale et scriptum coram tribus examinatoribus subeundum, ab Ordinario eligendis inter synodales examinatores vel inter alios sacerdotes etiam extradioecesanos aut cleri regularis (*Instr. S. C. Consist.*, *n.* 14) (1).

Ex praecedenti examine Ordinarius candidatum debet aptum declarare ad praedicationem omnem vel tantum ad certum praedicationis genus, perpetuo vel ad tempus, etc.; cui licentiam concedere poterit sicut ad confessiones fieri solet.

306. **Facultas concessa revocanda.** — Si, concessa facultate vel licentia, compererint necessarias dotes in contionatore desiderari, debent eam revocare (*can.* 1340, § 2).

In dubio de doctrina, debent certis argumentis dubitationem excutere, novo etiam examine, si opus fuerit (*Ibid.*).

307. **Recursus contra revocationem**.—Ob revocatam contionandi facultatem vel licentiam, datur recursus, sed (solum in devolutivo) non in suspensivo (*Ibid.*, § 3).

a) Contra facultatem ab Ordinario loci revocatam S. Sedes adeunda est; *b*) contra facultatem vel licentiam respective revocatam a Superiore religioso adeundus Superior major (Provincialis aut Generalis, etiam S. Religiosorum Congregatio); *c*) sed interea, in utroque casu, revocationi subjiciendum et a praedicatione abstinendum est.

ARTICULUS III

QUIBUS ET QUA RATIONE VENIA PETENDA

308.—**Sacerdotes extradioecesani** sive saeculares sive religiosi: 1.° ad contionandum non possunt invitari, nisi prius *licentia* ab Ordinario loci in quo contio habenda est, obtenta; 2.° hic autem Ordinarius licentiam concedere nequit (2), nisi prius bonum testi-

---

(1) Tam is qui obligationem facultatis petendae contemnendo, sacerdotem invitat ad contionandum, quam is qui sciens et volens hanc obligationem spernendo, invitationi respondet, puniendi sunt ad Ordinarii arbitrium etiam *suspensione a divinis* (*Ibid.*, *n.* 8).

(2) Si agitur de contionatore extradioecesano, licentia *scripto* danda est, loco designato et genere praedicationis.

monium super contionatoris doctrina, pietate, moribus a proprio ejusdem Ordinario habuerit; quo tamen testimonio opus non est, si contionatoris idoneitatem aliunde Ordinarius compertam habet (*can.* 1341, § 1).

Ordinarius proprius cum testimonium tradit, graviter onerata conscientia, secundum veritatem respondere debet (*Ibid.*).

Huic autem testimonio assentiendum est ab Ordinario qui illud accepit, servato absolute de re cognita secreto (*Instr. cit.*, *n.* 11).

Ordinarius qui vi testimonii *ut supra* aliave de causa judicat coram Deo facultatem contionandi esse denegandam, satis est ut de suo consilio faciat certiorem eum qui licentiam postulavit, nihil de sua agendi ratione addens, nam de ea soli Deo ratio est danda (*Ibid.*, *n.* 12).

309. **A quo petenda et quando.** — I. Licentia *tempestive* petenda est: *a*) a parocho, si contio habenda est in paroeciali ecclesia aliave eidem subjecta; *b*) a rectore ecclesiae, si agitur de ecclesia, auctoritati parochi non obnoxia; *c*) a prima dignitate, de Capituli *consensu*, si de ecclesia capitulari; *d*) a moderatore seu cappellano confraternitatis, si de ecclesia ejusdem confraternitatis propria (*can.* 1341, § 2). *e*) Si ecclesia paroecialis est simul capitularis aut confraternitatis propria, ille licentiam petere debet qui sacras functiones jure peragit (*Ibid.*, § 3) in quibus contio habenda est.

II. Secundum praescripta S. Congregationis Concilii, *in Sutrina*, 8 maji 1688, et *in Ripana*, 21 maji 1707, qui hanc facultatem petit nomen contionatoris tantummodo debet proponere, idque subordinate ad beneplacitum Ordinarii, qui solus uti potest verbis *eligimus et deputamus ad postulationem N. N.*, etc. (*Instr. cit. S. C. Consist.*, *n.* 6).

III. *a*) Petitio facienda est generatim **ante duos** *menses*, ut jam decrevit S. Concilii Congregatio *in Theanen.*, 19 april. 1728 et 30 april. 1729. *b*) Integrum est Episcopis tempus assignare longius aut brevius, attenta natura et qualitate praedicationis et contionatoris dioecesani aut extradioecesani (*Instr. cit.*, *n.* 7).

310. **Quibus contionandi facultas concedi possit.** — *a*) Solis *sacerdotibus* vel *diaconis* (*can.* 1342, § 1). *b*) Non vero ceteris clericis, nisi duplici conditione: 1.[a], rationabili de causa judicio Ordinarii; 2.[a], in casibus singularibus (*Ibid.*). *c*) Contionari in ecclesia vetantur laici omnes, etsi religiosi (*Ibid.*, § 2).

Igitur diaconis facultas concedi potest *habitualiter* contionandi; quod antea insuetum erat.

ARTICULUS IV

DE IIS QUI ET POSSUNT ET DEBENT CONTIONARI

311. I. **Quibus in ecclesiis loci Ordinarius contionari possit.** —In qualibet sui territorii, etsi exempta (*can.* 1343, § 1).

II. **Jus Episcopi exclusivum.** —Nisi agatur de magnis civitatibus, potest quoque Episcopus (etiam igitur Abbas *nullius*, Praelatus *nullius:* vide *can.* 216, § 2, et *nn.* 382, 756, *vol.* 1) prohibere *a*) ne in aliis ejusdem loci ecclesiis verba fiant ad fideles, *b*) quo tempore vel contionem ipse habet *c*) vel coram se, ex causa *publica* atque *extraordinaria*, convocatis fidelibus, habendam curat (*can.* 1343, § 2).

312. **Obligatio verbi divini nuntiandi propria parochi.** —I. **Dies et horae.** —Proprium cujusque parochi officium est consueta homilia verbum Dei populo nuntiare: *a*) *omnibus diebus dominicis* ceterisque per annum *festis* de praecepto, *b*) praesertim intra Missam in qua major solet esse populi frequentia (*can.* 1344, § 1).

II. **Obligatio personalis.** —Parochus huic obligationi nequit per alium *habitualiter* satisfacere, nisi ob justam causam ab Ordinario probatam (*Ibid.*, § 2), (v. gr., aegrotationem).

Potest igitur interdum per alium officio suo satisfacere.

III. **Dispensationes.** —Potest Ordinarius permittere ut *a*) solemnioribus quibusdam festis *b*) aut etiam, **ex justa causa**, aliquibus diebus dominicis contio omittatur (*Ibid.*, § 3).

313. **Aliorum sacerdotum obligatio.** —I. Optandum est ut in omnibus Missis quae, fidelibus adstantibus, diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis celebrantur, brevis Evangelii aut alicujus partis doctrinae christianae explanatio fiat (*can.* 1345).

II. Ordinarius loci id potest praecipere, opportunis datis instructionibus, quibus obedire debent non solum sacerdotes e clero saeculari, sed etiam religiosi, exempti quoque, in suis ipsorum ecclesiis (*Ibid.*).

314. **Contiones extraordinariae.** I. **Tempora et loca**.—Curare debent locorum Ordinarii ut *a*) tempore Quadragesimae, itemque, si id expedire visum fuerit, tempore Adventus, *b*) in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus sacrae conciones frequentius ad fideles habeantur (*can.* 1346, § 1).

II. **Capituli praesentia.** —Canonici aliique de Capitulo *a*) huic contioni, si in propria ecclesia continuo post chorum habeatur, interesse tenentur, *nisi justo impedimento detineantur; b*) et illos Ordinarius, poenis quoque adhibitis, ad id adigere potest (*Ibid.*, § 2).

ARTICULUS V

QUALIS PRAEDICATIO. — DE POENIS IN CONTRAVENIENTES

315. **Materia et forma sacrae contionis.** — I. In sacris contionibus exponenda in primis sunt quae fideles credere et facere ad salutem oportet (*can.* 1347, § 1).

II. Divini verbi praecones *abstinere* debent: *a*) *profanis* et *abstrusis* argumentis communem audientium captum excedentibus; *b*) et evangelicum ministerium non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, non in *profano inanis* et *ambitiosae* eloquentiae apparatu et lenocinio exercere. (*Ibid.*, § 2).

III. Sed potius illud in ostensione spiritus et virtutis exercere debent, non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes (*Ibid.*), aemulatores S. Pauli effecti.

IV. Si contionator agere voluerit de rebus non stricte sacris, etsi semper domum Dei decentibus, petere debet et obtinere *veniam Ordinarii*, quam hic nunquam nisi post maturum examen ejusque necessitate permotus concedet. Omni contionatori omnino et absolute prohibetur *de rebus politicis* agere. Nemini licet laudationes funebres habere sine praevio explicitoque Ordinarii consensu, qui, antequam praebeatur, exigere poterit ut manuscriptum sibi tradatur (*Instr. cit.*, *nn.* 20, 21) (1).

316. **In pravae doctrinae contionatores.** — *a*) Si, quod absit contionator errores aut scandala disseminabit, servandum est praescriptum can. 2317 (*can.* 1347, § 3). Itaque arcendus est a praedicando verbo Dei, ab audiendis confessionibus atque a docendo, salvis aliis poenis, quas sententia damnationis aut Ordinarius forte statuerit; *b*) si haereses docebit, in eum praeterea ad normam juris agetur (*Ibid.*).

317. **Hortatio ad fideles.** — Monendi et adhortandi diligenter fideles sunt ut sacris contionibus frequenter intersint (*can.* 1348).

CAPUT III

DE SACRIS MISSIONIBUS

318. **Quando habenda.** — I. Parochis est curandum ut sacra, quam vocant, missio saltem *decimo quoque anno* ad gregem

(1) Vulgatus mos utendi ephemeridibus aut foliis excusis prelove subjectis tum ante contionandum ad auditores convocandos, tum post habitam orationem ad contionatorem laudandum omnino improbatur et damnatur, neque ullus praetextus quidquam valet. Curent Ordinarii ut hic mos tollatur neve irrepat (*Instr. cit.*, *n.* 25). Aliquot jam Praelati folia periodica de hac re edocuerunt, ut ab ea se abstineant.

sibi commissum habeatur, et Ordinarii ut ita fiat advigilandum (*can.* 1349, § 1).

II. Parochus, etiam religiosus, in his missionibus instituendis, mandatis *Ordinarii* loci stare debet (*Ibid.*, § 2).

Incredibile est quam uberrimi fructus ex his missionibus rite praeparatis et habitis capiantur.

De earum praestantia, fructu, genere, praeparatione, methodo exercitiorum in ipsis habendorum, etc., videri potest *Mach-Ferreres, vol.* 2, *nn.* 760-786; item *Santos* (Ignatius), Directorio para dar misiones (Bilbao, 1903).

319. **Cura acatholicorum.** — I. Ubi hierarchia catholica constituta est (vide *vol.* I, *nn.* 516-601 *seq.*), Ordinarii locorum et parochi acatholicos, in suis dioecesibus et paroeciis degentes, commendatos sibi in Domino habere debent (*can.* 1350, § 1), et curare de illorum conversione precibus fundendis adhibendisque aliis artibus, ut contionibus, collationibus, etc., quas suggerunt prudentia, caritas studiumque flagrans animarum.

II. In aliis territoriis universa missionum cura apud acatholicos Sedi Apostolicae unice reservatur (*Ibid.*, § 2).

III. Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogendus est (*can.* 1351). Ratio, quia Ecclesia nihil aliud vult quam salutem animarum, cum eos ad fidem catholicam curat adducendos; jam vero si conversio libera non est, nihil confert ad animae salutem.

TITULUS XXI

De Seminariis

CAPUT I

DE ORIGINE SEMINARIORUM

320. — I. Ecclesiae est jus proprium et *exclusivum* eos instituendi qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt (*can.* 1352).

Sequitur ex independentia Ecclesiae in suo ordine (*vol.* I, *n.* 44) et ex iis quae dicta sunt *nn.* 280-297 hujus vol.

321. — II. Semper Ecclesia specialem curam adhibuit, habita ratione circumstantiarum, in juvenibus ad sacerdotium aspirantibus instituendis.

a) Inter antiquissimos Episcopos quibus cordi hoc fuit, mentio fit de S. Augustino. In quo excellunt etiam Concilia Toletana II (ann. 527 aut 531), *can.* 2, et IV (ann. 633), *can.* 23 et 24, qui ad decretum Gratiani traducti sunt(*c.* 5, D. 28; *c.* 1, *C.* XII, *q.* 1), habitique ante oculos a Tridentino in redigendo decreto de quo mox dicendum.

b) Carolo Magno Imperatore admodum clericales scholae floruerunt, quae tractu temporis juxta ecclesias cathedrales positae fuerunt. Has magnae Universitates consecutae sunt. Cfr. *Poüan,* De Seminar. clericor., *p.* 1, *n.* 79; *Wernz,* Jus Decretal., *vol.* 3, *nn.* 90-92.

c) At nostra Seminariorum institutio debetur Conc. Tridentino, decreto sess. 23, quae habita est 15 jul. 1563 (Cfr. *Theiner,* Acta genuina Conc. Trid., *vol.* 2, *pag.* 268 *seq.*, 309, 310). Multi Patres Conc. Tridentini ita decretum de Seminariis magni pendebant, ut affirmarent illo uno omnes Concilii labores compensatos, etiamsi ejus celebratio fructum alium tulisset nullum. Cfr. *Pallavicini,* Conc. Trid. historia, *lib.* 21, *c.* 8, *n.* 3 (Augustae Vindelicorum, 1775, *vol.* 3, *pag.* 206).

d) Scriptores S. Ignatium indicant tanquam eum qui viam stravit ad nostrae aetatis Seminaria, cum Romae ann. 1552 Collegium Germanicum condidit undecimo ante latum a Tridentino praestantissimum de Seminariis decretum. Et re quidem vera Patribus Tridentinis exemplar fuit illa fundatio, quibus probe cognita erat, quippe quae Romae esset et a S. Pontifice nonnullisque Cardinalibus maxime probaretur. *Poüan,* De Semin. clericor. (Tornaci, 1874), *pag.* 89 *seq.*; *Wernz,* Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 92 (*edit.* 2, *pag.* 86, Romae, 1908).

Bulla erectionis Collegii Germanici quae incipit *Dum sollicita,* expedita est a Julio III, 31 aug. 1552, inveniturque apud *Poüan*, l. c., *pag.* 310 *seq.* Collegium Romanum erectum est 18 febr. 1551 (*Ribadeneira*, Vida del bienaventurado Padre Ignacio de Loyola, *lib.* 4, *c.* 3, *pag.* 390).

e) Non minor laus est tribuenda S. Thomae a Villanova, Archiepiscopo Valentino, qui Valentiae ann. 1550 Collegium Majus Praesentationis instituit iis tantummodo qui ad sacerdotium aspirant (est autem instauratum 7 nov.).

Jam ab aliquot ante saeculis ubivis catholicarum nationum majora Collegia erant disseminata, sed ea *indiscriminatim alumni diversarum disciplinarum* frequentabant. S. vero Thomas et S. Ignatius opus esse intellexerunt Collegiis aut Institutis *soli clero saeculari destinatis,* scil. adolescentibus *qui ad sacerdotium aspirarent,* ubi essent ab amicorum periculis liberi, sapientibusque constitutionibus educarentur «omnique honestate, sanctitate et timore Dei», ut ipse S. Thomas a Villanova ajebat, ad praecelsum animarum ministerium convenienter praepararentur.

Hoc vero consilium ita Patribus Tridentinis placuit, ut hujusmodi Collegiorum sive Seminariorum institutionem in omnibus dioecesibus decernerent.

322. **Ecclesiasticae vocationes fovendae.** — Debent operam dare sacerdotes, praesertim parochi, ut pueros, qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant divinaeque in eis vocationis germen foveant (*can.* 1353).

CAPUT II

QUO LOCO SEMINARIA CONSTITUENDA, SI CONSTITUTA NON SUNT

323.—**Unaquaeque dioecesis in loco convenienti Seminarium habere debet** seu collegium in quo, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine, certus adolescentium numerus ad statum clericalem instituatur (*can.* 1354, § 1). Aptior locus est urbs episcopalis prae oculis ipsius Episcopi.

324. **Duplex Seminarium, majus et minus**. — Curandum ut in majoribus praesertim dioecesibus bina constituantur Seminaria: minus, scilicet, pro pueris litterarum scientia imbuendis, majus pro alumnis philosophiae ac theologiae vacantibus (*Ibid.*, § 2). Alumnis convenire solet haec minorum majorumque separatio.

325.—I. **Si constitui Seminarium dioecesanum nequeat**, aut in constituto Seminario conveniens institutio, praesertim in philosophicis ac theologicis disciplinis, desideretur, Episcopus alumnos in alienum Seminarium (*rite constitutum*) debet mittere (*Ibid.*, § 3).

II. Excipitur, si *Seminarium interdioecesanum* vel *regionale* auctoritate apostolica constitutum est (*Ibid.*) variis dioecesibus aut regionibus, ut in aliquibus locis Italiae et Americae Latinae, etc.

326. **Jus concordatum hispanum.** — In **Hispania,** art. 28 Legis Concordatae, *a.* 1851, sic statuit: «Regiae Majestatis Catholicae Gubernium, firmo alioquin proposito opportune et quo citius circumstantiae id sinant, reque prius cum Apostolica Sede concordata, Seminaria generalia instituendi, in quibus latiore, ut par est, modo ecclesiastica studia excolantur, provide pro sui parte curabit, ut *Seminaria Conciliaria in Dioecesibus, ubi nunc desunt,* sine mora erigantur, quo nempe in posterum *nulla* in Hispanica ditione *Ecclesia* sit, *quae* **unum** *saltem* **Seminarium** sui Cleri educationi *sufficiens* non habeat. In Seminariis admittentur, atque ad normam Sacri Concilii Tridentini informabuntur, atque instituentur adolescentes, quos Archiepiscopi et Episcopi pro Dioecesium necessitate vel utilitate in eadem recipiendos judicaverint. In omnibus vero quae ad Seminariorum regimen, doctrinam, bonorumque administrationem pertinent, Tridentini ipsius Concilii decreta servabuntur.

»Si novae Dioecesium circumscriptionis causa duo Seminaria in aliquibus supersint, alterum in principe Episcopatus Civitate, alterum in Dioecesi adgreganda, utrumque conservabitur quamdiu Regio Gubernio, atque Episcopis id unanimi consensu utile videatur.»

327. **Jus concordatum in aliquot nationibus Americae latinae.** — Rata fit, expensis solvendis a respectivo Gubernio, **erectio** Seminariorum eorumque **assignatio** juxta Leges Concordatas **Costae-Ricae,** *a.* 5; **Nicaraquae,** *a.* 5; **S. Salvatoris,** *a.* 5; **Hondurensibus,** *a.* 5; **Guatimalae,** *a.* 5; **Haitiensibus,** *a.* 14; **Venezolanis,** *a.* 6. Vide nostrum *Comp. Th. mor.*, *vol.* 1, App. VI ad calc. vol.

CAPUT III

DE SEMINARII DOTE SIVE «DOTATIONE» DEQUE MEDIIS ILLIUS ACQUIRENDAE

328. **Reditus Seminarii.** — Si Seminario *reditus necessarii deficiunt: a*) pro ejus constitutione, *b*) et alumnorum sustentatione, Episcopus potest: 1.° Parochos aliosve ecclesiarum etiam exemptarum rectores jubere ut statis temporibus in ecclesia ad hunc finem stipem exquirant; 2.° **tributum** seu **taxam** in sua dioecesi imperare; 3.° si haec non sufficiant, attribuere Seminario aliqua beneficia *simplicia* (*can.* 1355).

Haec media iis analoga sunt quae Tridentinum designavit.

329. — Mens Ecclesiae, quae patet tam ex Tridentino quam ex Codice, est ut *sustentatio gratuita* alumnis Seminarii *pauperibus* tribuatur, qui sunt maxima pars; nam Ecclesia bonis spoliata omnes fere ministros suos, ut Apostolos Christus Dominus, inter pauperes conquirit. Est autem res justa ut quoad fieri possit gratuito vivant, cum sese ad ministerium praeparent in quo plures vix poterunt urgentioribus necessitatibus subvenire; neque rationi consentaneum est ut pauperis familiae facultates consumant studendo, ita ut postea onus perseverans pro sua familia constituant.

330. **Qui vectigali pro Seminario subjiciantur.** — Tributo pro Seminario obnoxia sunt, quavis appellatione remota, reprobata qualibet contraria consuetudine et abrogato quolibet contrario privilegio: *a*) mensa *episcopalis; b*) omnia *beneficia* etiam regularia aut jurispatronatus; *c*) *paroeciae* aut *quasi-paroeciae*, quamvis alios reditus, praeter fidelium oblationes, non habeant; *d*) domus *hospitalis* auctoritate ecclesiastica erecta; *e*) sodalitates canonice erectae *f*) et fabricae ecclesiarum, si suos reditus habeant; *g*) quaelibet *religiosa domus*, etsi exempta, nisi solis eleemosynis vivat aut in ea collegium discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum *actu* habeatur (*can.* 1356, § 1).

331. **Quantitas vectigalis.** — *a*) Hoc tributum debet esse generale ejusdemque proportionis pro omnibus; *b*) majus vel minus secundum Seminarii necessitatem; *c*) sed quinas quotannis centesimas partes (5 %) reditus vectigalis non excedens, *d*) minuendum prout reditus Seminarii augentur (*Ibid.*, § 2).

332. **Reditus tributo obnoxii.** — I. Reditus tributo (quinarum centesimarum partium) obnoxius is est qui, deductis oneribus et necessariis expensis, supersit in anno (*Ibid.*, § 3).

II. Sed in eo reditu *computari non debent a*) *distributiones* quotidianae, *b*) neque fidelium *oblationes* (*Ibid.*).

III. Quod si omnes beneficii fructus distributionibus constent aut omnes reditus paroeciae coalescant fidelium oblationibus, tertia earundem pars a tributo excipitur, reliquae duae sunt tributo obnoxiae (*Ibid.*).

333. — In **Hispania,** ex Lege Concord., *a.* 1851, «Seminariis Conciliaribus juxta necessitatum et circumstantiarum varietatem intra nonaginta et centum viginti milia argentorum quotannis attribuentur» (Art. 35). Sed in praxi minimum tantummodo tribui solet, facta etiam magna diminutione aut subductione. *López-Peláez,* l. c., *pag.* 457 (edit. 3).

Praeterea, ex art. 37: «Rata pars redituum cuilibet Mensae Episcopali pro tempore vacationis debita, deductis tum emolumentis, quae respondeant Oeconomo per Capitulum ipso actu electionis Vicarii Capitularis deputando tum sumptibus ad urgentem Episcopalis palatii restaurationem requisitis, inter Seminarium Conciliare et futurum Praelatum aequaliter dividetur.»

Eleemosynae etiam ex indultis Cruciatae, abstinentiae et jejunii *Seminariis* aliisque piis usibus a S. Sede designatis tribuendae sunt. Cfr. *Ferreres,* La nueva Bula de Cruzada, *n.* 274 *seq.* (edit. 3.[a]).

De **America latina** cfr. quae *n.* 327 dicta sunt.

CAPUT IV

DE EPISCOPI AUCTORITATE IN SEMINARIA

334. — I. Episcopi est (aut Praelati *nullius*, etc.), *a*) omnia et singula quae ad rectam Seminarii dioecesani *administrationem*, *regimen*, *profectum* necessaria et opportuna videantur, decernere, *b*) eaque ut fideliter observentur, curare, *c*) salvis praescriptionibus a Sancta Sede pro casibus peculiaribus latis (*can.* 1357, § 1).

II. Potissimum studere debet Episcopus: *a*) frequenter Seminarium ipse per se visitare, *b*) in institutionem quae alumnis traditur sive litterariam et scientificam sive ecclesiasticam sedulo vigilare, *c*) et de alumnorum indole, pietate, vocatione ac in studiis profectu pleniorem sibi comparare notitiam, maxime occasione sacrarum ordinationum (*Ibid.*, § 2).

III. Unumquodque Seminarium suas leges (aut normas) habere debet ab Episcopo approbatas, in quibus quid agere, quid observare debeant doceantur tum alumni, tum qui in horum institutionem operam impendunt (*Ibid.*, § 3).

N. B. **Seminarii interdioecesani** vel regionalis regimen universum et administratio regitur normis *a Sancta Sede* statutis (*Ibid.*, § 4).

CAPUT V

DE PERSONIS COETIBUSQUE DEPUTATORUM

335. **Personae.** — Curandum ut in quolibet Seminario adsint *a*) *rector* pro disciplina, *b*) *magistri* pro instructione, *c*) *oeconomus* pro curanda re familiari, a rectore distinctus, *d*) duo saltem confessarii ordinarii, *e*) et *director spiritus* (*can.* 1358).

336. — Rector et oeconomus magistri esse possunt, non tamen sint oportet confessarii ordinarii. Rector autem neque potest esse confessarius ordinarius neque confessiones audire alumnorum in eodem Seminario commorantium, nisi alumni ex gravi et *urgenti* causa in casibus particularibus sponte id petant (*can.* 891 et 1360, § 1).

337. **Bini deputatorum coetus.** — I. Singulis Seminariis bini sunt constituendi coetus deputatorum, alter pro *disciplina*, alter pro *administratione bonorum temporalium* (*can.* 1359, § 1).

II. Utrumque deputatorum coetum **constituunt bini sacerdotes**, ab Episcopo, *audito* Capitulo, electi (*Ibid.*, § 2).

III. **Ab his coetibus excluduntur** Vicarius Generalis, familiares Episcopi, rector Seminarii, oeconomus, et confessarii ordinarii (*Ibid.*).

Ratio est, quod ad priores attinet, ne sint velut judices et partes in eadem causa; quod ad confessarios, ne qui in foro *interno* judices sunt, sint etiam in *externo*.

IV. *a*) Munus deputatorum **per sexennium durat**, *b*) nec electi *sine gravi causa* amoveri possunt; *c*) sed *rursus eligi* poterunt (*Ibid.*, § 3).

In hoc antiqua disciplina servatur omnino (1). Sunt causae justae senectus, morbus, indignitas manifesta.

V. Episcopus **debet consilium** deputatorum in negotiis majoris momenti **petere** (*Ibid.*, § 4).

338. — Duorum coetuum institutio a Conc. Tridentino creata est decreto de Seminariis citato. Coetus pro *disciplina* constabat ex duobus canonicis Cathedralis libere ab Episcopo inter graviores et antiquiores electis. Nunc satis est ut sint sacerdotes virtutibus dotibusve praestantes.

Coetus pro *administratione bonorum* quattuor membris constabat, duobus canonicis, clericis urbis duobus. Canonicorum alter ab Episcopo, alter a Capitulo nominabatur, quod etiam cum sacerdotibus fiebat. Haec nunc

---

(1) Cfr. S. C. Conc., jul. 1589; *lib.* 6 Decretal. *pag.* 22; in *Sarzanen*,, 25 jun. 1639; *lib.* 6 Decretal., *pag.* 221, etc.: *Thes. resol. S. C. C., vol.* 7, *pag.* 213; *Poüan*, l. c., *pag.* 288.

commissio sicut altera e duobus tantum membris constat, ab Episcopo electis audito Capitulo (*vol.* 1, *n.* 229). Antea, ut in praesentiarum, coetuum votum consultivum erat solummodo; quare sufficit et requiritur *ad validitatem* ut ab Episcopo petatur, non tamen illud sequi tenetur. Cfr. *can.* 105, et *vol.* 1, *n.* 229.

339.—**Coetus membris omnibus constare debent**, ita ut si quod eorum abest, aegrotat, etc., substituendum sit. Causam vide *in Arboracen.*, 31 mart. 1855 (*Thes. resol.* S. C. C., *vol.* 114, *pag.* 120 *seq.*); *Poüan*, l. c., *pag.* 286. Quod nullum membrum desit, ad validitatem requiri videtur ubi consilium petendum est. *Lucidi*, De visit., *vol.* 2, *c.* 6, *nn.* 99 et 100.

340. **Quando sint audiendi.** — *a)* Coetus *pro disciplina* est audiendus ad normas Seminarii approbandas, ad magistros creandos, admittendos alumnos, textus eligendos, ad confessarios nominandos, ad discolos puniendos, etc. (1).

Etiam audiendus videtur ad rectorem ceterosque Seminarii officiales nominandos (2).

b) Coetus *pro administratione* audiendus est in beneficiis Seminario conjungendis, in omni re administrationis temporalis propria, in computationibus probandis. Cfr. *Poüan*, l. c., *pag*, 299-301.

CAPUT VI

DE DOTIBUS ET AUCTORITATE PERSONARUM. DE CONFESSARIIS EXTRAORDINARIIS

341. **Personarum dotes.** — Ad munus rectoris (vide *n.* 335 *seq.*), directoris spiritus, confessariorum et magistrorum Seminarii eligendi sunt *sacerdotes* non doctrina tantum, sed etiam virtutibus ac prudentia praestantes, qui verbo et exemplo alumnis prodesse possint (*can.* 1360, § 1).

342. **Rectoris auctoritas.** — Rectori Seminarii in propriis muneribus implendis obtemperare *omnes* debent (*Ibid.*, § 2).

343. **Confessarii.** — *a)* Praeter confessarios ordinarios, *alii* confessarii designandi sunt ad quos libere alumni accedere possint (*can.* 1361, § 1).

b) Si ii confessarii *a*) *extra Seminarium* degant, et alumnus aliquem eorum vocari postulet, illum rector debet arcessere, nullo

---

(1) Cfr. S. C. Conc., in *Salernitanen.*, et *in Mediolanen.*, apud *Ferraris*, v. Seminarium, *n.* 91; *Poüan*, l. c., *nn.* 292, 293.

(2) Cfr. S. C. Conc., *in Fundana*, 26 mart. 1689 (*Thes. resol. S. C. C.*, *vol.* 7, *pag.* 213); *Bouix*, De Capitul., *pag.* 433; *Poüan*, l. c., *pag.* 294.

modo petitionis rationem inquirens neque se aegre id ferre demonstrans; *b*) si *in Seminario* habitent, ipsos alumnus libere adire potest, salva Seminarii disciplina (*Ibid.*, § 2).

c) Quando agitur de alumno ad ordines admittendo vel e Seminario expellendo, nunquam votum confessariorum (ordinariorum aut extraordinariorum) exquirendum est (*Ibid.*, § 3).

344. — *a*) Hac praescriptione favetur sigillo sacramentali et praecepto minime utendi iis quae per confessionem cognoscuntur.

b) Doctrina de confessariis *non ordinariis* tuetur poenitentis libertatem in confessario eligendo. Ii qui domi suae vivunt, quemlibet confessarium adire possunt; at qui intra Seminarium habitant, raro exire possunt; expedit igitur ut convenienti libertate gaudeant ad eligendum confessarium, qui *ad casum* appellari posset.

c) Hic enim confessarius quamdam habet similitudinem cum confessario *ad casum* religiosorum. Vide *vol.* 1, *n.* 831.

d) Manifestum est posse alumnos Seminarii etiam intra Seminarium *licite* et *valide* cum quovis approbato confiteri sive assignato sive non, vel eorum qui vivunt intra vel qui degunt extra.

CAPUT VII

DE LEGATIS QUAE APPLICARI POSSUNT ALUMNIS. DE EORUM ADMISSIONE ET EXPULSIONE

345. **Legata pro alumnis.** — Reditus legati pro clericis instituendis tribui possunt alumnis in Seminarium sive majus sive minus rite receptis, licet nondum *clericali tonsura initiatis* (qui igitur clerici non sint; cfr. *vol.* 1, *n.* 238); nisi aliud in tabulis fundationis expresse caveatur (*can.* 1362).

346. **Alumnorum admissio.** I. Admissio. —In Seminarium ab Ordinario non sunt admittendi *a*) nisi filii *legitimi b*) quorum indoles et voluntas *spem afferant* eos cum fructu ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros (*can.* 1363, § 1).

Utraque conditio jam a Tridentino exigebatur. *a*) *Illegitimi* excluduntur, quia sunt canonice irregulares; irregularitas autem duplici de causa inducta est: 1.ª propter status ecclesiastici dignitatem; 2.ª quia saepe illegitimi parentibus incontinentia similes sunt.

b) Requiritur ut ad ecclesiastica ministeria *sint apti certamque spem afferant* in vocatione perseverandi; finis enim unicus Seminarii est ecclesiasticos instituere. Qui hanc spem non afferant, praeterquam quod frustra pro eis tot labores suscipiuntur, sunt, paucis exceptis, ceteris periculo.

347. II. Admissionis documenta. — Antequam recipiantur, documenta exhibere debent *a*) de legitimitate natalium, *b*) de susceptis baptismate et confirmatione *c*) ac de vita et moribus (*Ibid.*, § 2).

348. III. Dimissorum admissio. — Dimissi ex aliis Seminariis vel ex aliqua religione non possunt admitti, nisi prius Episcopus etiam secreto a Superioribus aliisve notitias requisierit de causa dimissionis, ac de moribus, indole et ingenio dimissorum, et certo compererit nihil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat (*can.* 1363, § 3). Quas notitias veritati conformes, eorum conscientia graviter onerata, suppeditare Superiores debent (*Ibid.*).

CAPUT VIII

DE SCHOLIS INFERIORIBUS ET SUPERIORIBUS (1)

349. **Disciplinae in inferioribus Seminarii scholis.** — 1.° Praecipuum locum obtinere debet *religionis* disciplina, quae, modo singulorum ingenio et aetati accommodato, diligentissime est explicanda; 2.° linguas praesertim *latinam* et *patriam* alumni debent accurate addiscere; 3.° ea in ceteris disciplinis institutio tradenda est quae conveniat communi omnium culturae et statui clericorum in regione ubi alumni sacrum ministerium exercere debent (*can.* 1364).

Haec cultura communis apud nos linguae graecae et hebraicae elementis, historia universali et patria, geographia universali et patria, arithmetica enotionibus, etc., contineri solet.

350. **Scholae superiores. Philosophia.** — In philosophiam rationalem (logicam, ontologiam, cosmologiam, anthropologiam et theodiceam) cum affinibus disciplinis integrum *saltem biennium* debent alumni incumbere (*can.* 1365, § 1).

Huic studio in **Hispania** per triennium opera dari solet, quod sane tempus pernecessarium est. Disciplinae autem affines fere sunt historia philosophiae, mathesis, physica et chimia, historia naturalis, biologia, paedagogia, etc., sed habita ratione philosophiae, cujus studium solidum in primis amplumque esse debet,

---

(1) In **Hispaniae** Seminariis viguit (substantialiter in rebus praecipuis viget adhuc) ratio studiorum *concordata* quae videri potest in Regia Scheda 28 sept. 1852, (cfr. *Elías de Molins,* El Concordato, *pag.* 107-122; *Alcubilla,* v. Seminarios); quaeque, ut tunc erant tempora, solide, ample, prudenterque disposita erat. Non desunt qui illam Jacobo Balmes tribuendam putent, qui jam aliquot ante annos vita cesserat. Forte praeparatam habebat quamdam studiorum rationem, qua usi sunt qui hispanam scripserunt. Nec tamen hoc constat.

methodo scholastica tradendum in eoque doctrinae Aquinatis insistendum, ita tamen ut nova non spernantur si vera, si falsa refellantur. Hoc pacto neque locum extremum occupabimus, neque *fossilium* instar aliis erimus.

351. **Cursus theologicus. Quanto tempore continendus.** — *Saltem* integro quadriennio contineri debet (*Ibid.*, § 2); quo quidem tempore opus est, si rite tradendae sunt et accipiendae plures disciplinae amplae et difficiles ad theologiam spectantes.

352. **Materiae.**—I. *a*) Praeter theologiam dogmaticam et moralem, complecti praesertim debet *b*) studium sacrae Scripturae, *c*) historiae ecclesiasticae, *d*) juris canonici, *e*) liturgiae, *f*) sacrae eloquentiae et *g*) cantus ecclesiastici (*Ibid.*).

Quod de philosophia diximus, theologiae maxime convenit; haec enim, tum dogmatica tum moralis, maximi est momenti. S. Scripturae et historiae ecclesiasticae studium quotidie magis est necessarium magisque difficile. In his omnibus non modo solidissima antiquorum principia, praesertim Sti. Thomae, sunt adhibenda, verum etiam recentiores scientiae progressus cognoscendi erroresque refutandi.

Sine solido fundamento ecclesiastica institutio ab ima radice vitio laboraret imbuique posset recentissimis novatorum erroribus, qui *modernismus* dicitur; incuria vero scientiae recentioris recentiorumque errorum ignoratio ecclesiasticam institutionem posset inutilem reddere.

II. Habendae etiam sunt *a*) lectiones de theologia pastorali, *b*) additis practicis exercitationibus praesertim de ratione tradendi pueris aliisve catechismum, *c*) audiendi confessiones, *d*) visitandi infirmos, assistendi moribundis (*Ibid.*, § 3).

353. **Magistri**. — I. Ad magisterii munus in disciplinis philosophicis, theologicis et juridicis, ii, ceteris paribus, praeferendi sunt, qui laurea doctorali potiti sint in Universitate studiorum vel Facultate a Sancta Sede recognitis. Episcopi est, *audita* commissione deputatorum Seminarii pro disciplina, judicare de paritate aut disparitate inter doctores et alios; scil. utri utris sint praeferendi (*can.* 1366, § 1). Si agitur de religiosis, ii ceteris paribus anteponendi sunt, qui simile scientiae testimonium a suis Superioribus majoribus habent (*Ibid.*), i. e. a Generali aut Provinciali.

II. Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractare debent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte tenere (*Ibid.*, § 2). Vide *nn.* 350, 352.

III. Curandum ut saltem sacrae Scripturae, theologiae dogmaticae, theologiae moralis et historiae ecclesiasticae totidem habeantur distincti magistri (*Ibid.*, § 3). Cfr. praeterea *n.* 376, *a* cum adnot.

CAPUT IX

DE DISCIPLINA ET STATUTIS

354. **Alumnorum spiritualis institutio.** — Debent curare Episcopi ut alumni Seminarii haec documenta rite servent:

I. **Quotidie.** — Singulis diebus in communi *a*) matutinas et serotinas preces recitare debent, *b*) per aliquod tempus (ab Ordinario definiendum, v. gr., per horae dimidium aut aliquid amplius) mentali orationi vacare, *c*) sacrificio Missae interesse (*can.* 1367, 1.°).

II. **Octavo quoque die.** — *a*) Semel saltem in hebdomada debent ad sacramentum poenitentiae accedere, *b*) et frequenter, qua par est pietate, Eucharistico pane se reficere (*Ibid.*, 2.°), *c*) semel *saltem* in hebdomada adesse instructioni de rebus spiritualibus quae pia exhortatione claudatur (*Ibid.*, 5.°).

III. **Dominicis et festis diebus.** — *a*) Debent sacris Missarum et Vesperarum solemnibus adesse, *b*) altari inservire, *c*) sacrasque caeremonias exercere. Haec omnia fieri debent praesertim in ecclesia cathedrali, si id, judicio Episcopi, sine disciplinae et studiorum detrimento fieri possit (*Ibid.*, 3.°). Sic solet in **Hispania** fieri jam inde ab antiquis temporibus.

IV. **Quotannis.** — Singulis annis per aliquot dies continuos *exercitiis spiritualibus* vacare debent (*Ibid.*, 4.°), v. gr. per 5-8 alumni majores, per 3-5 minores.

355. I. **Seminarii exemptio** — *a*) Seminarium exemptum est a jurisdictione paroeciali; *b*) et pro omnibus qui in Seminario *sunt*, officium parochi obibit Seminarii rector ejusve delegatus (*can.* 1368); igitur etiam pro famulis qui diu noctuque in Seminario degunt.

II. **Exceptiones.** — Excipiuntur: 1.° materia matrimonialis (*Ibid.*), quae tota subest jurisdictioni parochi in cujus territorio situm Seminarium est. Hujus limitationis ratio est finis ipsius Seminarii in cujus gratiam exemptio conceditur. Quare si, v. c., Seminarii famulus matrimonium contraheret coram Seminarii rectore etiam in sacello aut templo ipsius Seminarii, nullum esset matrimonium. Praeterea animadvertendum illicite fere semper in Seminariorum oratorio matrimonium contrahi. Cfr. *can.* 1109, § 2, et *Ferreres,* Los esponsales, etc., *n.* 737, ed. 6.ª

2.° Ministerium audiendi confessiones eorum qui in Seminario commorantur; quod, ut nuper dictum est, rectori prohibetur.

3.° Personae Seminarii, etiamsi alumni sint aut magistri, qui in Seminario non habitant. Ii parocho territorii subjiciuntur.

4.° Cum aliter a Sede Apostolica constitutum est, cui semper obediendum (*can.* 1368).

356. **Observantia, urbanitas, hygiene, etc., alumnorum.** — Seminarii rector et alii omnes moderatores sub ejus auctoritate debent: 1.° curare ut alumni (interni et externi) *a*) statuta ab Episcopo probata studiorumque rationem adamussim servent ac *b*) spiritu vere ecclesiastico imbuantur (*can.* 1369, § 1); 2.° saepius eis verae et christianae *urbanitatis* leges tradere, eosque exemplo suo ad illas colendas excitare (*Ibid.*, § 2); 3.° hortari praeterea *a*) ut praecepta hygienica, *b*) vestium et corporis munditiam *c*) et quamdam in conversando comitatem cum modestia et gravitate conjunctam, jugiter servent (*Ibid.*); 4.° sedulo vigilare ut magistri suo munere rite fungantur (*Ibid.*, § 3).

357. **Alumni exteri.** — Curandum ut ad sacros ordines adspirantes inde a teneris annis in Seminario recipiantur; sed omnes ibidem commorari tenentur saltem per integrum theologiae curriculum, nisi Ordinarius in casibus peculiaribus, gravi de causa, onerata ejus conscientia, dispensaverit (*can.* 972, § 1).

Si quando alumni ob quamlibet causam extra Seminarium morentur, commendandi sunt pio et idoneo sacerdoti, qui eis invigilet eosque ad pietatem informet (*can.* 1370, et 972, § 2).

358. **Dimittendi.** – E Seminario dimittendi sunt: 1.° dyscoli, incorrigibiles, seditiosi, ii qui ob mores atque indolem ad statum ecclesiasticum idonei non videantur; 2.° qui in studiis adeo parum proficiant ut spes non affulgeat eos sufficientem doctrinam fore assecuturos; 3.° praesertim vero sunt *statim* dimittendi qui forte contra bonos mores aut fidem deliquerint (*can.* 1371).

TITULUS XXII

De scholis

CAPUT I

DE RELIGIOSA PUERORUM ADOLESCENTIUMQUE INSTITUTIONE

359. I. **Praecepta positiva.** — Fideles omnes ita sunt a pueritia instituendi, *a*) ut non solum nihil eis tradatur quod catholicae religioni morumque honestati adversetur, *b*) sed praecipuum in-

stitutio religiosa ac moralis locum obtinere debet (*can.* 1372, § 1).

II. Non modo parentibus ad normam can. 1113, sed etiam omnibus qui eorum locum tenent, jus et gravissimum officium est curandi christianam liberorum educationem (*Ibid.*, § 2).

III. In qualibet elementaria schola pueris pro eorum aetate tradenda est institutio religiosa (*can.* 1373, § 1).

IV. Juventus quae medias vel superiores scholas, **instituta, universitates, etc.**, frequentat, pleniore religionis doctrina est excolenda (*Ibid.*, § 2).

V. Locorum Ordinarii curare debent ut id fiat per sacerdotes zelo et doctrina praestantes (*Ibid.*).

Enitendum ut hae leges serventur. — *a*) Sedulo parentibus est allaborandum ut in inferioribus scholis pueri a teneris, ut dicitur, unguiculis cathechismum studiose edoceantur, itemque mittantur ad catecheticam quae in ecclesiis catholicis traditur institutionem, in quo parentes multi peccant. Si vero deinde eorum filii lyceorum scholas frequentabunt, enitendum est parentibus ut in Religione et Morali audienda sint assidui. Cfr. *Ferreres,* La enseñanza del Catecismo, *n.* 132.

b) Curare parochus debet de infimis scholis quasi de oculorum pupilla (*Conc. Plen.* **Amer. lat.**, *n.* 681); magnus enim ex illis potest fructus colligi, teneros puerorum animos ad christiane vivendum informando. Magister aut magistra vere catholici sunt oppido thesauri instar maximoque parochis adjumento.

Magistrum igitur parochus adjuvet, benevolentia prosequatur, magni aestimet, eumque illustret, si opus fuerit, ad ejus munia rite obeunda (Vide primum *Conc. prov. Burg., part.* 1, *tit.* 7, *n.* 3 *seq.*).

c) Enitantur catholici cujusque loci ut optimum magistrum consequantur. Parochus coetusque localis pro puerorum institutione ne legum observantiae desinant invigilare. Cfr. *Conc. Plen.* **Amer. lat.,** *n.* 673 *seq.; Conc. Prov. Burg.*, l. c., *n.* 5.

d) In **Hispania** fieri adhuc multa possunt, modo ut leges serventur. Vide Statuta (Reglamento) quae vigent adhuc, 26 nov. 1838, *aa.* 37-46, suntque apud *Ferreres,* l. c., *n.* 138.

Cfr. etiam *vol.* 1, *n.* 764, V.

360. **Praecepta negativa.** — I. Pueri catholici **scholas acatholicas, neutras, mixtas,** quae nempe etiam acatholicis patent, non possunt frequentare (*can.* 1374), in quibus aut nulla est institutio religiosa, aut catholica non est.

Hae scholae prohibentur ob periculum intrinsecum fidei in illis amittendae cui pueri exponuntur, quodque oriri potest sive ex magistris, quorum auctoritas multum valet apud discipulos, sive ex haereticis condiscipulis. Ex harum scholarum frequentia incredulitas religiosa enasci solet, item errores haereticales, catholicae religionis contemptus, mors caritatis. Sine religione nullus est timor Dei, quo deficiente, omni corruptioni omnisque religionis contemptui via sternitur. Hae autem scholae fere in odium catholicae religionis institutae sunt.

II. Quae cum pro pueris catholicis sint *periculo proximo per-*

versionis, earum frequentatio duplici conditione solum *est toleranda:* 1.ª cum est *necessaria*, quia, v. gr., scholae aliae desunt in natione vel regione, parentes autem facultatibus carent, ut alio filios mittant, ubi catholicae scholae exsistant, nec in illa regione catholici eas fundare valent, quo fiat ut aut studiis valedicatur, et potestas omnis in societatem acatholicis relinquatur, aut filii in has scholas mittantur.

2.ª conditio est, ut praeterea viae et rationes adhibeantur omnes, quibus occasio proxima remota fiat. Vide *n.* 197.

In hac re tota Ordinarii judicio standum est, ut Codex statuit.

III. Solius autem Ordinarii loci est decernere, ad normam instructionum Sedis Apostolicae, in quibus rerum adjunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit ut eae scholae celebrentur (*can.* 1374).

In his *Instructionibus* recensendae sunt quas Episcopis Helvetiae S. Officium tradidit 26 mart. 1866, Episcopis Statuum Foederatorum Amer. Septent. 14 nov. 1875, Episcopis Graecis-Unitis 28 aug. 1900. Cfr. etiam epistolam Leonis XIII *De memoria saeculari B. Petri Canisii,* 1 aug. 1897. Vide nostrum *Comp. Th. mor., vol.* 1, *n.* 465.

IV. *a*) In aliquibus nationibus Europae atque Americae magistri et magistrae institutionem religiosam tradere discipulis prohibentur, sed parochis conceditur ut per se vel per delegatos alumnis catechismum explicent diebus et horis statutis (Cfr. *Giobbio,* l. c.). Cfr. *Ferreres,* La enseñanza del Catecismo, *n.* 119.

b) Concilium Plenarium Americae latinae, *n.* 681, jubet parochos ceterosque quibus competit animarum cura per se ipsos catechismum et historiam sacram in scholis explicare. *Ibid., n.* 123.

c) Cum in scholis nulla a magistris habetur institutio religiosa, ut in Gallia, Argentina, Mexico, Statibus Foederatis Amer. Sept., etc., necesse est ut parochi ceterique animis curandis praepositi quam maxime curent ut catechismus exponatur itemque illa dogmata et praecepta quae potissimum ab incredulis et haereticis impugnantur, quod *Instructio S. Officii* Episcopis Statuum Foed. Amer. Sept. praecipit. *Ibid. n.* 127.

d) In **Hispaniae** vero omnibus fere particularibus collegiis Religio et Moralis explicantur, atque in institutis seu lyceis (et scholis normalibus) haec disciplina traditur a sacerdotibus quos Minister Instructionis publicae creat, praeeunte testimonio Episcopi dioecesis, in qua est Institutum. Sed quoniam inscriptio hujus disciplinae (1) alumnis Instituti libera est, debent parentes curare ut filii inscribantur sintque in ipsa audienda frequentes.— Reg. Decretum 25 jan. 1895; Statuta examinum, etc. 10 maji 1901, *art.* 12; Reg. Decretum 17 aug. 1901, *art.* 1.—(Cfr. *Alcubilla,* Apéndice ann. 1895-96, *pag.* 539; Ap. ann. 1901, *pag.* 283-420).

In Universitatibus religiosa institutio maxime desideratur; accideretque opportune praescriptisque Pii X convenienter, si Episcopi possent id obtinere ut haec disciplina a sacerdote scite et luculenter, ut res postulat, explicaretur. Ad hoc multum conferre catholici possent omnes, si agminatim ex S. Pontificis votis eniterentur ut in Universitatibus doctrina vere catholica traderetur, quam tuentur Leges concordatae.

---

(1) Recensendus est inter optimos hujus disciplinae libros is cujus est auctor amicus noster Rdmus. Henricus Reig et Casanova, Episcopus Barcinonensis.

CAPUT II

DE JURE ECCLESIAE QUASLIBET SCHOLAS CONDENDI

361. — I. Ecclesiae est jus scholas cujusvis disciplinae non solum elementarias, sed etiam medias et superiores condendi (*can.* 1375). Consequitur hoc Ecclesiae independentiam obligationemque qua ipsa Ecclesia fidelium institutionem sive moralem sive intellectualem procurare debet. Vide *vol.* 1, *nn.* 38-51; *vol.* 2, *nn.* 280, 297, 320.

II. Canonica constitutio catholicae studiorum Universitatis vel Facultatis Sedi Apostolicae reservatur (*can.* 1376, § 1). Ab Ordinariis igitur institui non potest multoque minus a civili auctoritate.

III. Universitas vel Facultas catholica, etiam religiosis familiis quibuslibet concredita, sua debet habere statuta a Sede Apostolica probata (*Ibid.*, § 2).

362. **Gradus academici.** — Gradus academicos qui effectus canonicos in Ecclesia habeant, nemo conferre potest, nisi ex facultate ab Apostolica Sede concessa (*can.* 1377).

Hi gradus sunt in philosophia, theologia, S. Scriptura et jure canonico, quos in certis adjunctis Ecclesia exigit; inceteris scientiis, v. gr. in re mathematica, in scientiis physicis, medicis, etc., non solet conferre.

363. **Jura doctorum ac licentia praeditorum.** — *a*) Jus est doctoribus rite creatis deferendi, extra sacras functiones, anulum etiam cum gemma, et biretum doctorale (*can.* 1378).

b) Praeterea in collatione quorumdam officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum, ceteris paribus, judicio Ordinarii sunt praeferendi qui lauream vel licentiam obtinuerint; his enim primas jus tribuit (*Ibid.*), v. gr. praeferendi doctores ad disciplinas philosophicas, theologicas et juridicas tractandas (*can.* 1366), ad canonicatus (*can.* 404, § 2), ad vicariatum capitularem (*can.* 434, § 2), etc., etc.

Si scholae catholicae ad normam can. 1373 sive elementariae sive mediae desint, curandum, praesertim a locorum Ordinariis, ut condantur (*can.* 1379, § 1).

Itemque si publicae studiorum Universitates doctrina sensuque catholico imbutae non sint, optandum ut in natione vel regione Universitas catholica condatur (*Ibid.*, § 2).

Fideles ne omittant adjutricem operam pro viribus conferre in catholicas scholas condendas et sustentandas (*Ibid.*, § 3).

Hoc postremum est consectarium eorum quae dicta sunt *n.* 350.

364. **Doctores creandi sunt.** — I. Optandum ut locorum Ordinarii, pro sua prudentia, clericos, pietate et ingenio praestantes, ad scholas mittant alicujus Universitatis aut Facultatis ab Ecclesia conditae vel approbatae, ut inibi studia praesertim philosophiae, theologiae ac juris canonici perficiant et academicos gradus consequantur (*can.* 1380).

II. In **Hispania** diversimode haec fieri solent: vel Romam in Collegium hispanum mittuntur ut Universitatem Gregorianam frequentent, vel in Pontificiam Facultatem ad Comillas, vel in eas quae sunt in metropoli cujusque provinciae ecclesiasticae, item Salmanticam, ubi exsistit facultas Theologiae in memoriam antiquae Universitatis celeberrimae. Vide *nn.* 370, 371.

III. Ex **America latina** Romam mitti solent in Pontif. Collegium Pium Lat. Americanum (1), ut Universitatem Gregorianam celebrent; ex **Lusitania** Romam etiam in Collegium Lusitanum, etc.

CAPUT III

DE JURE ECCLESIAE SUPER DOCTRINA QUAE IN QUIBUSLIBET SCHOLIS TRADITUR

365. I. **Jus Ecclesiae capitale.** — Religiosa juventutis institutio in scholis quibuslibet (etiam ab Statu conditis) auctoritati et inspectioni *Ecclesiae* subjicitur (*can.* 1381, § 1). Vide *vol.* 1, *nn.* 48-51.

II. **Ordinarii vigilantia super doctrina.** — *Ordinariis* locorum jus et officium est vigilandi ne in quibusvis scholis sui territori (sive infimis et mediis sive supremis) quidquam contra fidem vel bonos mores tradatur aut fiat (*Ibid.*, § 2).

III. **Jus in magistros et libros.** — Eisdem similiter jus est *a*) approbandi religionis magistros et libros (qui uti textus praelegendi sunt); *b*) itemque, religionis morumque causa, exigendi ut tum magistri tum libri removeantur (*Ibid.*, § 3).

Haec pars *b*) non solum ad magistros librosque religionis refertur, sed etiam ad alios quoslibet, etiam philosophiae, historiae, geologiae, biologiae, juris, etc., etc., qui religionem aut bonos mores impugnant.

366. — IV. Non jure solum canonico verum etiam divino jus est Episcopo et officium vigilandi ut tota doctrina scholarum sive

(1) Est praeterea Mexici Pontificia Universitas, Bonis Auris Pontificium Seminarium Patribus S. J. commissum, quod paucis ante annis auctum est facultate gradus academicos conferendi.

inferiorum sive superiorum sit catholicae veritati conformis (Vide Card. *Cavagnis*, Institutiones juris publici ecclesiastici, *vol.* 2, *lib.* 2, *art.* 35, *pag.* 147 *seq.*, Romae, 1889).

Jus concordatum aliquarum nationum.—Hoc jus ab his Legibus concordatis singulariter agnoscitur: a Bavara, 1817, *a.* 5; utriusque Siciliae, 1818, *a.* 2; **Costae Ricae,** 1853, *a.* 2; **Guatemalae,** 1853, *a.* 2; Austriae, 1855, *aa.* 5, 7, 8; Wurtemberg., 1857, *a.* 7; Baden., 1859, *a.* 7; **Aequatoris,** 1862 et 1881, *aa.* 3, 4; **Venetiolae,** 1862, *a.* 2; **Nicaraguae,** 1862, *a.* 2; **S. Salvatoris,** 1862, *a.* 2; Montenigri, 1886, *a.* 8; **Columbiae,** 1887, *aa.* 12-14. Cfr. *Nussi,* Conventiones de rebus ecclesiasticis initae inter S. Sedem et civilem potestatem, Romae, 1869; *Nussi-Brueck,* Conventiones, etc., Moguntiae, 1870; Conventiones initae sub pontificatu Leonis XIII, Romae, 1893.

Attamen Ecclesiae jura etiam in his locis crebro conculcantur (Cfr. *Giobbio,* Diplomazia ecclesiastica, *vol.* 2, *n.* 420 *seq.,* Roma, 1901); quare opus est ut catholici, Episcopi maxime et parochi, toto pectore incumbant, ut juvenes necessaria institutione religiosa imbuantur. *Ferreres,* La enseñanza del Catecismo, *nn.* 117, 118.

367. **Jus conventum hispanum.**—Verba Conventionis hispanae nequeunt esse clariora: Articulus I. «Religio Catholica Apostolica Romana, quae excluso quocumque alio cultu esse pergit sola Religio Hispanicae Nationis, conservabitur semper in tota ditione Catholicae Majestatis Suae cum omnibus juribus, ac praerogativis, quibus potiri debet juxta Dei legem, et Canonicas sanctiones.»

Articulus II. «Consequenter Institutio in Universitatibus, Collegiis, Seminariis et Scholis publicis ac privatis quibuscumque, erit in omnibus conformis doctrinae ejusdem Religionis Catholicae: atque hunc in finem Episcopi, et ceteri Praesules Dioecesani, quorum munus est doctrinae fidei et morum, ac religiosae juvenum educationi invigilare, in hujus muneris exercitio etiam circa scholas publicas nullatenus impedientur.»

Regio decreto 23 mart. 1853 jussum est Episcopos rogari ut in dioecesium visitatione *scholas* primarias etiam inviserent, Gubernio declaraturi si qua essent eorum judicio corrigenda, nullo tamen ab ipsis capto consilio. Item jus in suo territorio Archipresbyteris concedebatur, ut Ordinariis ea proponerent quae sibi viderentur. *Elias de Molíns,* Concord., *pag.* 5 (1882).

368. **Ordinarii visitatio.**—I. Ordinarii locorum sive ipsi per se sive per alios possunt quoque scholas quaslibet, oratoria, recreatoria, patronatus, etc., in iis quae religiosam et moralem institutionem spectant, visitare (*can.* 1382).

II. *a*) Ab hac visitatione quorumlibet religiosorum (etiam exemptorum) scholae exemptae non sunt, *b*) nisi agatur de scholis internis pro professis religionis *exemptae* (*Ibid.*).

N. B. In religiosa alumnorum alicujus collegii institutione servandum praescriptum can. 891; quo Superior prohibetur confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium audire (*can.* 1383).

369. **Jus concordatum hispanum.**—In **Hispania** RR. Episcopi gaudent in propria dioecesi superiore directione et inspectione institutionis quae traditur in religiosarum collegiis, nullo illato

detrimento inspectioni quae Gubernio competit cum facultate id decernendi quod opportunum duxerit (Reg. Decretum 24 febr. 1872). Ad hunc finem id praescribere poterunt Episcopi dioecesani quod conveniens existimaverint tam ad regimen internum quam ad scholarum institutionem (*Ibid.*, *pag.* 5).

Art. 3 Legis conventae 1851 sic statuit: «Aderunt item Regia Majestas ejusque Gubernium potenti patrocinio ac praesidio suo Episcopis illud pro re nata postulantibus, maxime autem ubi improbitati obsistendum sit hominum, qui fidelium mentes pervertere, vel eorum mores corrumpere conentur, aut editio, introductio, et circumlatio pravorum noxiorumque librorum impedienda sit.»

CAPUT IV

DE PONTIFICIIS HISPANIAE UNIVERSITATIBUS

370. **Antiqua Seminaria centralia.**—*a*) In **Hispania** per Pii IX Breve et Reg. Decretum 21 maji 1852, *ad tempus* constituta sunt quattuor Seminaria appellata *centralia,* quae sola omnes in theologia et jure canonico gradus conferre poterant, i. e. non modo baccalaureatum (quem omnia Seminaria poterant et possunt tribuere), verum gradus etiam majores, scil. licentiam et doctoratum. Erant haec *Toletanum, Salmanticense, Valentinum, Granatense. b*) Per S. Studiorum Congregationis concessionem et Reg. Decretum 27 nov. 1876 facultas illa cum aliqua tamen restrictione ad *Compostellanum* et *Canariense* extensa est.

371. *a*) **Priores Universitates Pontificiae.**—Die 5 jun. 1896 Leo XIII praescripsit ut in antiquis quattuor Seminariis centralibus necnon in Compostellano Pontificiae Universitates instituerentur (1) cum perpetuo privilegio gradus majores in *theologia, jure canonico* et *philosophia* concedendi, ad quae etiam S. C. Studiorum Instructionem ad hoc misit die 30 jun. ejusdem anni. Cfr. *Analecta ecclesiastica, vol.* 4, *pag.* 456 *seq.*

b) **Hujus gratiae amplificatio.**—Paulo post, Archiepiscopis postulantibus, Universitates erectae sunt in unaquaque provinciae ecclesiasticae metropoli; quare in praesentia decem numerantur. Cfr. *Analecta, vol.* 5, *pag.* 457 *seq.*, 493 *seq.*

Constitutae in his disciplinae, quarum gradus conferuntur, sunt theologia, jus canonicum, philosophia. In antiquis centralibus Seminariis gradus in philosophia non tribuebantur. Dispositio harum disciplinarum ita se habet:

372. **Magnus Cancellarius.**—*a*) **Quis.** Universitati praeficitur *Magnus Cancellarius* (*Analecta, vol.* 5, *pag.* 458, *cap.* I), scil. Archiepiscopus, qui Papam repraesentat.

---

(1) Hac super re in *Analectis ecclesiasticis* sequentia documenta videri possunt: I. Erectio *a*) trium disciplinarum in quinque antiquis Hispaniae *centralibus* Seminariis (*vol.* 4, *pag.* 456); *b*) disciplinarum theologiae jurisque canonici in Seminario Mexicano (*vol.* 5, *pag.* 28 *seq.*); *c*) trium in Vallisoletano (*vol.* 5, *pag.* 457 *seq.*); *d*) itemque in Hispalensi (*vol.* 6, *pag.* 410 *seq.*).

II. Normae ad has Hispaniae Universitates, a S. Studiorum Congregatione traditae, 28 dec. 1898 (*vol.* 7, *pag.* 78).

III. Epistola S. Studiorum Congregationis ad omnes Praelatos Pontificiarum Universitatum hispanarum (*vol.* 5, *pag.* 493 *seq.*).

b) **Ejus attributiones.** — Illi jus est studiorum Praefectum, doctores collegiatos, magistros et substitutos eligere, tribunali cum duplici suffragio atque Universitati regundae praeesse, auctoritate apostolica gradus conferre, de qua mentio in diplomatibus facienda.

373.—**Vice-cancellarius** (*Analecta, vol.* 5, *pag.* 458, *cap.* III). *a*) A Cancellario eligitur, et a S. Studiorum Congregatione confirmatur. *b*) *Attributiones:* absente Cancellario, Collegiis doctorum praeest, et cum voto examinibus annuis et gradibus conferendis; debet tandem de incremento atque honore facultatum deque solida alumnorum institutione curare.

374. **Praefectus studiorum** (*Analecta, vol.* 5, *pag.* 458, *cap.* III). *a*) **Quis.** — Potest esse Vice-cancellarius, ad Collegiumque doctorum debet pertinere. A Cancellario eligitur, a S. Sede confirmatur.

b) **Ejus facultates.** — Cancellario et Vice-cancellario absentibus, tribus disciplinis praeest, in omnibusque eorum vices agit.

c) Invigilare debet statutorum fideli observantiae, approbare summaria sive programmata studiorum et examinum annuorum, recensere doctorum Collegium, alumnos ad inscriptionem admittere, etc. A rectore disciplinae diversus esse debet.

375. **Collegium doctorum** (*Analecta, vol.* 5, *pag.* 458, *cap.* V). *a*) **Quot et quales.** Collegia tria sunt, singula singulis disciplinis. Doctores saltem *octo* debent esse, ad summum *duodecim,* qui e clero saeculari et regulari eligendi sunt. Debent esse in sua disciplina doctores; si religiosi, gradum aequivalentem in sua religione habere.

Esse possunt magistri, sed minorem partem; ad eos autem nominandos ternio offertur a suo Collegio, e quorum numero unus a Cancellario *eligitur;* electio autem a S. Sede confirmanda est.

b) **Praecedentia Collegiorum.** — Est hoc ordine: 1.° Theologiae; 2.° Juris canonici; 3.° Philosophiae.

c) **Collegiorum attributiones.** — Sunt: 1.ª Tribunal componere ad gradus conferendos; 2.ª recensere et approbare summaria rerum a magistris tradendarum et in examine interrogandarum; 3.ª incremento ordinique disciplinarum invigilare, et Cancellario ea proponere quae sint disciplinae emolumento, alumnis utilitati.

d) **Remotio doctorum collegiatorum.** — Doctores collegiales nequeunt removeri sine gravi causa, quae a toto Collegio disceptanda est, a Cancellario probanda, cum S. Sede consulenda.

376. *a*) **Magistri** (*Analecta, vol.* 6, *pag.* 414, *cap.* V). Doctores esse debent in sua facultate, et ingenio studioque praestantes. Quotannis afferendi ab eis sunt indices materiae in schola tradendae atque in examine interrogandae; debent praeterea libros designare (qui doctorum Collegio sunt probandi, deque his certior S. Congregatio facienda), et rite materiam in schola explicare (1). Expedit ut diutius in eadem disciplina tradenda perseverent; quem ad finem sunt donandi mercede quae ad eorum honestam dignamque sustentationem sufficiat (2).

b) **Substituti seu professores supernumerarii.** — Cancellarius debet, *audito* Collegio doctorum, magistros nominare qui sint idonei professoribus absentibus vel aegrotis substituendis. Ad doctorum Collegium nequeunt pertinere; sed, ceteris paribus, ad cathedras vacantes aliis anteponentur.

377. **Ratio studiorum.** — *a*) Cursus philosophiae est *triennalis,* theo-

---

(1) Doctrinae expositio habenda est per *tria quadrantia:* reliquum tempus insumendum in alumnis interrogandis atque exercendis.

(2) Cum magisterium non solum hominem competentem, sed etiam *totum hominem* requirat, si magister ex cathedrae emolumentis vivere non potest, aliis rebus operam dabit cum scholae detrimento.

logiae incumbendum per *quadriennium* aut *quinquennium* (*Analecta, n.* XI, *vol.* 4, *pag.* 458), juri canonico per *triennium*.

b) **Philosophia**. — Schola habenda est bis in die. Anno primo et secundo philosophia rationalis exponenda: logica, ontologia, cosmologia, anthropologia et theodicea; in tertio jus naturae et ethica. Praeterea, tanquam *auxiliares* (schola autem hebdomadalis est), tradendae sunt summa philosophica et quaestiones disputatae S. Thomae (*Analecta, n.* I, *vol.* 5, *pag.* 493), mathesis, physica, astronomia, praecipuaeque notiones scientiarum naturalium (biologiae, physiologiae, chimiae, historiae naturalis, etc.).

c) **Theologia**. — Schola theologiae dogmaticae bis in die per quadriennium aut quinquennium; schola Moralis quotidiana (saltem per biennium) et S. Scripturae. *Auxiliares:* Institutiones canonicae, Historia ecclesiastica (utraque alterna in primo biennio), linguae orientales (hebraea praesertim), patrologia, liturgia et archaeologia sacra.

d) **Jus canonicum**. — Primo anno Institutiones et jus publicum ecclesiasticum in schola quotidiana; secundo et tertio textus canonicus (Codicis) cum duplici lectione quotidiana a duobus magistris habenda. *Auxiliares:* Jus civile et gentium, jus romanum et patrium.

378. **Tribunalia**. — *a*) In annuis *examinibus* constant tribus saltem magistris, qui a Collegio doctorum sunt designandi secundum respectivas disciplinas; *b*) ad gradus conferendos constant ex doctoribus facultatis: 1.° *tribus* ad *baccalaureatum, quattuor* ad *licentiaturam,* et *quinque* saltem, addito praeside Cancellario aut Vice-cancellario, ad *doctoratum.* Cfr. *Analecta, vol.* 6, *pag.* 416, *n.* 53.

379. **Quando possint gradus obtineri**. — *a*) *Baccalaureatus* in philosophia obtineri potest absoluto primo anno; absoluto secundo, in theologia et jure canonico; *licentia,* absoluto secundo aut tertio respective; *laurea doctoris,* absolutis omnibus studiis, i. e., absoluto tertio in philosophia et jure canonico, et quarto (aut quinto) in theologia. Gradum in Universitate accipere solum ii generatim possunt qui sunt illius provinciae ecclesiasticae, cujus Universitas.

b) **Alumni aliarum dioecesium**. — Ut aliarum dioecesium alumni gradum possint adipisci, necesse est ut saltem *per biennium* studuerint in Universitate in qua volunt gradu donari. Post *primum* annum *lauream licentiati,* post secundum *lauream doctoris* consequi poterunt ii qui in alio Seminario primos curriculos confecerint. S. Stud. C., 21 mart. 1900 (*Analecta, vol.* 8, *pag.* 497 *seq.*). In his solum S. Sedes dispensare potest (*n.* XVI, *vol.* 4, *pag.* 459; *n.* III, *vol.* 5, *pag.* 494). At non solet (*vol.* 6, *pag.* 493), ut S. Stud. C. declaravit 24 aug. 1898.

TITULUS XXIII

De praevia librorum censura eorumque prohibitione

CAPUT PRAEVIUM

ADNOTATIONES GENERALES

380. **Codex et antiqua disciplina**. — *a*) Hic titulus Codicis duplex caput complectitur, primum de *censura,* secundum de *pro-*

hibitione librorum. Utrumque fere convenit, ordine tamen diverso cum Constitutione Leonis XIII *Officiorum ac munerum*, 25 jan. 1897.

b) Haec antea materies partim ad S. Congregationem Indicis, partim ad S. Officium spectabat. Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, *n.* 637.

c) Sed Benedictus XV Motu proprio *Alloquentes*, 25 mart. 1917, librorum censuram prohibitionemque S. Officio commendavit, exstincta S. Indicis Congregatione. Cfr. *Razón y Fe, vol.* 48, *pag.* 228 *seq.*

381. **Quid prohibitio comprehendat.** — *a*) Prohibitio *generatim* non amplectitur: *a*) libros *manu scriptos, lithographicos, polygraphicos*, etc., nisi publice vendantur ob magnum eorum numerum, sicuti libri veneunt; *b*) *folia* exigua, etiam prelo subjecta, quae vulgo *volantia* dicuntur.

b) Nomine *libri* illa scripta significantur quae praeter certum foliorum numerum (decem integra, sive 160 *pag.*, teste *Noldin*, De praeceptis, *n.* 701, requiruntur), doctrinae unitatem continent. Itaque, quia hac unitate carent, non habentur ut libri ephemeridum et calendariorum collectiones.

c) Quae sub hoc Codicis titulo de *libris* praescribuntur, etiam, nisi aliud exprimitur, intelligenda sunt de *foliis diariis, ephemeridibus aliisque quibusvis periodicis editionibus* (*can.* 1384, § 2). De hujus legis exceptionibus constabit, si, v. c., illa in canone distinguuntur.

d) **Libri prohibiti**, eo ipso quod sunt prohibiti, **destruendi sunt**; non enim in novo jure praecipitur ut Ordinario tradantur (quamquam fieri potest), quod jam ante Constitutionem *Officiorum* haud multum urgebatur. Vide *Vermeersch*, De prohibitione et censura libr., *n.* 102, 7 (11, 8); *Génicot, vol.* 1, *n.* 456.

CAPUT I

DE PRAEVIA LIBRORUM CENSURA

382. **Principium capitale.** — Ecclesiae est jus exigendi ne libros, quos ipsa judicio suo antea non recognoverit, fideles edant (*can.* 1384, § 1).

Ratio, quia Ecclesiae jus et officium est filios suos a periculis contra fidem et bonos mores removendi, quibus lectione pravorum librorum obnoxii sunt; ad eam autem remotionem perspicuum est in primis conferre ut libri Ecclesiae judicio subjiciantur, quae definiat utrum sit eorum lectio periculosa necne, et utrum edendi prohibendive sint.

383. **Libri aut scripta itemque imagines praeviae censurae tradendae.** — 1.° Libri sacrarum Scripturarum vel eorundem adnotationes et commentaria.

2.° *a*) Libri qui divinas Scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, jus canonicum, theologiam naturalem, ethicen aliasve hujusmodi *religiosas* ac *morales* disciplinas spectant; *b*) libri ac libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque *religiosae, moralis, asceticae, mysticae* aliique hujusmodi, quamvis ad fovendam pietatem conducere videantur; *c*) ac generaliter scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit.

3.° Imagines sacrae quovis modo imprimendae, sive preces adjunctas habeant, sive sine illis edantur (*can.* 1385, § 1).

4.° *Indulgentiarum* libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur (*can.* 1388, § 1).

5.° Libri *liturgici* eorumque partes, itemque *litaniae* a Sancta Sede approbatae, ut constet de concordantia cum editionibus approbatis (*can.* 1390).

384.—*Quid comprehenditur verbis can.* 1385, § 1, *in n.* 383, 2.°, *c*) *allatis?*

Resp. Comprehenduntur omnia scripta (1), folia diaria, immo articuli cujusvis folii, si de rebus agunt de quibus vel ex adjunctis vel aliis de causis ob religionem morumve honestatem praesumendum sit Ecclesiam velle ut censurae subjiciantur. In dubio libertas datur scriptoribus. *Vermeersch*, l. c., *nn.* 117, 118 (21, 2); *Gennari*, h. l.; *Wernz*, l. c., *Lega*, l. c.; *n*. 408.

Verumtamen Pius X in *Motu proprio* de actione populari christiana, 18 dec. 1903, art. 17, videtur significare omnia scripta quae ad religionem moresve referantur censurae esse tradenda: *tutti gli scritti che riguardano la religione, la morale cristiana, e l'etica naturale.* Cfr. *Il Monitore, vol.* 15, *pag.* 460.

Sed folia diaria praeviae censurae subjicienda non sunt, nisi agatur de articulo in quo aliquid sit quod religionis ac morum honestatis *peculiariter* intersit. Ita sentire jam *Wernz* videbatur, l. c., 3, *tit.* 14, adnot. 109. Cfr. Encyclicam *Pascendi,* art. IV, ubi Pius X statuit: «Ephemerides et commentaria quae a catholicis scribuntur, quoad fieri possit, censorem designatum habeant. Hujus officium erit folia singula vel libellos, *postquam sint edita,* opportune perlegere: si quid dictum periculose fuerit, id quamprimum corrigendum injungat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit.» Attamen cfr. *Villada* in *Razón y Fe, vol.* 24, *pag.* 213 *seq.,* 252 *seq.*

---

(1) «An orationes quae Domino Deo diriguntur ad gratias impetrandas ob intercessionem Servorum Dei qui cum sanctitatis fama decesserunt, indigeant venia Episcopi, ut imprimi atque inter fideles diffundi valeant?». Sacra eadem Congregatio respondendum censuit: *Affirmative,* ad normam Constitutionis *Officiorum et munerum;* attamen ad tramitem et mentem decretorum S. U. Inquisitionis et sacrorum Rituum Congregationis, Episcopus abstinere se debet ab eisdem orationibus commendandis ac praesertim indulgentiis ditandis.» S. R. C., 21 mart. 1914: *Acta,* VI, *pag.* 192.

385. **Cui competat facultatem concedere edendi libros alioquin censurae subjiciendos.**— Si approbatio Sedi Apostolicae non est reservata, licentiam dare potest vel loci Ordinarius proprii auctoris, vel Ordinarius loci in quo *libri publici juris fiunt*, vel Ordinarius loci in quo imprimuntur. Si quis autem ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, alius vero, *denegatione ignorata*, licentiam concesserit, haec nulla est et irrita. Quare auctor eundem certiorem facere debet de denegata ab alio licentia (*can.* 1385, 2).

Locus ubi *liber fit publici juris* is est in quo sunt aedes editoris. Si hae plures sunt, ut Romae, Bruxellis, Neo-Eboraci, etc., satis est unius Ordinarii approbatio. Vi hujus liber ubique legi potest, nisi ab Ordinario proprio (legentis) prohibeatur.

386. **Religiosi et clerici regulares.** — 1.° *Religiosi* licentiam Ordinarii loci consequi debent, postquam sui Superioris majoris consecuti sunt (*Ibid.*, § 3). Superior major est Generalis aut Provincialis. Quod si Superior veniam non dederit, non potest religiosus ulli impressori licite opus tradere ut divulgetur cum *imprimatur* Ordinarii loci sine auctoris nomine (S. Rel. C., 15 jun. 1911: *Acta*, III, *pag.* 270). Vide *Ferreres*, in *Razón y Fe*, *vol.* 34, *pag.* 236.

2.° Vetantur *clerici* saeculares sine consensu suorum Ordinariorum, *religiosi* vero sine *licentia* sui Superioris majoris et Ordinarii loci, libros quoque, qui de rebus profanis tractent, edere, et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem moderari (*can.* 1386, § 1).

N. B. In diariis vero, foliis vel libellis periodicis qui religionem catholicam aut bonos mores impetere solent, nec laici catholici quidpiam possunt conscribere, nisi justa et rationabili causa suadente, ab Ordinario loci probata (*Ibid.*, § 2).

387. **Censores edenda cognoscentes, et Ordinarii potestatem edendi facientes.** — In universis Curiis episcopalibus censores ex officio adesse debent, qui edenda cognoscant. — Examinatores in suo obeundo officio, omni personarum acceptione deposita, debent tantummodo prae oculis habere Ecclesiae *dogmata et communem* catholicorum *doctrinam*, quae Conciliorum generalium decretis aut Sedis Apostolicae constitutionibus seu praescriptionibus atque probatorum doctorum consensu continetur. — Censores ex utroque clero sunt eligendi aetate, eruditione, prudentia commendati, qui in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant. —Censor sententiam scripto dare debet. Quae si faverit, Ordinarius potestatem edendi faciat; cui tamen licentiae praeponendum est censoris *judicium*, inscripto ejus *nomine*. Extraordinariis tantum in adjunctis ac perquam raro, prudenti Ordinarii arbitrio, censoris mentio omitti poterit.—Auctoribus censoris nomen patere nunquam debet, antequam hic faventem sententiam ediderit (*can.* 1393, § 1-5).

N. B. 1.° Licentia, qua Ordinarius potestatem edendi facit, in scriptis concedenda est, et *in principio aut in fine* libri, folii vel imaginis imprimenda, expresso *nomine* concedentis itemque *loco et tempore* concessionis (*can.* 1394, § 1).

2.° Si vero licentia deneganda videatur, roganti auctori, nisi gravis causa aliud exigat, rationes indicandae sunt (*Ibid.*, § 2). Ita potissimum agendum est, cum liber *corrigi* potest aut *expurgari* (S. C. Ind., 3 sept. 1898).

388. **Quae sine Sedis Apostolicae licentia edi nequeant.** — Nequeunt:

1.° Quae ad causas *beatificationum* et *canonizationum* Servorum Dei quoquo modo pertinent (*can.* 1387).

Igitur acta vitae, virtutum miraculorumque Servorum Dei quorum causa beatificationis aut canonizationis est apud S. Rituum Congregationem neque edi neque vulgari possunt inconsulta eadem S. Congregatione, neve petito *nihil obstat* a R. P. Sanctae Fidei Promotore aut ab ejusdem S. Congregationis Assessore (S. R. C., 12 febr. 1909: *Acta,* I, *pag.* 238). Prohibitione solum comprehenduntur eae causae quae disceptantur; eae vero quae jam absolutae sunt vulgari cum licentia Ordinarii possunt. Ita *Pennachi,* l. c., *n.* 204; *Lega,* l. c., *n.* 394; *Wernz,* l. c., *adnot.* 99.

2.° Quovis idiomate tum *collectio authentica precum* piorumque operum quibus Sedes Apostolica *indulgentias annexuit*, tum *elenchus indulgentiarum* apostolicarum, tum *summarium indulgentiarum* vel antea collectum, sed nunquam approbatum, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendum (*can.* 1388, § 2).

3.° *Collectiones decretorum* Romanarum Congregationum (*can.* 1389).

4.° *Versiones sacrarum Scripturarum* in linguam vernaculam, nisi edantur sub vigilantia Episcoporum et cum adnotationibus praecipue excerptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus (*can.* 1391).

Quare approbatio versionis non adnotatae ad solam Sedem Apostolicam spectat; tametsi videntur ab hac prohibitione excipi posse aliquae S. Scripturae partes quae ad fovendam fidelium pietatem aptissimae sunt; ut psalterium, evangelia annua, epistolae, etc., quae omnia probabiliter edi possunt, Episcopo permittente. *Vermeersch,* l. c., *n.* 71 (15-2); *Lega,* l. c., *n.* 356.

Etiam permitti ab Episcopis probabiliter possunt paraphrasticae versiones in quibus virtualiter continentur adnotationes ex SS. Patribus et traditione ecclesiastica excerptae. *Vermeersch,* l. c. (1).

---

(1) Permittere etiam posse Episcopus videtur editiones in quibus praeter commentaria catholicorum locus sit acatholicorum adnotationibus quae ad geographiam, archaeologiam etc., spectent, non autem si ad mores pertineant. *Pennachi,* l. c.; *Gennari,* l. c.

N. B. Jam cessavit obligatio parochum aut confessarium consulendi ut probatae versiones legantur. *Wernz*, l. c., *adnot.* 58; *Gennari*, l. c.; *Lega*, l. c.

389.—**Translationes et novae editiones operis approbati** nova approbatione communiri debent (*can.* 1392, § 1). Attamen excerpta e periodicis capita seorsim edita (**tirada aparte**) novae editiones non censentur, nec proinde nova approbatione indigent (*Ibid.*, § 2).

CAPUT II

DE PROHIBITIONE LIBRORUM

ARTICULUS I

DE NATURA HUJUS PROHIBITIONIS

390. **Principia.** — I. *Jus* et *officium* libros cujusvis auctoris ex justa causa prohibendi Ecclesiae competit (*can.* 1395, § 1).

Ratio istius juris eruitur ex officio Ecclesiae fideles perducendi ad veram sanctitatem aeternamque beatitudinem. Quamobrem eos debet ab omni lectione arcere, quae eorum fidem bonosque mores possit corrumpere.

II. Haec prohibitio est actus jurisdictionis, ideoque solum subditos obligat ejus a quo imponitur. *Sedes* igitur *Apostolica Conciliumque Universale* libros prohibere possunt pro universa Ecclesia; pro suis subditis Concilia quoque particularia et locorum *Ordinarii* (*Ibid.*).

III. Libri ab Apostolica Sede *damnati* ubique locorum et in quodcunque vertantur idioma prohibiti censentur (*can.* 1396).

IV. A prohibitione Ordinarii datur ad S. Sedem recursus, non tamen in suspensivo (*can.* 1395, § 2). Stat igitur prohibitio donec Sedes Apostolica aliud forte decernat.

391. **Effectus prohibitionis.** — *a*) Prohibitio librorum id efficit ut liber sine debita licentia nec edi, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari possit (*can.* 1398, § 1).

b) Liber quoquo modo prohibitus rursus in lucem edi nequit, nisi, factis correctionibus, licentiam is dederit qui librum prohibuerat ejusve Superior vel successor (*Ibid.*, § 2).

c) Ordinarii locorum aliique curam animarum (v. gr. parochi) habentes opportune monere debent fideles de periculo et damno lectionis librorum pravorum, praesertim prohibitorum (*can.* 1405, § 2).

Potestne **Superior religiosus** *libros subditis prohibere?*

Resp. Possunt justa de causa Abbas monasterii sui juris et supremus religionis clericalis exemptae Moderator, cum suo Capitulo vel Consilio; idemque, si periculum est in mora, possunt alii Superiores majores cum proprio Consilio, ea tamen lege ut rem quantocius deferant ad supremum Moderatorem (*can.* 1395, § 3).

392. **Denuntiatio librorum perniciosorum.** — Omnium fidelium est, maxime clericorum et in dignitate ecclesiastica constitutorum eorumque qui doctrina praecellant, libros quos perniciosos judicaverint, ad locorum Ordinarios aut ad Apostolicam Sedem deferre; id autem peculiari titulo pertinet ad Legatos Sanctae Sedis, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum catholicarum (*can.* 1397, § 1).

Quomodo facienda. — Expedit ut in pravorum librorum denuntiatione non solum libri inscriptio indicetur, sed etiam, quantum fieri potest, causae exponantur cur liber prohibendus existimetur (*Ibid.*, § 2). Iis ad quos denuntiatio defertur, sanctum esse debet denuntiantium nomina secreta servare (*Ibid.*, § 3).

393.—**Locorum Ordinarii in libros qui in proprio territorio edantur aut venales prostent,** per se aut, ubi opus fuerit, per sacerdotes idoneos debent vigilare (*Ibid.*, § 4), omnesque libros, libellos, etc., quos damnosos repererint, etiam ab alio forte Ordinario approbatos, reprobare, de manibusque fidelium auferre curent.

Libros tamen qui subtilius examen exigant, vel de quibus ad salutarem effectum consequendum supremae auctoritatis sententia requiri videatur, ad Apostolicae Sedis judicium debent Ordinarii deferre (*Ibid.*, § 5).

ARTICULUS II

DE LIBRIS IPSO JURE PROHIBITIS

394. — *a*) Libri alii *ipso jure*, sc. ipsis Codicis canonibus, prohibentur, *b*) alii decretis particularibus.

Ipso jure prohibitae sunt aliquae S. Scripturae editiones; etiam alii libri nonnulli ob periculum haeresis, schismatis, superstitionis, violationis castitatis, nonnullaeque editiones liturgicae parum fideles.

395. **S. Scripturae editiones ipso jure prohibitae.** —1.° *Editiones* textus originalis et antiquarum versionum catholicarum sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab *acatholicis* quibuslibet publicatae; itemque ejusdem *versiones* in quamvis linguam, ab eisdem confectae vel editae (*can.* 1399, 1.°).

2.° Etiam prohibentur quilibet libri, adnotationes aut commentaria S. Scripturae, sine licentia vulgata (*Ibid.*, 5.°).

3.° Et ejusdem versiones in linguam vernaculam a quovis editae sine licentia (*Ibid.*).

Sed usus horum librorum iis dumtaxat permittitur qui studiis *theologicis vel biblicis quovis modo* operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata (*can.* 1400).

Permittitur ergo iis etiam qui ex consuetudine studiis **theologicis et biblicis** vacant, sive in scholis ut alumni Theologi, sive privatim, non iis autem qui linguae graecae aut hebraicae solum student (S. C. Indic., 21 jun. 1898). *Wernz*, l. c., adnot. 57; *Lega*, l. c., *n.* 353. Contrarium *Gennari* sentit, *pag.* 35. Permittitur, dummodo *ne fidei catholicae dogmata impugnentur*, ideoque etiamsi hae veritates obiter ibi negentur, aut aliae impetantur.

396. **Qui libri interdicantur ob haeresim periculumve ipsius aut schismatis.** — 1.° Libri quorumvis scriptorum, **haeresim** vel **schisma** propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nitentes (*can.* 1399, 2.°).

Religionis fundamenta intelliguntur esse *religionis verae naturalis et supernaturalis*, ut patet ex eo, quod legislator, tum in Constit. *Officiorum et munerum*, tum in Codice, verbum religionis *naturalis* in vetere Indice adhibitum, studiose omisit, ut clare appareat prohibitionem non restringi ad sola fundamenta religionis naturalis. *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *pag.* 119; *Gennari*, *pag.* 30; *Lega*, l. c., *n.* 348.

Dicitur utcumque evertere, scil. adductis rationibus, sive irrisionibus, sive imaginibus depictis (*caricaturas*), etc. *Gennari*, l. c.

Hac prohibitione non comprehendi encyclopaedias, docet *Card. Gennari*, in quibus, utpote quae a viris tam catholicis quam acatholicis scriptae sunt, inter articulos bonos reperiuntur aliqui haeresim et materialismum propugnantes. Ratio est, quia, cum in hujusmodi libris res disparatissimae attingantur, singuli articuli veluti tractationes separatae censendi sunt. Igitur nisi longissimi sint, ita ut libro aequivaleant, haberi debent tanquam *libelli* aut *opuscula*, quae *ecclesiasticae* prohibitioni non sunt obnoxia, etsi forte jure *naturali* prohibeantur. Cfr. *Il Monitore, vol.* 23, *pag.* 413, 414 (1).

2.° Libri (etiam *folia diaria*, *folia exigua* (h. volantes), *libelli*: *can.* 1384, § 2) qui religionem aut bonos mores, data opera, impetunt (*can.* 1399, 3.°).

---

(1) Hoc *n.* 2.° *can.* 1399 minime libellos comprehendi, *videtur* colligi ex eo quod idem canon *n.* 5.° praeter libros enumerat libellos, qui hoc loco tacentur. Neque eos Const. *Officiorum* comprehendebat, neque Codex videtur velle magis interdictionem restringere. Sed tamen comprehendi *n.* 3.° libellos, etc., opinamur, non solum quia eos Const. *Officiorum* comprehendebat, sed etiam quia non est credendum voluisse Codicem illos excludere, sed potius comprehendere, ad normam *can.* 1384, § 2. Vide praeterea *can.* 6, *n.* 4.°, qui docet, in dubio num aliquod canonum praescriptum cum vetere jure discrepet, a vetere jure non esse recedendum. Vide. *vol.* 1, *n.* 136, 4.°

RELIGIO. Cum lex *indiscriminatim de religione* loquatur, haec vox ad solam religionem *naturalem* sine solido fundamento restringitur; est enim ad supernaturalem sive revelatam etiam extendenda (1), ut dictum est.

Nec requiritur ad prohibitionem incurrendam ut folium religionem *totam* impugnet; sufficit unius alteriusve *dogmatis* impugnatio habitualis, ut in altera parte sufficit impugnatio unius alteriusve praecepti decalogi; secus irrisoria fere prohibitio redderetur. *Wernz*, l. c. (2).

3.° Libri quorumvis *acatholicorum*, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri (*can.* 1399, 4.°).

4.° Libri qui quodlibet ex catholicis dogmatibus impugnant vel derident, qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur, qui cultui divino detrahunt, qui disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt, et qui data opera ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt (*Ibid.*, 6.°).

Detrahitur, cum bona existimatio minuitur; libri autem religioni detrahentes reprobationi subjacent, etiamsi id non faciant *ex professo*, dummodo detractio sit gravis paulatimque diffundatur seu «crescat eundo». *Vermeersch*, *n.* 74, 3 (alias 13, 4); *Wernz*, l. c.

5.° *a*) Libri qui duellum vel suicidium, vel divortium licita statuunt, *b*) qui de sectis massonicis vel aliis ejusdem generis societatibus agentes, eas utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt (*Ibid.*, 8.°).

397. **Libri, libelli, etc., ipso jure prohibiti superstitionis ejusve periculi causa.** — 1.° Libri qui cujusvis generis **superstitionem**, sortilegia, divinationem, magiam, evocationem spirituum, *aliaque id genus docent* vel *commendant* (*Ibid.*, 7.°).

2.° Libri quibus divulgantur indulgentiae apocryphae, vel a Sancta Sede proscriptae aut revocatae (*Ibid.*, 11.°). Igitur si hi libri sunt de indulgentiis veris et adhuc vigentibus, etiamsi sine licentia sint publicati, ideoque *illicite*, fidelibus non interdicuntur. Idem

---

(1) Sic tenent *Pennacchi*, l. c., *pag.* 162 *seq.; Gennari*, l. c., *pag.* 57 *seq.; Hollweck*, l. c., *pag.* 37. Ita *Wernz*, l. c., *adnot.* 76, cui consonant, praeter AA. ab ipso citatos, etiam *Lega*, l. c., *n.* 375; *Buccer.*, *n.* 1309; *Palmieri*, l. c.; *Noldin*, De Praeceptis, *n.* 701, *contra paucos*, quorum argumenta antiquata magisque subtilia quam vera, dicuntur ab ipso *Wernz*, l. c. Horum sententiam falsam et non parum periculosam esse probat *Gennari*, h. l. (ed. 3.ª).

(2) Improbandi sunt sacerdotes qui, v. gr. in itinere, in via ferrea, ephemerides liberales emunt et legunt, non sine scandalo fidelium, *Noldin*, l. c.

N. B. In **Hispania** sat communiter prohibitae censentur inter alias sequentes ephemerides matritenses: *El País, El Liberal, El Imparcial, El Heraldo*, aliaeque ejusdem furfuris. Cfr. *Instr. pastor.* Archiep. et Episcoporum prov. eccles. Caesaraug., 10 apr. 1904; id. id. Prov. Compostellanae, 3 oct. 1906; *Instr. pastor.* Episc. Dertusani, 4 aug. 1904; Conclusiones aprobadas por la Asamblea nacional de la Buena Prensa, Hispali, 18 jun. 1904, *secc.* 4, *punto* 3.°, *concl.* 5.ª; *Instr. pastor.* Episc. Guadicen., aug. 1906, etc.

est de Collectionibus decretorum SS. Congregationum intelligendum.

3.° Libri ac libelli qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula enarrant, vel qui novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si editi fuerint non servatis canonum praescriptionibus (*Ibid.*, 5.°).

4.° Imagines quoquo modo impressae Domini Nostri Jesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis alienae (*Ibid.*, 12.°).

Haec prohibitio numismata, statuas, picturas seu tabulas pictas non complectitur, sed tantum imagines quomodocumque impressas. Si imagines sunt conformes Ecclesiae decretis, sed sine competenti licentia publicatae, fidelibus non prohibentur, at certe peccat editor (1).

398. — *Quo pacto intelligendum illud de novis apparitionibus novisque devotionibus?*

Resp. Videtur requiri ut liber vel scriptum de his *unice* tractet vel saltem fusius, rem tanquam *manifeste* supernaturalem proponendo, non vero si quaedam obiter tantum interserantur, nullum firmum judicium de eorum supernaturalitate proferendo. Quare non videntur prohiberi diaria, in quibus aliquando facta quaedam miraculosa narrantur, quae in aliqua peregrinatione occurrerint, etc. *Gennari*, h. l.; *Lega*, *n.* 363; *Vermeersch*, l. c., *n.* 14, I; *Génicot*, *n.* 453, 3.° (2).

N. B. Posita approbatione competenti, jam non requiritur protestatio secundum Urbani VIII decretum fieri solita.

399. **Libri ipso jure prohibit ad praeservandam potissimum castimoniam.** — Qui res **lascivas** seu **obscenas**, ex professo tractant, narrant, aut docent (*can.* 1399, 9.°). Hi enim libri sunt fidei moribusque periculo.

Hac prohibitione non comprehenduntur: *a*) libri scientifici, v. gr. de re medica, chirurgica, morali, qui turpia ex professo tractant, sed pro *peritis* tantum et propter scopum *utilem* et *honestum;* nec *b*) libri, qui res turpes *obiter* tantum attingunt; nihilomi-

---

(1) *Pennacchi*, l. c., *pag.* 29; *Vermeersch*, l. c.; *Gennari*, h. l.; *Lega*, l. c., *n.* 366; *Wernz*, l. c., *adnot* 69 (Super imaginibus, cfr. Bened. XIV, Const. *Sollicitudini*, 1 oct. 1745).

(2) Sunt novae devotiones, quae satis notabiliter differunt sive in objecto, sive in modo ab iis, quas Ecclesia probavit. Cfr. decret. *S. Off.*, 13 jan. 1875, quo improbatur devotio sanguinis B. M. V.; 13 mart. 1901, quo damnatur devotio dicta *de la Mano poderosa*, et aliud ejusdem diei quo improbatur *Nova Crux Immaculatae Conceptionis*, itemque 1 maji 1901, quo jussum est publicari decreta condemnatoria *devotionis erga Ssmam. Animam D. N. I. Ch.* Vide etiam *Razón y Fe*, *vol.* 1, *pag.* 564; *vol.* 37, *pag.* 244, ubi laudatur dissolutio confraternitatis quae dicebatur *del Brazo poderoso*, facta ab Episcopo Habanensi. Eodem pacto S. Officium, 29 mart. 1916, imaginem B. Mariae Virginis Sacerdotalibus vestibus indutam reprobavit. *Acta*, VIII, *pag.* 146.

nus hi, si revera appetitum legenti excitent, prohibentur *jure* naturali.

Prohibitio etiam continet libros quos classicos vocant, si infecti sunt lascivia aut obscenitate.

400. **Editiones librorum liturgicorum a Sede Apostolica approbatorum qui ipso jure vetantur.** — Eae sunt in quibus quidpiam immutatum sit, ita ut cum authenticis editionibus a Sancta Sede approbatis non congruant (*Ibid.*, 10.°).

Tantum ergo prohibentur editiones factae cum *immutationibus*, etsi *parvis*, quae substantiam attingant. Non autem interdicuntur quae cum authenticis editionibus conformantur, etiamsi fiant sine praevia Episcopi approbatione.

Errores typographicos prohibitio minime attingit (1).

Qui ad breviarium recitandum editione prohibita inscius utitur, officio satisfacit, formam praescriptam servans. Idem probabiliter dicendum, si interdictionem cognoscit (2).

ARTICULUS III

DE FACULTATE LEGENDI LIBROS PROHIBITOS

401. **Exemptio et dispensatio.** — Sunt qui eximuntur ab ecclesiastica prohibitione libros legendi; sunt etiam qui possint dispensationem legitime obtinere.

Exempti. — S. R. E. Cardinales, Episcopi, etiam titulares, aliique Ordinarii, necessariis adhibitis cautelis, ecclesiastica librorum prohibitione non adstringuntur (*can.* 1401). Dicitur **ecclesiastica prohibitione**; nemo enim *per se* ullo modo eximitur a prohibitione juris naturalis legendi libros qui ipsi proximum spirituale periculum praestant, ut sunt obsceni, etiam licentia a quovis obtenta (*can.* 1405, § 1).

Juris naturalis prohibitio in casibus particularibus cessat, cessante periculo; non autem idem evenit cum *juris ecclesiastici* prohibitione, nisi ipsa cesset *contrarie*, i. e. cum ejus observantia noxia evadit.

402. **Licentia legendi libros ipso jure vel decreto Sedis Apostolicae prohibitos.** — *Per se* tantum a Sede Apostolica concedi potest aut ab iis qui delegatam ad id ab ea potestatem expresse acceperunt.

---

(1) *Lega,* De iudic. ecclesiast., *vol.* 3, *part.* 1, *n.* 371; *Gennari,* Comm. in Const. *Offic. ac mun.*, § 18; *Pennacchi,* Comm. in hanc const., *d.* 156.

(2) *Il Monitore, vol.* 8, *part.* 2, *pag.* 209; *Vermeersch,* De prohibitione librorum, *pag.* 70 *seq.*, edit. 1; cfr. tamen *pag.* 77, edit. 2.ª

Ordinarii (sive dioecesani, sive religiosi quoad suos respective subditos) ad libros quod attinet ipso jure vel decreto Sedis Apostolicae prohibitos, concedere valent hanc licentiam pro *singulis* tantum libris atque in casibus dumtaxat *urgentibus* (*can.* 1402, § 1).

Quod si generalem a Sede Apostolica facultatem impetraverint suis subditis permittendi ut libros proscriptos retineant ac legant, eam nonnisi cum delectu et justa ac rationabili causa possunt concedere (*Ibid.*, § 2).

Concedendis licentiis legendi libros quoscumque jure seu a Sede Apostolica prohibitos *S. Officium* praepositum est.

S. etiam C. de P. F. facultatem concedere potest iis tantum qui domicilium aut quasi-domicilium habent in regionibus ejus regimini subjectis. Quaenam sint hujusmodi regiones vide apud *Ferreres,* La Curia Romana, *n.* 529 *seq.* Sed hi, facultate obtenta uti etiam in aliis regionibus possunt, etiamsi priora illa domicilia aut quasi-domicilia dereliquerint. Idem tene de Magistro S. Palatii, quod ad Urbis subditos attinet, et de Episcopo hanc facultatem ex jurisdictione delegata concedente, quoad suos subditos. *Vermeersch,* l. c., *n.* 95, *bis* 2 (alias 36, 3); *Gennari,* h l.; *Lega,* l. c., *n.* 379.

Episcopi aliique Praelati obtinentes a Sede Apostolica facultatem, v. gr. *triennalem,* concedendi licentiam legendi libros prohibitos, hanc possunt subditis idoneis etiam in *perpetuum per se* concedere. Igitur facultas concedendi esse triennalis potest, licentia vero concessa perpetua, ut si a Papa concederetur. Quod erui tum ex tenore facultatum Episcopis a S. C. Indicis antea concessarum videtur, tum ex praxi in Secretaria ejusdem S. C. approbata. Ita *Wernz,* l. c., *adnot.* 79. Cfr. *Piat,* Comm. in Const. *Apostolicae Sedis, pag.* 19, 20. Unde concludi potest etiam perpetuas esse licentias sine limitatione sive ab Apostolico Nuntio, sive a Delegatis Apostolicis concessas. —Vide *Gury-Ferreres,* **Casus,** *n.* 1138 *seq.*

403.—*Qui facultate gaudet legendi* **libros** *prohibitos potest pravas* **ephemerides** *legere?*

Resp. Affirm., sed non viceversa. Strictius enim libri quam ephemerides prohibentur; nam illorum lectio est periculosior, tum quia latius et copiosius error in illis propugnatur, tum quia libri nati sunt ut in posterum facilius conserventur. *Vermeersch,* l. c., 98, 2 (alias 36, 1); *Gennari,* Comm. in Const. *Officiorum.*

404.—*Potestne libros legere a suo* **Ordinario** *prohibitos qui potest prohibitos ab* **Sede Apostolica?**

Resp. Neg., nisi in apostolico indulto expressa eidem facta est potestas legendi et retinendi libros a quibuslibet damnatos (*can.* 1403, § 1). Insuper gravi praecepto tenetur libros prohibitos ita custodiendi, ut ad aliorum manus non possint pervenire (*Ibid.*, § 2).

405. —*Subjiciunturne regulares exempti librorum prohibitioni Episcopi dioecesani?*

Resp. Disputatur. Prima sententia, cum *Pennachi,* l. c., *pag* 191; *Palmieri,* h. l.; *Wernz,* l. c., *adnot.* 82, affirmat, quia Episcopi sese habent tanquam delegati Sedis Apostolicae, et *jurisdictio delegata,* secundum for-

mulam Conc. Tridentini aut Codicis concessa, ad potestatem *cumulativam* in proprios *subditos* non est restringenda, sed sese etiam in *exemptos* extendit. Negant alii ob contrariam rationem, et quia religiosi, cum sint exempti, non subduntur Episcopo, nisi in casibus expresse determinatis, inter quos hic non reperitur. Ita *Génicot, vol.* 1, *n.* 451; *Lega,* l. c., *n.* 387; *Gennari,* h. l.; *Periés,* L'Index, h. l., *pag.* 154; *Piat,* N. R. Th., *vol.* 31, *pag.* 571-582; *Vermeersch,* l. c., *n.* 64 (alias 12), et De relig. inst. et person., *n.* 371, et ipse *Van Coillie,* Comm. in Const. *Officiorum ac munerum, pag.* 27.

406. **Librorum venditores.** — 1.° Libros de obscenis *ex professo* tractantes vendere, commodare, retinere non possunt; 2.° ceteros prohibitos venales habere nequeunt, nisi debitam licentiam impetraverint; neque cuipiam vendere, nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti (*can.* 1404).

TITULUS XXIV

De fidei professione

407. — I. Obligatione emittendi *professionem fidei*, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur (*can.* 1406, § 1) (1):

1.° *a*) *Coram praeside* ejusve delegato, qui Oecumenico vel particulari Concilio aut Synodo dioecesanae intersunt cum voto seu *consultivo* seu *deliberativo; b*) *praeses* autem coram eodem Concilio vel Synodo;

2.° Coram Sacri Collegii Decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum et S. R. E. Camerario, promoti ad cardinalitiam dignitatem;

3.° Coram delegato ab Apostolica Sede, *a*) promoti ad sedem episcopalem etiam non residentialem, *b*) vel ad regimen Abbatiae vel Praelaturae *nullius, c*) Vicariatus Apostolici, Praefecturae Apostolicae;

4.° Coram Capitulo cathedrali, Vicarius Capitularis;

5.° Coram loci Ordinario ejusve delegato **et** coram Capitulo, qui ad dignitatem vel canonicatum promoti sunt;

6.° Coram loci Ordinario ejusve delegato **et** coram aliis consultoribus, assumpti ad officium consultorum dioecesanorum (vide *vol.* 1, *n.* 713);

7.° Coram loci Ordinario ejusve delegato, *a*) Vicarius Generalis, *b*) parochi et ii quibus provisum est de beneficiis quibusvis, etiam manualibus, *curam animarum* habentibus; *c*) rector, professores sacrae theologiae, juris canonici et philosophiae in Seminariis, initio cujuslibet anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris; *d*) omnes promovendi ad ordinem *subdiaconatus; e*) librorum *censores,* de quibus in can. 1393 (vide *n.* 387); *f*) sacerdotes *confessionibus excipiendis* destinati et sacri *contionatores,* antequam facultate donentur ea munia exercendi (2);

---

(1) Haec formula invenitur initio Codicis, proxime ante *lib.* I. Vide dicta *vol.* 1, *n.* 122.

(2) Si eam in sua dioecesi jam emiserunt, satis est, opinamur, testimonium afferre se jam emisisse, ut in alia dioecesi facultate donentur. Cfr. *Ferreres* in *Razón y Fe, vol.* 30, *pag.* 366; *vol.* 33, *pag.* 246.

8.° *a*) *Coram Ordinario* ejusve delegato Rector Universitatis vel Facultatis; *b*) coram Rectore vero Universitatis vel Facultatis ejusve delegato, professores omnes in Universitate seu Facultate canonice erecta, initio cujusque anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris; itemque qui, periculo facto, *academicis gradibus* donantur;

9.° Coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit eorumve delegato, Superiores (*generales, provinciales, locales*) in religionibus clericalibus.

II. Qui, priore dimisso, aliud *officium* vel *beneficium* aut *dignitatem* etiam ejusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere ad normam hujus canonis (*Ibid.*, § 2).

III. Obligationi fidei professionem emittendi non satisfacit qui eam *per procuratorem* vel coram laico emittit (*can.* 1407).

Reprobatur quaelibet consuetudo contra canones hujus tituli (*can.* 1408).

PARS V

De beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus

---

TITULUS XXV

De beneficiis ecclesiasticis

CAPUT PRAEVIUM

NOTIO, DIVISIO, ADNOTATIONES GENERALES

408. I. **Notio**. — *Beneficium ecclesiasticum* est ens juridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et jure percipiendi reditus ex dote officio adnexos (*can.* 1409).

II. **Dos beneficii**. — Dotem beneficii constituunt: *a*) sive bona quorum proprietas est penes ipsum ens juridicum, *b*) sive certae et debitae praestationes alicujus familiae vel personae moralis, *c*) sive certae et voluntariae fidelium oblationes, quae ad beneficii rectorem spectent, *d*) sive jura, ut dicitur, stolae (*de estola y pie de altar*) intra fines taxationis dioecesanae vel legitimae consuetudinis, *e*) sive chorales distributiones, exclusa tertia earundem parte, sed tantum pro casu in quo omnes reditus beneficii choralibus distributionibus constent (*can.* 1410); secus distributiones chorales nequeunt computari in dotem.

III. Pensiones quas in **Hispania** et **America latina** Gubernium solvit Episcopis, canonicis et parochis (quas etiam in Gallia solvere deberet), cum loco beneficii erogentur, hujus vices agunt et ut ecclesiastica beneficia habendae sunt, quemadmodum constat ex nonnullis S. Poenitentiariae responsis (*vol.* 1, *n.* 696). Cfr. etiam *Brabandère*, Jur. can. comp., *vol.* 2, *n.* 895. .

IV. **Partitio.**—Beneficia ecclesiastica dicuntur: 1.° *Consistorialia*, quae in Consistorio conferri solent (vide *vol.* 1, *nn.* 452-477) et adnexam habere *potestatem* (characterem non semper) episcopa-

lem; cetera dicuntur *non consistorialia;* 2.° *Saecularia* vel *religiosa* prout ad solos clericos *saeculares* vel solos clericos *religiosos* spectant; omnia autem beneficia, erecta extra ecclesias vel domus religiosorum, *in dubio* saecularia esse praesumuntur; 3.° *Duplicia* seu *residentialia*, vel *simplicia* seu non *residentialia*, prout, praeter officium beneficiale, adnexam habent, vel minus, obligationem residendi; 4.° *Manualia*, i. e., *temporaria*, quae etiam vocantur *amovibilia*, vel *perpetua* seu *inamovibilia*, prout conferuntur revocabiliter vel in perpetuum; 5.° *Curata* vel *non curata*, prout curam animarum adnexam habent vel non (*can.* 1411).

V. **Beneficia improprie talia.**—Quamvis similitudinem quandam cum beneficiis habeant, in jure non veniunt nomine beneficiorum: 1.° Vicariae paroeciales *non in perpetuum erectae;* 2.° Cappellaniae *laicales,* quae scilicet *erectae non sunt* a competente auctoritate ecclesiastica; 3.° Coadjutoriae cum futura successione vel sine ea; 4.° Pensiones personales; 5.° Commenda temporaria, id est concessio redituum alicujus ecclesiae aut monasterii alicui facta ita ut, eo deficiente, reditus ipsi ad ecclesiam vel monasterium revertantur (*can.* 1412).

409.—*Quid est* **cappellania?**

Resp. Cappellania est ens juridicum constans *a*) jure percipiendi fructus ex certis bonis, *b*) et officio aliquo spirituali, generatim celebrandi certum numerum Missarum ad intentionem fundatoris. Si cappellania auctoritate Episcopi instituta est in perpetuum, ita ut illius bona maneant *spiritualizata,* i. e., in dominium Ecclesiae transierint, cappellania *ecclesiastica* vel *collativa* dicitur, et est verum beneficium; si vero sine Episcopi auctoritate erigitur, tunc bona non sunt *spiritualizata,* et cappellania *laicalis* appellatur, neque est verum beneficium, etiamsi forte ab Episcopo sit conferenda.—In **Hispania** *Cappellaniae* vocantur *familiares* (vel de *sangre*), si illarum jus patronatus *passivum* (1), vel saltem *activum,* ad familiam determinatam pertinet (vide legem *hisp.*, 15 jun. 1856); *patrimoniales,* si jus patronatus passivum ad eos pertinet qui ab aliqua determinata dioecesi vel oppido sunt oriundi (2).

Animadvertenda: 1.m **Quibus de beneficiis haec pars agit.**—Nisi aliud liquido appareat, canones qui in hac *parte quinta* sequuntur, de beneficiis tantum non consistorialibus proprie dictis intelligi debent (*can.* 1413, § 1). Non igitur sunt intelligendi *a*) neque de consistorialibus, *b*) neque de improprie dictis, *c*) nisi aliud clare constet, ut, exempli causa, in can. 1414, § 1, 1435, § 1.

2.m **Canones libri II his beneficiis applicandi.**—Canones 147-195 (de quibus in *vol.* 1, *nn.* 310-359) etiam officiis beneficialibus seu beneficiis applicandi sunt (*can.* 1413, § 2).

---

(1) Quid sit patronatus *passivus* dicitur in *n.* 434, *adnot.*

(2) *Salazar-La Fuente,* Disciplina ecles., *lect.* 66, *n.* 5. Cfr. *Craisson, nn.* 5377, 5378; *Deshayes, n.* 1876; *Salazar-La Fuente,* l. c., *lect.* 61; Proced. ecles., *vol.* 4, *l.* 7, *tit.* 4; *Manjón,* Derecho ecles., *n.* 1200 *seq.; López Peláez,* El derecho y la Iglesia, *pag.* 367 *seq.* (edit. ann. 1917); *Ruiz de Velasco,* Memorias y Capellanías, *sect.* 2, *c.* 4; *Sanguineti, n.* 461, *schol.*

CAPUT I

DE CONSTITUTIONE SEU ERECTIONE BENEFICIORUM

410. **A quo possint erigi.** — I. Beneficia *consistorialia* una **Sedes Apostolica** erigit (*can.* 1414, § 1).

II. Praeter **Romanum Pontificem, Ordinarii** in suo quisque territorio beneficia *non* consistorialia erigere possunt, salvo praescripto can. 394, § 2 (*Ibid.*, § 2), ad cujus normam in ecclesiis cathedralibus et collegialibus erectio *dignitatum Sedi Apostolicae reservatur*, etsi potest Episcopus, *consentiente* Capitulo (vide *vol.* 1, *n.* 229), exstinctas forte dignitates restituere. Cfr. *vol.* 1, *n.* 684.

Exceptio.—Attamen *Vicarii Generales* **nequeunt** beneficia erigere nisi *ex peculiari* Episcopi *mandato* (*can.* 1414, § 3). Inde sequitur posse a *Vicario Capitulari.*

III. Etiam **Cardinalis** in ecclesia proprii tituli aut diaconiae (*vol.* 1, *nn.* 443-445) potest beneficia *non curata* erigere, nisi illa ecclesia sit religionis *clericalis exemptae* (*can.* 1414, § 4), ut sunt, v. c., tituli SS. XII Apostolorum, et S. Mariae *supra Minervam*, quorum ecclesiae pertinent respective ad PP. S. Francisci et S. Dominici, qui sunt clericales exempti.

411. **Erectionis conditiones**. — I. *a*) Beneficia erigi non possunt, nisi constet ea *stabilem et congruam* **dotem** habere, ex qua reditus perpetuo percipiantur ad normam can. 1410 (*can.* 1415, § 1.). Vide *n.* 408, II.

b) Si dos in numerata pecunia constituatur, Ordinarius, *audito* dioecesano administrationis Consilio, de quo in can. 1520, curare debet ut quamprimum collocetur in tutis et frugiferis fundis vel nominibus (*Ibid.*, § 2), aut etiam *in titulis ad latorem*, ut dicitur, aut debiti publici, in actionibus vel obligationibus diversarum societatum, etc., quibus confidi possit.

c) Non prohibetur tamen, ubi congrua dos constitui nequeat, paroecias aut quasi-paroecias erigere (Vide *vol.* 1, *nn.* 163, 164, 383, 731), si prudenter praevideat, ea quae necessaria sunt aliunde non defutura (*can.* 1415, § 3).

II. Ante erectionem beneficii vocandi et audiendi, si qui sunt, ii quorum interest (*can.* 1416).

III. In limine fundationis fundator potest, de consensu Ordinarii, conditiones etiam juri (*canonico*) communi contrarias apponere, dummodo sint *honestae* et *naturae* beneficii ne repugnent (*can.* 1417, § 1).

IV. Fundatione constituta, **conditiones** semel **admissae sup-**

primi aut **immutari** ab Ordinario *valide* **nequeunt**, nisi *a*) agatur de mutationibus Ecclesiae favorabilibus, *b*) et accedat consensus ipsius fundatoris, vel, si agatur de jure patronatus, patroni (*Ibid.*, § 2). Ratio, quia fundatio est contractus bilateralis inter Ecclesiam et fundatorem, qui utramque partem obligat ex justitia, utque immutetur utriusque partis consensus accedat oportet. Et quoniam Ordinarius agit tanquam Ecclesiae vicarius vel administrator, non alia facultate pollet quam ab ipsa concessa, et quae, ut dictum est, limitatur, scil. mutationibus quae favent Ecclesiae.

V. Erectio beneficiorum est facienda *a*) per legitimum instrumentum (sive scripturam publicam), *b*) in quo definiatur *locus* ubi beneficium erectum est, *c*) et describantur 1.° *dos* beneficii ac 2.° *jura* et *onera* beneficiarii (*can.* 1418).

CAPUT II

DE UNIONE, TRANSLATIONE, DIVISIONE, DISMEMBRATIONE. CONVERSIONE ET SUPPRESSIONE BENEFICIORUM

ARTICULUS I

DE CONJUNCTIONE BENEFICIORUM

412. **Genera conjunctionis.** — Unio beneficiorum est: 1.° *Exstinctiva*, *a*) cum aut ex suppressis duobus vel pluribus beneficiis novum atque unicum beneficium efficitur, *b*) aut unum vel plura ita alii uniuntur ut (illa) esse desinant (hoc vero perseveret);

2.° *Aeque principalis*, cum unita beneficia remanent prout sunt, neque alterum alteri subjicitur;

3.° *Minus principalis*, seu per *subjectionem* vel *accessionem*, cum beneficia remanent, sed unum aut plura alii, tanquam accessorium principali, subjiciuntur (*can.* 1419, 1.°-3.°).

Effectus conjunctionis. — 1.° In unione *exstinctiva*, *a*) beneficio quod emergit aut remanet, omnia *jura et onera* exstinctorum competunt, *b*) et, si inter se componi nequeant, *meliora ac favorabiliora* (*can.* 1420, § 1).

2.° In *aeque principali* *a*) quodlibet beneficium conservat suam naturam, jura et onera, *b*) sed, vi peractae unionis, uni eidemque clerico unitorum beneficiorum tituli conferri debent (*Ibid.*, § 2),

3.° In *minus principali*, beneficium accessorium sequitur prin-

cipale, ita ut clericus, qui principale obtinet, eo ipso et accessorium consequatur atque utriusque onera implere debeat (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS II

DE TRANSLATIONE, DIVISIONE, DISMEMBRATIONE, CONVERSIONE ET SUPPRESSIONE BENEFICIORUM

413. **Notio.** — *a*) **Translatio** beneficii habetur, cum beneficii sedes de alio in alium locum deducitur (v. gr., ex uno templo in aliud, sive in eadem urbe sive in diversa).

b) **Divisio**, cum ex uno duo vel plura beneficia fiunt.

c) **Dismembratio**, cum pars territorii (ut dioecesis, paroeciae, etc.), aut bonorum alicujus beneficii ex eodem detrahitur et alii beneficio vel causae piae aut ecclesiastico instituto assignatur (v. c. Seminario).

d) **Conversio**, cum beneficium in aliam speciem mutatur (v. gr. in hospitale).

e) **Suppressio**, cum prorsus exstinguitur (*can.* 1421).

Reservationes apostolicae. — *Uni Sedi Apostolicae reservatur*:

a) Unio *exstinctiva* beneficiorum;

b) Eorum *suppressio;*

c) *Dismembratio* qua bona beneficialia separantur, *nullo novo beneficio* erecto;

d) *Unio* aeque aut minus principalis beneficii *religiosi* cum *saeculari* et contra;

e) Item beneficii *religiosi* translatio, divisio et dismembratio quaelibet (*can.* 1422).

414. **Facultates Ordinariorum. I. Conjunctio, etc., paroeciarum.** — Ordinarii possunt *aeque aut minus principaliter* unire quaslibet *paroeciales* ecclesias *a*) inter se aut cum beneficio *non curato* (*can.* 1423, § 1), *b*) cum ecclesia cathedrali aut collegiali quae in territorio paroeciae sita sit, ita ut reditus paroeciae cedant in commodum ipsius ecclesiae (v. gr. in aerarium fabricae), relicta parocho vel vicario congrua portione (*Ibid.*, § 2).

II. **Conditiones.** — 1.[a] Nulla harum unionum nisi ob Ecclesiae *necessitatem* vel *magnam et evidentem utilitatem* fieri potest (*Ibid.*, § 1); 2.[a], si unio paroeciae cum beneficio non curato fit *minus principaliter*, beneficium *non curatum* debet esse accessorium (*Ibid.*); 3.[a], nulla unio fieri potest, nisi in perpetuum (*Ibid.*, § 3); 4.[a], nec Vicarius Capitularis, nec Vicarius Generalis *sine mandato speciali* possunt has uniones peragere (*Ibid.*, § 1).

III. **Exceptiones.** — *Nequeunt* vero Ordinarii *paroeciam* uni-

re *a)* cum mensa capitulari vel episcopali, *b)* neque cum monasteriis, ecclesiis religiosorum aut alia persona morali, *c)* neque cum dignitatibus et beneficiis ecclesiae cathedralis vel collegiatae (sive canonicalibus sive non) (*Ibid.*, § 2).

415. **Unio, etc., beneficiorum curatorum vel non curatorum, prohibita.** — *a)* Ordinarii nunquam possunt beneficia quaevis unire sive curata sive non curata, cum detrimento eorum qui eadem actu obtinent, *ipsis invitis; b)* neque beneficium juris patronatus cum beneficio liberae collationis *sine patronorum consensu*, *c)* neque beneficia unius dioecesis cum beneficiis alterius dioecesis (1), etiamsi ambae dioeceses aeque principaliter unitae ab uno Episcopo regantur, *d)* neque beneficia exempta vel Sedi Apostolicae reservata (v. gr. in metropolitanis hispanis cantoris dignitas, *chantría*), cum aliis quibuslibet (*can.* 1424).

416.—In **Hispania** omnes fere paroeciae sunt Regii aut privati patronatus. Vide *vol.* 1, *n.* 747.

Inde fit ut novae scriptiones (*arreglos*) paroeciarum sint ad Regem ut patronum deferendae ad approbationem, prout in Lege concordata conventum est. Rex regiam schedam *auxiliatricem* ad earum exsecutionem mittit Episcopis, in qua solet iis praeter alias hanc facultatem concedere: «Si la experiencia acreditare en lo sucesivo la necesidad o conveniencia de alterar la demarcación y límites dados a las parroquias, especialmente donde hubiere más de una, podréis verificarlo sin necesidad de pedir Mi Real asenso, que desde ahora para entonces, es Mi voluntad se tenga por dado, con tal que no cause aumento de gasto en el presupuesto del Estado.» Cfr. *Arreglo parroquial* de la diócesis de Valencia, *pag.* 9.

417. **Conditio paroeciae cum domo religiosa conjungendae.** — I. Haec unio ab una Sede Apostolica fieri potest (*can.* 1425. § 1; 1423, § 2).

II. Si unio fit *ad temporalia tantum* quod attinet, *a)* domus religiosa particeps fit solummodo fructuum paroeciae, *b)* et Superior religiosus sacerdotem e clero saeculari in eadem instituendum, cui assignare debet congruam portionem, Ordinario loci praesentare debet (*can.* 1425, § 1).

III. Sin autem unio fit *pleno jure*, *a)* paroecia fit religiosa, *b)* et Superior potest sacerdotem e sua religione ad curam animarum exercendam nominare, *c)* sed Ordinarii loci est eundem probare et canonice instituere, *d)* ejusque jurisdictioni, correctioni et visitationi ipse sacerdos religiosus subesse debet in iis rebus quae ad curam animarum pertinent, ad normam can. 631 (*Ibid.*, § 2). Vide *vol.* 1, *nn.* 915, et 767.

418. **Translatio beneficiorum ab Ordinariis.** — Ordinarii: 1.° possunt *transferre* sedem, *a)* beneficii *saecularis paroecialis* de

---

(1) Trid., *sess.* 14, *cap.* 9 *De reform.*

alio in alium ejusdem paroeciae locum, *b*) propter *canonicas causas* de quibus in can. 1423, § 1 (*can.* 1426). Vide *n.* 414, II, 1.[a]

2.° *Alia* autem *beneficia* tum solum possunt *transferre*: *a*) cum ecclesia, in qua fundata erant, collapsa est et restaurari nequit; *b*) tunc vero sunt transferenda in matrices vel alias ecclesias locorum eorundem seu vicinorum; *c*) erectis, *si fieri possit*, in ecclesia translationis altaribus vel sacellis sub iisdem invocationibus, *d*) cum omnibus *emolumentis et oneribus* priori ecclesiae adjunctis (*can.* 1426).

419. **Paroeciarum divisio et dismembratio.** —I. Possunt etiam Ordinarii ex justa et canonica causa *paroecias* quaslibet, invitis quoque earum rectoribus et sine populi consensu, *dividere*, vicariam perpetuam vel novam paroeciam erigentes, aut earum territorium *dismembrare* (*can.* 1427, § 1), hujus partem alteri paroeciae attribuendo, etc.

II. *Causa canonica* requiritur tum ut *divisio* tum etiam ut *dismembratio* paroeciae fieri possit. Causa vero ea *tantum* est, si aut *magna* sit *difficultas* accedendi ad ecclesiam paroecialem, aut *nimia* sit paroecianorum multitudo, quorum bono spirituali subveniri nequeat ad normam can. 476, § 1 (*can.* 1427, § 1 et 2), i. e. per vicarios cooperatores. Vide *vol.* 1, *n.* 771.

III. Paroeciam dividens, Ordinarius debet vicariae perpetuae aut paroeciae noviter erectae congruam portionem assignare, servato praescripto can. 1500 (*Ibid.*, § 3).

IV. Haec portio congrua, nisi aliunde haberi queat, desumi debet ex reditibus ad ecclesiam matricem (i. e., ad antiquam quae divisa est) quoquo modo pertinentibus, dummodo sufficientes reditus eidem matrici ecclesiae remaneant (*Ibid.*).

V. Si vicaria perpetua aut nova paroecia dotetur ex reditibus ecclesiae a qua dividitur, debet matrici honorem deferre modo et finibus ab Ordinario praestituendis; qui tamen vetatur baptismalem fontem matrici ipsi reservare (*Ibid.*, § 4); sed vicaria perpetua aut nova paroecia habebit etiam baptismalem fontem cum jure suos subditos baptizandi, sicut aliae paroeciae.

VI. **Divisionis effectus.** — *a*) Divisa paroecia quae ad aliquam religionem jure spectat, vicaria perpetua aut paroecia noviter erecta non est religiosa; *b*) pariter, divisa paroecia juris patronatus, nova paroecia est liberae collationis (*Ibid.*, § 5).

VII. **Quomodo uniones, etc., faciendae.** — Locorum Ordinarii uniones, translationes, divisiones, dismembrationes beneficiorum non debent facere, *a*) nisi per authenticam scripturam, *b*) *auditis* (*vol.* 1, *n.* 229) Capitulo cathedrali et iis, si qui sint, quorum intersit, praesertim rectoribus ecclesiarum (*can.* 1428, § 1); *c*) faciendae sunt cum canonica causa; sin minus irritae sunt (*Ibid.*, § 2). Quae sint causae canonicae vide in can. 1423, § 1, 1426, 1427, § 2. Vide *nn.* 414, II, 1.[a]; 418, 419.

VIII. **Recursus contrarius.** — Adversus decretum Ordinarii unientis, transferentis, dividentis, aut dismembrantis beneficia, datur in devolutivo tantum recursus ad Sanctam Sedem (*can.* 1428, § 3), non *in suspensivo*, neque ad aliud tribunal inferius; quare decretum est statim exsequendum.

420. **Conversio beneficiorum.** — I. **Nequeunt Ordinarii** convertere *a*) beneficia curata in non curata; *b*) nec beneficia religiosa in saecularia, *c*) nec saecularia in religiosa (*can.* 1430, § 1).

II. E contrario **possunt** beneficia *simplicia* ab Ordinariis locorum in *curata* converti, dummodo ne obstent conditiones a fundatore expressae (*Ibid.*, § 2).

ARTICULUS III

DE PENSIONE BENEFICIIS IMPONENDA

421. I. **Notio et divisio.** — *Pensio ecclesiastica* est jus percipiendi aliquos fructus ex alieno beneficio.

Pensio triplex est: 1.ª *laicalis*, ea quae laicis conceditur ob aliquod temporale bonum Ecclesiae collatum; 2.ª *ecclesiastica*, quae clericis tribuitur ob aliquod spirituale ministerium; 3.ª *mixta*, quae datur clerico solum ad honestam ejus sustentationem.

II. **Impositae ab Ordinario pensiones.** — 1.° Beneficiis quibuslibet nequeunt Ordinarii locorum *a*) pensiones *perpetuas*, *b*) aut temporarias imponere quae ad vitam *pensionarii* durent (*can.* 1429, § 1).

2.° Possunt tamen imponere has pensiones *temporarias* quae durent ad vitam beneficiarii, sub iis **conditionibus**, nempe ut eas imponant *a*) dum beneficium conferunt; *b*) ex justa causa in ipso collationis actu exprimenda; *c*) salva beneficiario congrua portione (*Ibid.*).

3.° Beneficiis autem *paroecialibus* non possunt pensiones imponere, nisi *a*) in commodum parochi vel vicarii ejusdem paroeciae a munere abeuntis, *b*) quae tamen non excedant tertiam partem reditus beneficii, quibusvis deductis expensis et incertis reditibus (*Ibid.*, § 2).

In **Hispania**, vi Legis concord., R. Pontifex ab imponendis pensionibus abstinet, nisi beneficio paroeciali dupliciter: ad finem liti imponendum, aut in favorem parochi renuntiantis, cum ex Episcopi testimonio id opportunum ducetur (Concord. *ann.* 1737, *art.* 14, et *ann.* 1753, *art.* 8).

422.—*Quando pensiones* **cessant? Alienarine** *possunt?*

Resp. 1.° Omnes, etiam a R. Pontifice impositae, cessant morte pensionarii.

Resp. 2.° Non possunt *alienari*, nisi id expresse concessum sit (*can.* 1429, § 3).

CAPUT III

DE BENEFICIORUM COLLATIONE

ARTICULUS I

CUI COMPETAT

423. — I. Jus **Romano Pontifici** est beneficia in universa Ecclesia conferendi eorumque collationem sibimet reservandi (*can.* 1431).

Hoc jus fundamentum habet in ordinaria et immediata Summi Pontificis jurisdictione in universam Ecclesiam in omnesque et singulas dioeceses. Vide *vol.* 1, *n.* 389. Sed R. Pontifex liberam communiter collationem Episcopis relinquit pro eorum territorio, aut per Leges concordatas obligatur ad pauca tantum beneficia conferenda, quae in eis nominatim sibi reservat, ut de Hispania aliqua ex parte dictum est. Vide *vol.* 1, *nn.* 690-696, praesertim 692, II.

II. *a*) **Cardinalibus** competit collatio beneficiorum in proprio titulo vel diaconia (*can.* 1432, § 1).

b) **Ordinariis** in proprio territorio (*Ibid.*).

Utrique ad hanc collationem habent *intentionem in jure fundatam*, i. e. eum qui praesumat hoc jus limitare, jus electionis, praesentationis aut nominationis allegando, debere suum jus argumentis convincentibus probare; secus sententia ferenda est pro libera Ordinarii collatione, ei enim juris praesumptio favet. Cfr. *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 343; *Santi-Leitner*, *lib.* 3, *tit.* 7, *n.* 7.

III. *a*) Conferre autem beneficia nequit **Vicarius Generalis** sine speciali mandato (*can.* 1432, § 2).

b) **Vicarius** autem **Capitularis** *a*) non potest conferre beneficia perpetua liberae collationis, *b*) exceptis paroeciis vacantibus, ad normam tamen can. 455, § 2, 3.° (*Ibid.*), hoc est, eas conferre poterit, si jam sedes per annum vacat. Cfr. *vol.* 1, *n.* 738.

ARTICULUS II

DEVOLUTIO AD SEDEM APOSTOLICAM ET RESERVATIO

424. **Devolutio ad S. Sedem.** — Si Ordinarius intra *semestre* ab habita certa vacationis notitia beneficium non contulerit, hu-

jus collatio (pro ea vice) devolvitur ad Sedem Apostolicam (*can.* 1432, § 3). Excipitur casus de quo can. 458 (*Ibid.*), i. e., nisi peculiaria locorum ac personarum adjuncta, prudenti Ordinarii judicio, collationem in proprietate differendam suadeant. Vide *vol.* 1, *n.* 740.

425. **Reservationes**. — I. **Coadjutores in beneficiis** cum futura successione vel sine ea ab una Sede Apostolica constitui possunt (*can.* 1433).

Excipitur praescriptum can. 475, 476 (*Ibid.*) de vicariis coadjutoribus (sive *regentibus*, qui alicubi etiam dicuntur coadjutores *in capite*) deque vicariis cooperatoribus quos .Ordinarius libere creat, si de sacerdotibus saecularibus agitur, aut, si de religiosis, praevia Superioris praesentatione. Vide *vol.* 1, *nn.* 770, 771.

In **Hispania** utrique libere ab Episcopo nominantur. De postremis sic art. 26 Legis concord.: «Parochiarum Coadjutores ab Ordinariis, praevio examine synodali, nominabuntur.»

426. II. **Beneficia S. Sedi reservata**. — 1.° Beneficia Sedi Apostolicae reservata ab inferioribus *invalide* conferuntur (*can.* 1434).

2.° Sunt reservata Sedi Apostolicae, quanquam vacanti, *praeter a*) omnia beneficia consistorialia, *b*) omnes *dignitates* ecclesiarum cathedralium et collegiatarum ad normam can. 396 (vide *vol.* 1, *n.* 690), scil. salvis legitimis privilegiis ab eadem concessis (*can.* 1435, § 1).

c) Omnia beneficia, etiam curata, quae vacaverint per obitum, promotionem, renuntiationem vel translationem S. R. E. Cardinalium, Legatorum Romani Pontificis, officialium majorum Sacrarum Congregationum, Tribunalium et Officiorum Romanae Curiae et Familiarium, etiam honoris tantum, Summi Pontificis tempore vacationis beneficii. (*Ibid.*, 1.°).

d) Quae, fundata extra Romanam Curiam, vacaverint per beneficiarii obitum in ipsa Urbe (*Ibid.*, 2.°).

e) Quae invalide ob simoniae vitium collata sint (*Ibid.*, 3.°).

f) Denique beneficia quibus Romanus Pontifex per se vel per delegatum manus apposuit his qui sequuntur modis: 1.°, si electionem ad beneficium irritam declaraverit, vel vetuerit electores ad electionem procedere; 2.°, si renuntiationem admiserit; 3.°, si beneficiarium promoverit, transtulerit, beneficio privaverit; 4.°, si beneficium in commendam dederit (*Ibid.*, 4.°).

427. — At **nunquam sunt reservata**, nisi id *expresse* dicatur, *a*) beneficia *manualia b*) aut juris *patronatus laicalis* vel *mixti* (*Ibid.*, § 2). Nota bene in exceptione minime includi beneficia patronatus ecclesiastici.

Tota haec reservatio valida esse solum videtur pro illa vacatione; quare perpetua non est.

N. B. Quod attinet ad collationem beneficiorum quae Romae fundata sint, leges peculiares de eisdem vigentes servandae sunt (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS III

DE REGULIS COLLATIONIS ET DE PACTIS SIMONIACIS

428. **Leges particulares collationis.** — I. Beneficium ecclesiasticum clerico invito et provisionem non expresse acceptanti *valide* conferri *nequit* (*can.* 1436).

II. Nemo potest beneficium sibi ipsi conferre (*can.* 1437). Vide inferius, *n.* 442.

III. Omnia beneficia *saecularia* ad vitam beneficiarii conferenda sunt, nisi aliud ferat *a*) vel lex fundationis, *b*) vel consuetudo immemorabilis, *c*) vel peculiare indultum (*can.* 1438) S. Sedis.

IV. *a*) Beneficia *saecularia* nonnisi clericis e clero saeculari conferenda sunt; *b*) *religiosa*, sodalibus illius religionis, ad quam beneficia pertinent (*can.* 1442).

429. **Beneficia incompatibilia.**—I. Nullus clericus habilis est ad acceptanda et retinenda sive in titulum sive in commendam perpetuam duo vel plura beneficia *incompatibilia*, ad normam can. 156 (1439, § 1). Vide *vol.* 1, *n.* 319.

II. *Incompatibilia* sunt: *a*) (*ratione officii*) duo beneficia quorum onera universa idem beneficiarius per se implere simul nequeat; *b*) (*redituum causa*) duo beneficia quorum alterutrum ad honestam ipsius sustentationem sufficiat (*can.* 1439, § 2).

Igitur sunt *incompatibilia ratione officii* duo beneficia residentialia *a*) in diversis ecclesiis fundata; *b*) etiam fundata in eadem ecclesia, quorum tamen onera simul implenda sunt, v. c., duplex canonicatus ejusdem ecclesiae (*Beneficia uniformia et sub eodem tecto*).

Quibus causis pluralitas beneficiorum cohonestetur. — Ex communi doctorum sententia sunt: 1.[a] Ecclesiae *necessitas,* scil. si desunt alii ministri idonei; 2.[a] Ecclesiae *utilitas,* i. e., si jure existimatur unum, etiam absentem, sua auctoritate, scientia et prudentia plus profuturum, quam alius; 3.[a] praerogativa magnorum meritorum, cum aliquis magna servitia praestitit, vel inter ceteros, scientia aut consilio, etc., eminet. *S. Alph., n.* 118. Dispensatio tamen Sedis Apostolicae necessaria est. *Wernz,* l. c., *n.* 319; *Santi-Leitner, lib.* 3, *pag.* 102 *seq.*

Antiquitus omnis beneficiorum pluralitas incompatibilis erat. Haec inducta est, cum beneficia incongrua sive dotationis insufficientis fundata sunt.

430. — Beneficia ecclesiastica sine *deminutione* conferenda sunt,

salvo praescripto can. 1429, § 1, 2 (*can.* 1440). Vide superius, *n.* 421, II, 2.°, 3.° Hoc praeceptum in rubrica tit. 12 libri III Decretalium praescribebatur, eratque a Trid. confirmatum, cap. 5 sess. 25, *De reformatione.*

Non omnes in hujus praescriptionis limitibus conveniunt. Generatim beneficii dismembratio excludit etiam: *a*) ut novo beneficio novum onus imponatur (v. c. contionari, tot Missas legere, etc.), non auctis juribus et reditibus; *b*) ut ab eo solutio alicujus quantitatis aut semel aut per aliquod tempus exigatur; *c*) vel ei aliqua pensio imponatur. Cfr. *Santi-Leitner, lib.* 3, *tit.* 12, *pag.* 144.

De hoc postremo jam *n.* 421, II, 2.° et 3.° dictum est quid Ordinariis permittatur.

Nova autem onera imponi possunt in **Hispania** ex jure concordato canonicis officii et oppositionis, item beneficiariis oppositionis, ut *vol.* 1, *nn.* 693, III, et 694, dictum est.

431. **Pacta simoniaca.** — Tanquam simoniacae reprobantur deductiones ex fructibus, compensationes ac solutiones a clerico in actu provisionis faciendae, quae collatori, patrono aliisve cedant (*can.* 1441) (1). Vide *nn.* 9-23.

In **Hispania** *art.* 37 Legis concord. 1851 sic statuit in secundo loco: «Simili ratione ex redditibus, qui, perdurante vacatione Dignitatum, Canonicatuum, Parochiarum et Beneficiorum in singulis Dioecesibus, maturi fiant, subtractis uniuscujusque oneribus, cumulus seu fundus efformabitur Ordinarii dispositioni reservatus, unde extraordinariis et minime praevisis Ecclesiarum ac Cleri sumptibus, nec non urgentibus gravibusque Dioecesis necessitatibus occurratur. Eumdem in finem *hujusmodi fundus seu cumulus augebitur etiam ex summa respondente* **duodecimae** *parti annui cujusque redditus, quam semel infra annum* recens ad Praebendas, Parochias, aliaque Beneficia nominati conferre debebunt, cessando propterea qualibet alia deductione quovis titulo, usu, statuto, aut privilegio antea fieri solita.»

Haec dispositio nemini favet, ut perspicuum est, praescribiturque jure concordato.

ARTICULUS IV

DE BENEFICIORUM POSSESSIONE

Dicitur hic *possessio* detentio beneficii cum voluntate ejus officia nomine proprio exsequendi reditusque ut proprios percipiendi.

Possessio capi solet per aliquos actus externos, quibus jus significatur quod in beneficium beneficiarius acquirit (2), neque accipitur nisi praevio legitimi Superioris mandato qui cui placuerit munus committit ejus tradendae beneficiario, adstante notario ecclesiastico aut civili, qui possessionem in acta referat.

---

(1) Cfr. Conc. Trid., *sess.* 24, *c.* 14 *De reform.;* S. Pius V, Const. *Durum nimis,* 31 maji 1570; *Santi-Leitner, lib.* 3, *tit.* 12, *n.* 5 (*pag.* 145).

(2) Ita parochus eam accipere solet cum ecclesiam ingreditur, ejus januam aperiendo et claudendo, aera campana pulsando, clavem tabernaculi sumendo, etc.; canonici assidendo in subselliis a Decano et Capitulo (qui possessionem conferre solent) assignatis, etc.

432. **Sumptio possessionis.** — I. Nemo possessionem beneficii sibi collati *a*) aut propria auctoritate capere potest, *b*) aut non emissa fidei professione, si agatur de beneficiis pro quibus haec fidei professio praescripta sit (*can.* 1443, § 1). Vide *n.* 407.

II. Si agatur de beneficiis *non* consistorialibus, missio in possessionem, seu *institutio corporalis*, ad loci Ordinarium spectat, qui ad id alium ecclesiasticum virum delegare poterit (*Ibid.*, § 2).

Quomodo possessio capienda. — I. Missio in beneficii possessionem facienda est secundum modum jure peculiari praescriptum, vel legitima consuetudine receptum (*can.* 1444, § 1). Apud *Cadena y Eleta* diversa formularia videri possunt.

II. 1.° Justa ex causa Ordinarius ab eo modo seu ritu dispensare potest; dispensatio autem expresse et in scriptis danda est; quo in casu haec dispensatio locum tenet captae possessionis (*Ibid.*).

2.° Loci Ordinarius debet etiam: *a*) praefinire tempus intra quod possessio beneficii capi debeat; *b*) quo inutiliter praeterlapso, nisi justum obstiterit impedimentum, beneficium vacans declarare debet ad normam can. 188, *n.* 2 (*can.* 1444, § 2). Vide *vol.* 1, *n.* 352, 2.°

Possessio beneficii per procuratorem, speciale mandatum habentem, capi potest (*can.* 1445). Episcopi residentiales in **Hispania** generatim per procuratorem capiunt possessionem, et postea dioecesim ingrediuntur.

433. **Possessionis effectus. I. Lex possessionis triennalis.** — Qui in beneficii possessione pacifice per integrum *triennium* fuit bona fide, etsi forte cum titulo invalido, beneficium ex legitima praescriptione obtinet. Casus excipitur ubi simonia affuerit (*can.* 1446). Hic canon in antiqua regula 36 Cancellariae Apostolicae habet fundamentum. Cfr. *Sanguineti*, l. c., *n.* 467.

II. **Possessio pacifica.** — Qui beneficium postulat ab alio pacifice possessum, quod certo modo vacare contendat, debet in supplici libello exprimere *a*) nomen possessoris, *b*) tempus possessionis *c*) et causam specialem ex qua constet nullum possessori in eo beneficio jus competere (*can.* 1447).

Hoc beneficium postulanti conferri non potest, nisi prius causa in *petitorio* sit, ad normam juris, definita (*Ibid.*), neque judicium *possessorium* in hoc casu potest admitti. Hic etiam canon 1447 in alia regula Cancellariae Apostolicae innititur, in 35, quae dicitur annuae possessionis. At secundum Codicem sufficit possessio pacifica, etsi minime annua.

CAPUT IV

DE JURE PATRONATUS

ARTICULUS I

DE NOTIONE, PARTITIONE, PRINCIPIIS

434. **Notio.** — *Jus patronatus* est summa privilegiorum, cum quibusdam oneribus, quae *ex Ecclesiae* (semper erga benefactores gratae) *concessione* competunt fundatoribus catholicis ecclesiae, cappellae aut beneficii, vel etiam eis qui ab illis causam habent (*can.* 1448), sive successoribus.

Divisio. Jus patronatus esse potest:

Reale, si alicui rei adhaeret; *personale*, si directe ad *personam* spectat;

Ecclesiasticum, *laicale*, *mixtum*, prout titulus, quo quis jure patronatus potitur, est: *a*) ecclesiasticus, v. c., si ad cathedrale capitulum, ut tale, spectat, si ad parochum, etc.; *b*) vel laicalis, ut si ad hunc marchionem, aut ad illam familiam; *c*) vel mixtus, v. gr., si pariter ad Episcopum et urbis praefectum, quatenus tales sunt, spectat.

Hereditarium, *familiare*, *gentilicium*, *mixtum*, prout transit *a*) ad fundatoris heredes, *b*) vel ad eos qui de familia *c*) aut gente sunt fundatoris, *d*) vel ad eos qui *simul* sunt heredes et de familia vel gente fundatoris (*can.* 1449, 1.°-3.°).

Itaque jus patronatus *familiare* ad solos fundatoris posteros transit, *gentilicium* autem ad omnes propinquos etiam in sola linea collaterali. Cfr. *Santi-Leitner*, *lib.* 3, *tit.* 38, *n.* 9 (1).

435. **Principia.** — I. Nullum patronatus jus ullo titulo constitui in posterum valide potest (*can.* 1450, § 1).

Patronatus qui jam sunt, conservantur (subjecti tamen conditionibus de quibus mox agendum); sed nequeunt novi constitui.

Ante Codicem promulgatum patronatus exstincti jam erant in Belgio, in Gallia (salvo jure praesentandi Episcopos Praesidibus *catholicis* concesso), in Anglia, in Statibus Foederatis, in regionibus S. Congregationi de P. Fide subjectis. Cfr. *Wernz*, l. c., *vol.* 3, *n.* 411.

---

(1) Improprie dicitur *patronatus passivus*, jus quod certis personis competit ut potius quam aliae ad beneficium *praesententur*. Hic tamen patronatus admittit divisiones omnes veri patronatus.

II. Pro jure patronatus ante ab Ecclesia benefactoribus concesso grati animi testificandi causa, alia nunc ipsa Ecclesia tribuit emolumenta; unde Ordinario copiam facit: *a*) ut fidelibus qui ex toto vel ex parte ecclesias exstruxerint vel beneficia fundaverint, spiritualia suffragia, eorum liberalitati proportionata, concedant vel ad tempus vel etiam in perpetuum; v. gr. in obitu, multiplex Gregorianum tricenarium; annuam Missam per totam vitam perpetuumque anniversarium post mortem, ipsi vel suis, etc., applicabile (*can.* 1450, § 2, 1.°); *b*) ut fundationem beneficii admittat ea adjecta conditione, ut beneficium prima vice conferatur clerico fundatori vel alii clerico designato a fundatore, sive clericus hic sit sive laicus (*Ibid.*, 2.°), libera relicta collatione in successivis vacationibus.

III. Cupit Ecclesia ut etiam pristini patronatus exstinguantur, qua de causa Ordinariis commendat curent ut patroni patronatui renuntient *aut saltem juri praesentandi*, ejusque loco spiritualia suffragia etiam perpetua pro se suisve acceptent (*can.* 1451, § 1). Hujus rei causa est, quod semper patronatus ut beneficii servitus habitus est. Cfr. Conc. Trid., *sess.* 25, *cap.* 9, *De reform.*

ARTICULUS II

DE LEGIBUS PATRONATUUM SUBSISTENTIUM

436. — Si volunt patroni servare patronatum, hic sequentibus regulis subjicietur:

I. **Patronatus popularis.** — Electiones ac praesentationes *populares* ad beneficia etiam paroecialia, sicubi vigent, *tolerari tantum possunt*, si populus clericum seligat inter tres ab Ordinario loci designatos (*can.* 1452).

In **Hispania**, ex R. d. concord. 15 febr. 1867, *art.* 17, praesentatio ad paroecias aliaque beneficia curata, quae pertinebat ad instituta benefica, ad publicam instructionem, ad municipia et ad *vicinorum commune*, coronae jam nunc competit. Cfr. *Alcubilla*, v. Concordatos, *pag.* 167 (edit. 6.ª). Quod habet locum in his solum dioecesibus, in quibus nova paroecialis ordinatio et circumscriptio facta sit, ex Regio decreto 2 jul. 1914: *Alcubilla*, l. c.; *López Peláez*, l. c., *pag.* 496. Vide *vol.* 1, *n.* 747, *b.*

II. **Patronatus personalis.** — *a*) Jus patronatus personale transmitti *valide* nequit ad infideles (ut judaeos, mauros), publice apostatas, haereticos, schismaticos, adscriptos societatibus secretis ab Ecclesia damnatis (ut massonicis), nec ad quoslibet excommunicatos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (*can.* 1453, § 1). *b*) Ut ad alios transmitti valide possit, requiritur consensus

Ordinarii in scriptis datus, salvis legibus fundationis (quae semper servabuntur) et praescripto can. 1470, § 1, *n.* 4 (*can.* 1453, § 2), cum scil. res, cui jus patronatus realis inhaeret, perit, exstinguiturve familia ad quam pertinet familiaris patronatus.

III. **Patronatus realis**. — Si res, cui jus patronatus reale cohaeret, ad aliquam personam de qua in § 1 transeat, jus patronatus suspensum manet (*Ibid.*, § 3).

IV. **Patronatus probatio**. — Nullum jus patronatus admittatur, nisi authenticis documentis aut aliis legitimis probationibus evincatur (*can.* 1454). Inter has legitimas probationes sunt numerandae praesentationes multiplicatae et continentes a Superiore admissae, libri visitationis in quibus id constat, etc. (1).

437. **Privilegia patronorum**. — Sunt: 1.um Praesentandi clericum ad ecclesiam vacantem vel beneficium vacans (*can.* 1455, 1.°).

2.um Alimenta *ex aequitate* (*non ex stricta justitia*) obtinendi ex ecclesiae vel beneficii reditibus, quoties patronus ad inopiam nulla sua culpa sit redactus (*Ibid.*, 2.°). Competit ei hoc privilegium: *a*) etiamsi ipse juri patronatus renuntiaverit in commodum Ecclesiae; *b*) vel etiamsi pensio in limine fundationis ipsi patrono reservata sit, quae ad sublevandam ejus inopiam non sufficiat (*Ibid.*). Ut hoc jure patronus gaudeat, necesse est ut, salva exsecutione onerum et honesta beneficiarii sustentatione, reditus supersint, quibus patrono consulatur (*Ibid.*).

3.um *a*) Habendi, si ita ferant legitimae locorum consuetudines, in sui patronatus ecclesia *stemma* gentis vel familiae, *b*) *praecedentiam* ante ceteros laicos in processionibus vel similibus functionibus, *c*) *digniorem sedem* in ecclesia, sed extra presbyterium et sine baldachino (*Ibid.*, 3.°).

438. **Quis patronatum exerceat et quomodo**. — *a*) Uxor per seipsam jus patronatus exercet, *b*) minores per parentes aut per tutores; quod si parentes vel tutores acatholici sint, jus patronatus interim suspensum manet (*can.* 1456).

ARTICULUS III

DE TEMPORE ET MODO FACIENDAE PRAESENTATIONIS

439. I. **Praesentationis tempus**. — Nullo *justo* obstante *impedimento*, praesentatio facienda est intra *quattuor menses*. Excipe si brevius tempus lege fundationis vel legitima consuetudine sit praescriptum (*can.* 1457).

---

(1) Cfr. Trid., *sess.* 25, *c.* 9 *De reform.*; *Schmalzgrueber,* Ius Eccl. univ., *lib.* 3, *c.* 38, § 7, *n.* 238 *seq.; Sanguineti,* Instr. can., *n.* 316; *Salazar,* Derecho canónico, *vol.* 3, *pag.* 271 (León, 1891).

Valet hoc, sive agitur de patronatu *laicali* sive de *ecclesiastico* et *mixto* (*Ibid.*). Mutatur igitur antiqua disciplina in patronatu *ecclesiastico* et *mixto*, quibus *sex menses* concedebantur; laicalis autem patronatus spatium, quod erat quattuor mensium, omnibus fit commune. Codex inclinat, quam potest maxime, ad unitatem patronatibus tribuendam.

II. **Quando incipiat.**—Hoc spatium incipit a die quo is cui jus est canonice instituendi, patronum certiorem fecerit *a*) de *vacatione* beneficii, *b*) et de *sacerdotibus* qui *in concursu probati sunt*, si agitur de beneficio quod per concursum conferri debeat (*can.* 1457.)

III. **Elapso tempore, libera est collatio.** — Si *intra praescriptum tempus* praesentatio facta *non* erit, ecclesia vel beneficium pro eo casu fit liberae collationis (*can.* 1458, § 1).

IV. **Suspensio collationis.** — Si vero lis, quae intra utile tempus quattuor mensium dirimi nequeat, exoriatur sive circa jus praesentandi inter Ordinarium et patronum vel inter ipsos patronos, sive circa jus praelationis inter ipsos praesentatos, *est suspendenda collatio* usque ad finem controversiae, et interim, si opus sit, oeconomum ecclesiae vel beneficio vacanti Ordinarius praeficere debet (*Ibid.*, § 2).

440. **Praesentationis modus. I. Plurium patronatus non collegialis.** — Si plures (v. gr. duo, tres, quattuor) singulares personae sint patroni, *a*) possunt tum pro se tum pro suis successoribus de *alternis* praesentationibus inter se convenire (*can.* 1459, § 1), v. gr., si tres patroni sunt, loco praesentandi simul in vacatione eundem beneficiarium, possunt inter se convenire ut in prima vacatione jus praesentandi ab uno patrono exerceatur, in secunda ab altero, a tertio in tertia, in quarta a primo, etc.

b) Ut autem haec conventio sit *valida*, accedat oportet Ordinarii consensus in scriptis datus, qui tamen semel praestitus nequit valide ab eodem Ordinario vel ejus successoribus, patronis invitis, revocari (*Ibid.*, § 2).

II. Sin autem de alternis praesentationibus non convenerint, *a*) ille praesentatus habebitur, qui majorem saltem *relative* suffragiorum numerum retulerit (*can.* 1460, § 2).

b) Si plures eumdem, sed majorem quam ceteri, suffragiorum numerum habuerint, omnes censebuntur praesentati (*Ibid.*); v. gr., si octo sunt suffragia, duo autem clerici terna obtinuerunt, tertius duo (aut singula clerici duo), duo qui terna suffragia habuerunt, praesentati ducentur.

c) Qui ex diversis titulis jus patronatus obtinet, tot habet in praesentatione suffragia, quot titulos (*can.* 1460, § 3).

441. **Patronatus collegialis.** — Si jus patronatus collegialiter exerceatur, ille praesentatus habebitur, qui majorem suffragiorum

numerum retulerit, ad normam can. 101; quod si, duobus scrutiniis sine effectu institutis, in tertio scrutinio plures majorem prae-ceteris, sed aequalem inter se suffragiorum numerum habuerint, ii omnes praesentati censendi sunt (*can.* 1460, § 1). Vide *n.* 440, II, *b*), et *nn.* 223-225 *vol.* 1.

Videtur igitur in primis duobus scrutiniis majorem absolute suffragiorum numerum requiri. Ratio est, 1.° quia major numerus relatus dicitur esse debere ad normam can. 101, qui id exigit; 2.° quia si major numerus relativus satis esset, hoc aperte diceretur, sicuti dicitur hoc loco in § 2.

ARTICULUS IV

DE PRAESENTATIONE PASSIVA

442. **Quot possunt praesentari.** — I. Quilibet patronus (sive singularis sive pluralis, collegialis aut non, laicus, ecclesiasticus, mixtus) non unum tantum candidatum, sed *plures* praesentare potest, tum *una simul*, tum etiam *successive* (*can.* 1460, § 4).

II. Requiritur ad hoc jus exercendum: 1.° ne praescriptum tempus sit elapsum; 2.° ne posteriorum praesentatione priores excludantur (*Ibid.*).

Perspicuum videtur posse Ordinarium, uno aut aliquot candidatis a patrono praesentatis, v. gr. post duos menses a vacatione, immediate beneficium conferre; quo facto cessat jus patroni alios praesentandi.

Huc usque jus praesentandi plures *successive* laicalis patronatus erat privilegium ideoque etiam mixti; non autem ecclesiastici, qui *semel* tantum unum aut plures praesentare poterat. Cfr. *Wernz, vol.* 2, *n.* 425; *De Luca, n.* 178.

Sui ipsius praesentatio. — Nemo potest praesentare *seipsum* neque aliis patronis accedere ut suffragiorum numerum ad praesentationem necessarium pro se compleat (*can.* 1461). Vide *n.* 428, II.

443. **Dotes praesentati.** — I. Si ecclesiae vel beneficio provideri debeat *per concursum*, patronus, etiam laicus, non potest praesentare nisi clericum legitime *ex concursu* probatum (*can.* 1462).

Jus **Hispaniae** concordatum de collatione paroeciarum patronatus laicalis et *mixti* habes in sequentibus decretis:

R. O. C. 21 jun. 1852:

«Art. 2.° En adelante deberán recaer las presentaciones de los patronos legos en individuos cuyos actos de oposición hayan sido aprobados *en concurso abierto* en la *diócesis respectiva*.

Art. 3.° Sin embargo, si los patronos legos presentan algún individuo que carezca de aquel requisito, se señalará al presentado el término de cuatro meses para que haga constar haber sido aprobados sus ejercicios, hechos en la forma indicada, en concurso particular, que el diocesano

podrá convocar para todos los que quieran habilitarse a fin de aspirar a curatos de patronato laical, salvo siempre lo que dispone el Concordato respecto al derecho del Ordinario de examinar al presentado cuando lo estime conveniente.

Art. 4.° Para la provisión de los curatos de patronato *mixto* se aplicará como más favorable al derecho de presentación lo que en dicho art. 26 del Concordato se establece respecto a los curatos de *patronato laical,* si la presentación corresponde simultáneamente a ambos patronatos.

Cuando ésta les pertenezca alternativamente, o por turno, se considerará el patronato, ya como puramente eclesiástico, ya como puramente laical para la fijación de la regla que deba aplicarse en cada caso, según que el patrono a que toque la presentación aquella vez sea eclesiástico o lego.» (*Alcubilla, vol.* 3, *pag.* 145, v. Concordatos, edit. 6.ª).

R. O. C. 28 maji 1864:

«...S. M. la Reina (q. D. g.), de acuerdo con el muy reverendo Nuncio de Su Santidad, se ha servido declarar:

1.° Que la idoneidad del presentado debe haberse probado en concurso abierto, bien en la diócesis de su domicilio, bien en la del beneficio que ha de residir.

2.° Que no estando aprobado previamente en concurso abierto en una de las dos diócesis indicadas, se celebrará un concurso especial para que el presentado acredite su suficiencia, dentro de los cuatro meses que prefija el Concordato, en la diócesis en que el curato esté constituído; y

3.° Que las anteriores aclaraciones se entienden siempre según establece el mismo Concordato, salvo el derecho del Ordinario de examinar al presentado por el patrono, si lo estima conveniente...» (*Alcubilla, vol.* 3, *pag.* 162, v. Concordatos).

Vide praeterea quae dicuntur in *vol.* 1, *n.* 747.

II. Persona praesentata debet esse idonea, id est, ipso praesentationis vel saltem acceptationis die, *qualitatibus omnibus* praedita, quae jure seu communi seu peculiari vel lege fundationis requiruntur (*can.* 1463).

444. **Cui facienda praesentatio.** — Praesentatio fieri debet *loci Ordinario*, cui competit jus et officium judicandi utrum idonea sit persona praesentata (*can.* 1464, § 1).

Ordinarius ad suum formandum judicium, debet ad normam can. 149 (vide *vol.* 1, *n.* 313) de persona praesentata diligenter inquirere et opportunas notitias, etiam secretas, si opus fuerit, assumere (*can.* 1464, § 2).

445. **Recusatio ejusque effectus.** — I. Si Ordinarius judicat debere se personam praesentatam recusare, non cogitur patrono patefacere cur eam non admittat (*Ibid.*, § 3).

III. Si praesentatus erit non idoneus repertus ac proinde ab Ordinario recusatus, patronus, dummodo *tempus utile* ad praesentandum sua negligentia lapsum ne sit, potest alium intra tempus de quo in can. 1457 praesentare (*can.* 1465, § 1).

Si tempus utile non patroni negligentia elapsum est sed forte Ordinarii aut nullius, videtur patronus novam praesentationem posse peragere, v. gr.,

si facta est praesentatio intra primos duos aut tres menses, Ordinarius autem praesentatum non recusavit nisi quarto mense exeunte. In hoc casu dicendum videtur patronum sine sua culpa fuisse impeditum quominus novam praesentationem faceret, totum tempus quod inter praesentationem et repulsam intercedit; quare novum ei spatium est concedendum.

III. Sed si ne novus quidem praesentatus idoneus erit repertus, ecclesia vel beneficium pro eo casu fit liberae collationis (*Ibid.*).

IV. Et patrono tamen et praesentato conceditur ut intra decem dies a significatione recusationis possint recursum a judicio Ordinarii ad Sedem Apostolicam interponere (*Ibid.*). Quo recursu pendente, est suspendenda collatio usque ad S. Sedis sententiam, et interim, *si opus erit*, *oeconomum* ecclesiae vel beneficio vacanti Ordinarius praeficiet (*Ibid.*).

N. B. Praesentatio, infecta *labe simoniaca*, est *ipso jure irrita*, et etiam *institutionem* forte subsecutam *irritam* reddit (*Ibid.*, § 2). Vide *n.* 16.

ARTICULUS V

DE PRAESENTATI INSTITUTIONE

446. **Notio.** — *Institutionis* late sumptae nomine significatur omne genus collationis beneficiorum. Quare in jure antiquo legitur: «Nemo potest licite beneficium obtinere sine canonica institutione» (Reg. I Jur. in VI). Idem exprimit Codex in can. 147, cum docet provisionem canonicam requiri ad validitatem (Vide *vol.* 1, *n.* 311).

Stricto sensu distinguitur a libera collatione, item a confirmatione quae legitimae electioni conceditur. Ita sumpta institutio est *concessio beneficii facta a competenti auctoritate ecclesiastica, praevia* a patrono *nominatione aut praesentatione*.

Triplex institutio distinguitur. Prima, quae dicitur *collatio tituli,* est jus competentis Superioris ecclesiastici quo titulus beneficii conceditur clerico quem patronus praesentavit.

Secunda, quae *institutio auctorizabilis* sive *approbatio* vocatur, ea est qua Ordinarius loci jurisdictionem necessariam ad curam animarum exercendam concedit sacerdoti, cui jam praelatus inferior canonicam institutionem beneficii curati concessit. Cfr. *Wernz,* l. c., *vol.* 2, *n.* 442 *seq.; Santi-Leitner, lib.* 3, *tit.* 7, *n.* 4.

Tertia est *institutio corporalis,* quae dicitur etiam *investitura,* qua possessio corporalis et actualis beneficii traditur clerico qui jam beneficii titulum et idcirco *jus in re* habet.

Ad dignitates et canonicatus quae in **Hispania** Summo Pontifici reservata sunt, ab Ordinariis solum traditur institutio corporalis. Vide *vol.* 1, *n.* 692, II.

447. **Jura praesentati**. — Legitime praesentatus, et idoneus repertus, acceptata praesentatione, jus habet ad canonicam institutionem (*can.* 1466, § 1).

I. Jus concedendi canonicam institutionem proprium est Ordinarii loci (*Ibid.*, § 2); igitur etiam Vicarii Capitularis.

Non autem potest eam concedere Vicarius Generalis sine mandato *speciali* (*Ibid.*).

II. Si plures et omnes idonei praesentati sint, Ordinarius eligere debet quem magis idoneum in Domino judicaverit (*Ibid.*, § 3).

Quando institutio danda. — Institutio canonica pro quolibet beneficio etiam non curato dari debet intra *duos menses* ex quo praesentatio facta est, nisi aliquod justum obstet impedimentum (*can.* 1467), v. gr. si ob peculiaria adjuncta idoneitas praesentati indagari non potuit, vel si hic fuit rejectus et recursum interposuit, neque in tempore sententia data est, etc.

Si praesentatus ante canonicam institutionem renuntiaverit vel mortuus erit, patronus rursus jus praesentandi habet (*can.* 1468). Unde colligitur, si plures personae physicae jus habeant alternum praesentandi, v. c. Petrus, Didacus et Gregorius, et Petrus in vacatione praesentavit, praesentatus autem ante canonicam institutionem renuntiavit vel mortuus est, ad ipsum Petrum, non ulli *ceterorum*, novam praesentationem spectare. Si praesentatus moreretur simul atque institutionem accepisset, jus praesentandi Didaco competeret.

ARTICULUS VI

DE ONERIBUS PATRONORUM EORUMQUE NON ADIMPLETORUM EFFECTIBUS

448. **Onera seu officia patronorum** sunt:

1.um Ordinarium loci monere, si bona ecclesiae seu beneficii dilapidari viderint, ita tamen ut se non immisceant administrationi eorundem bonorum (*can.* 1469, § 1, 1.°).

2.um Aedificare denuo ecclesiam collapsam aut reparationes, judicio Ordinarii, necessarias in eadem facere, si *ex titulo aedificationis* jus patronatus habeant, et nisi onus aedificandae denuo vel reparandae ecclesiae aliis incumbat ad normam can. 1186 (*Ibid.*, 2.°). Vide *n.* 92.

3.um Supplere reditus, si *ex titulo dotationis* jus patronatus proveniat, cum ecclesiae vel beneficii reditus ita defecerint, ut nequeat amplius vel cultus decenter in ecclesia exerceri, vel beneficium conferri (*Ibid.*, 3.°).

449. **Juris patronatus suspensio**. — I. Si ecclesia collapsa sit vel necessariis indigeat reparationibus, aut si reditus defecerint ad normam § 1, nn. 2.°, 3.°, jus patronatus interim quiescit (*Ibid.*, § 2).

Restauratio et exstinctio.—II. *a)* Si patronus, intra tempus ab Ordinario sub poena cessationis patronatus praefiniendum, ecclesiam *denuo aedificaverit* vel restauraverit aut reditus auxerit, jus patronatus *revigescit; b)* secus ipso jure et sine ulla declaratione *cessat* (*Ibid.*, § 3) in perpetuum.

ARTICULUS VII

DE PATRONATUS SUSPENSIONE ET CESSATIONE

450. **Quemadmodum cesset jus patronatus**. — Praeter casum de quo nuper in can. 1469, § 3, jus patronatus exstinguitur his de causis:

1.ª Si patronus juri suo *renuntiaverit* (*can.* 1470, § 1, 1.°). Ejus tamen renuntiatio ex integro fieri potest, aut ex parte, v. c. ex solo jure praesentandi (*Ibid.*). Et renuntiatio unius nunquam potest aliis compatronis damnum afferre (*Ibid.*). Quare si tres erant praesentationem alternantes, unus vero renuntiavit, singuli ut antea alternis vicibus praesentationem peragent in quavis tertia vacatione, alia autem tertia erit liberae collationis.

2.ª Si *Sancta Sedes* jus patronatus *revocaverit* aut ipsam ecclesiam vel beneficium perpetuo *suppresserit* (*Ibid.*, 2.°). Certum est, quod si in scriptura fundationis aut dotationis erat constitutum ut in casu suppressionis, etc., reditus ad familiam transeant, etc., id adimplendum est.

3.ª Si contra jus patronatus legitime *praescriptum* erit (*Ibid.*, 3.°).

4.ª *a)* Si res, cui jus patronatus inhaeret, perit, patronatus realis cessat.

b) Si exstinguitur familia, gens, linea cui secundum tabulas fundationis reservatur, cessat *familiaris*, *gentilicius*, etc. Quo in casu nec jus patronatus *hereditarium* evadit, nec Ordinarius valide permittere potest donationem juris patronatus alii fieri (*Ibid.*, 4.°).

5.ª Si, *consentiente a)* patrono, ecclesia vel beneficium uniatur alii liberae collationis, *b)* aut ecclesia fiat electiva vel regularis (*Ibid.*, 5.°).

451. **Propter quae crimina amittatur**.—Jus patronatus amittit patronus, si *a)* illud *simoniace* in alium transferre attentaverit; *b)* si lapsus erit in apostasiam, haeresim aut schisma; *c)* si bona ac jura ecclesiae vel beneficii injuste usurpaverit aut detineat; *d)* si rectorem vel alium clericum ecclesiae servitio addictum aut beneficiarium per se vel per alios occiderit vel mutilaverit (*Ibid.*, 6.°).

N. B. 1.° Propter crimina de quibus nunc egimus (*a-c*) jus patronatus amittit solus patronus reus, et ob crimen *d)* ejus quoque

heredes (*Ibid.*, § 2). Existimamus nomine *heredes* etiam designari successores in patronatu familiari et gentilicio.

2.° Ut ex delictis enumeratis in *a-d*) patroni censeantur jus patronatus amisisse, *requiritur et sufficit* sententia *declaratoria* (*Ibid.*, § 3) criminis, neque opus est *condemnatoria*.

452. **Juris patronatus suspensio ex integro**. — *Censura* aut *infamia juris* innodatus post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, usque dum censura vel infamia perdurat, nequit jus patronatus exercere ejusque privilegiis uti (*Ibid.*, § 4).

ARTICULUS VIII

DE INDULTO APOSTOLICO PRAESENTANDI

453. — I. Si cui Sedes Apostolica indultum concesserit praesentandi ad ecclesiam vacantem vel ad beneficium vacans, non inde jus patronatus (cum tota ejus amplitudine) oritur, et privilegium praesentationis strictam interpretationem pati oportet ex tenore indulti (*can.* 1471), ita ut per indultum praesentandi solam praesentationem facere possit, aliis privilegiis exclusis, v. gr., quae in can. 1455, 2.° et 3.° numerantur (Vide *n.* 437).

II. Hoc intellige, sive in Concordatis sive extra Concordata indultum concessum est (*can.* 1471). Quod si hoc indultum sine ullo limite patronatum concedit, patronatus omnibus juribus et praerogativis gaudebit.

ARTICULUS IX

DE REGIO PATRONATU

454. I. **Notio**. — Patronatus dicitur regius, qui Regibus competit. Non igitur cum *reali* confundendus, qui rei inhaeret (Vide *n.* 434, et 436, III).

II. **Origo**. — Regalistae contendebant patronatum universalem jus esse inhaerens Regis auctoritati; quo nihil absurdius. Ecclesia sua ipsa natura ejusque divini Conditoris voluntate societas perfecta est a civili potestate independens (cfr. *vol.* 1, *nn.* 38-57), quod non esset, si Rex, quatenus talis, jus haberet aliquod ad beneficiorum praesentationem, quae semper ab Ecclesia ut servitus habita est (vide *n.* 435), estque revera.

Patronatus sive regius, sive alius, aliam nullam originem ha-

bet quam Ecclesiae concessionem (1), ut Codex docet in can. 1448. (Vide *n.* 434).

Neque patronatus Regum hispanorum aliunde oritur quam ex hac benigna Ecclesiae concessione ad gratum animum testificandum ob eorum erga catholicam religionem merita, ut probat testis veritatis, historia.

III. **Origo historica.** — In **Hispania** patronatu sunt donati primum reges Aragoniae (qui deinde ad Navarram sese extendit, ad Catalauniam, Valentiam insulasque Baleares etiamque ad Granatam) ab Urbano II, ann. 1085 pro ecclesiis oppidorum a mauris ereptorum quas illi suis sumptibus aedificabant; at sedes episcopales excipiebantur. Regibus Castellae a Julio II ann. 1501 pro Indiarum ecclesiis concessus est.

Alexander deinde VI itemque Hadrianus VI regibus Hispaniae jus patronatus pro omnibus dioecesibus ceterisque consistorialibus beneficiis concesserunt. In jure Concord. ann. 1753, *art.* 5 et 6, agnoscitur concediturque patronatus universalis erga reges Hispaniae, quo possint ad omnia beneficia vacantia suorum *dominiorum* praesentare, salvis exceptionibus illic enumeratis; ubi etiam animadvertitur fieri concessionem, ad antiquam controversiam concorditer dirimendam.

Nationes emancipatae. — In nationibus quae ex hispano imperio exortae sunt suique juris effectae, cessavit regum hispanorum patronatus. Sed in earum nonnullis supremi Moderatores illum eundem ex benigna Sedis Apostolicae concessione consecuti sunt.

Privilegium speciale Regii patronatus hispani. — Ubi ex jure communi jus nominandi aut praesentandi cessare debet, quia, v. c., elapsum est tempus utile, non tamen cessat Regio patronatui; Regi enim jus est concessum praesentandi «con toda la generalidad con que se hallan comprendidos (los oficios y beneficios) en los meses apostólicos y *casos de las reservas generales y* **especiales»** (Concord. ann. 1753, *art.* 5). Vide etiam R. O. 30 jun. 1863.

CAPUT V

DE JURIBUS ET OBLIGATIONIBUS BENEFICIARIORUM

455. **Jura.** — Quilibet beneficiarius, capta legitime beneficii possessione, *a*) omnibus juribus fruitur tam temporalibus (2) quam

---

(1) Si agitur de ecclesia, tituli propter quos S. Sedes patronatum concedebat, erant ipsius dos, aedificatio, concessioque loci ad aedificandum: *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.* Si unus locum concedebat, aedificabat, dotabat, unicus erat patronus; si tres ea peragebant, tres erant compatroni; si unus unum, alter duo, primus suffragio uno, duobus secundus gaudebat; poterant igitur inter se ita convenire, ut primus in prima vacatione praesentaret, alter in secunda et tertia, et ita porro.

(2) Reditus annui assignati in Lege concord. ann. 1851 sunt qui sequuntur:

ART. 31. **Archiepiscopo** Toletano centum sexaginta milia argentorum, vulgo *Reales de vellón.*

spiritualibus, quae beneficio adnexa sint (*can.* 1472); *b*) etsi alia bona non beneficialia habeat, libere uti ac frui potest fructibus beneficialibus qui ad ejus honestam sustentationem sint necessarii (*can.* 1473).

Obligationes. *a*) **Super fructibus superfluis.** — *Obligatione* tenetur impendendi fructus *beneficiales* superfluos pro pauperibus aut piis causis (*Ibid.*). *Cardinales* autem uti possunt privilegio can. 239, § 1, 19.° (*Ibid.*), quod vide in *vol.* 1, *n.* 466, 19; cum limitatione canonis 1298, qui exponitur hoc ipso volumine, *n.* 242.

Hispalensi et Valentino centum quinquaginta milium.

Compostellano et Granatensi centum quadraginta milium.

Burgensi, Caesaraugustano, Tarraconensi et Vallisoletano centum triginta milium.

Annuus vero redditus singulis **Episcopis** attributus erit: Barcinonensi et Matritensi centum decem milium argentorum ut supra.

Gaditano, Carthaginiensi, Cordubensi et Malacitano centum milium.

Almeriensi, Abulensi, Pacensi, Canariensi, Conchensi, Gerundensi, Oscensi, Giennensi, Legionensi, Illerdensi, Lucensi, Majoricensi, Auriensi, Ovetensi, Palentino, Pampilonensi, Salmanticensi, Santanderiensi, Segobiensi, Terulensi et Zamorensi nonaginta milium.

Asturicensi, Calaguritano, Cluniensi, Cauriensi, Guadicensi, Jacensi, Minoricensi, Mindoniensi, Oriolensi, Oxomiensi, Placentino, Segobricensi, Seguntino, Tirasonensi, Derthusensi, Tudensi, Urgellensi, Vicensi et Victoriensi octoginta milium.

Titulari *Indiarum Patriarchae,* quando Archiepiscopatum, aut Episcopatum proprium non habeat, centum quinquaginta milium, deducta ex hac quavis alia quantitate quam ecclesiasticae pensionis, vel altero quocumque titulo a publico aerario percipiat (Vide *vol.* 1, *n.* 565).

Antistites, qui *Cardinalatus* honore aucti sint, viginti milia argentorum supra adsignatam sibi dotem obtinebunt.

Episcopis Auxiliaribus Septensi et Nivariensi (vide *vol.* 1. *n.* 665), itemque Priori Ordinum Militarium (vide *ibid., nn.* 631, 632) annuus quadraginta milium argentorum redditus attribuetur.

Hujusmodi redditus nullam prorsus deductionem patientur, neque ob sumptus Bullarum, quos Gubernium in se recipiet, neque ob alios, qui in Hispania pro iis occurrerint.

Gaudebunt insuper Archiepiscopi et Episcopi suis palatiis, pomariis, hortis aut aedibus, quae in qualibet Dioecesis parte ipsorum usui, ac solatio destinatae et minime alienatae fuerint (Cfr. supra, *n.* 244).

Art. 32. Primae post pontificalem sedi (*Decano*) in Toletana Ecclesia annuus viginti quatuor milium argentorum redditus adsignatur: ceteris in aliis Metropolitanis viginti milium: in Suffraganeis decem et octo milium; in Collegiatis (*Abbati*) quindecim milium.

Dignitates et Canonici de officio in singulis Metropolitanis annuo redditu fruentur decem et sex milium argentorum, in Suffraganeis quatuordecim milium, et Canonici de officio in Collegiatis octo milium.

Canonici reliqui quatuordecim milia argentorum in Ecclesiis Metropolitanis, duodecim milia in Suffraganeis, et sex milia ac sexcenta in Collegiatis obtinebunt.

Beneficiatis, seu *Cappellanis* adsistentibus annuus redditus adsignatur octo milium argentorum in Metropolitanis, sex milium in Suffraganeis et trium milium in Collegiatis.

Art. 33. Pro **Parochis** in Urbanis Paroeciis annuus redditus intra tria et decem milia argentorum constituitur: in ruralibus vero minimum redditus duo milia et biscentum attinget.

Coadjutores et *Oeconomi* intra duo et quattuor milia argentorum obtinebunt.

Praeterea tum Parochi proprii, tum Coadjutores fruentur aedibus eorum habitationi addictis, nec non hortis seu possessionibus quae venditae minime fuerint et vulgari nomine *Iglesiarios, Mansos,* vel alio appellari consueverunt.

Itemque Parochi proprii et sui Coadjutores ex juribus stolae, et oblationibus vulgo *pie de altar* partem cuique respondentem percipient.

Haec obligatio *justitiae* non est, sed solius *obedientiae* legibus Ecclesiae. Comprehendit autem bona tantum *beneficialia* superflua, i. e., fructus beneficii qui supersunt postquam beneficiarius ex ipso beneficio desumpsit necessaria ad suam honestam sustentationem, etsi alia bona propria habeat, ut avita, sive hereditaria, a majoribus accepta. Bona beneficialia non habentur quae contionibus, Missis, distributionibus choralibus, etc., clericus acquirit. Haec obligatio probabiliter est *personalis* tantummodo, neque transit ad heredes. Hanc quaestionem fusius tractatam vide in nostro *Comp. Theol. mor., vol.* 1, *nn.* 691-698.

b) **Super ordinum susceptione**. — Si ad beneficium obtinendum susceptio alicujus ordinis requiratur, beneficiarius talem ordinem ante beneficii collationem jam receperit oportet (*can.* 1474).

c) **Super oneribus officioque divino**. — Beneficiarius tenetur: *a*) peculiaria onera beneficio adnexa fideliter adimplere, et *b*) praeterea *canonicas horas* quotidie recitare (*can.* 1475, § 1).

Si, nullo legitimo detentus impedimento, obligationi recitandi horas canonicas non satisfecerit, *a*) *fructus* pro rata omissionis non facit suos, *b*) eosque fabricae ecclesiae (in qua beneficium erectum est) aut Seminario dioecesano debet *tradere* vel in pauperes erogare (*Ibid.*, § 2).

Unde sequitur: *a*) si omittatur tota diei recitatio, restituendos esse fructus omnes qui illius diei recitationi respondent; *b*) si solum matutinum et laudes omittantur, dimidium esse restituendum; *c*) item, si solum aliae horae omittantur; si tantummodo una hora ex minoribus (*prima, tertia,* etc.), sextam partem.

Diximus *fructus qui recitationi respondent;* fructus enim ex alio capite percepti non sunt restituendi, quod aliquis recitationem omiserit. Redituum Episcopi et parochi, cum hi aliis obligationibus satisfaciunt, *quarta* solum aut *quinta pars* recitationi respondet; canonicorum *tertia* aut *quarta;* beneficiarii qui praeter divinum officium alia onera levare debeat, *dimidium* aut *tertia pars,* attentis adjunctis; simplicis beneficiarii qui tantum canonicas horas recitare debeat, fructus omnes. Vide nostrum *Comp. Th. mor., vol.* 2, *n.* 63, *N. B.*

d) **Super administratione**. — Beneficiarius bona ad suum beneficium pertinentia, ut beneficii curator, administrare debet ad normam juris (*can.* 1476, § 1).

Si negligens aliove modo in culpa fuerit, damna resarcire beneficio debet, atque ad ea compensanda ab Ordinario loci compellendus est; et, si sit parochus, a paroecia amoveri poterit ad normam can. 2147 *seq.* (*can.* 1476, § 2).

Praescripto hujus canonis praecipue locus est in iis beneficiis quae praedia rustica vel urbana, census, etc., possident, et, si de parochis agitur, in juribus stolae et oblationibus quae vulgo dicuntur *pie de altar* exigendis; non ita si de illis agitur qui reditus omnes a gubernio percipiunt, ut apud nos in canonicatibus, in beneficiis Cathedralibus et Collegialibus, etc.

456. **Sumptus qui beneficiario competunt.** — *a*) Sumptus ordinario modo connexi cum bonorum beneficialium administratione et fructuum perceptione, a beneficiario ferendi sunt (*can.* 1477, § 1).

b) Impensae pro extraordinariis domus beneficialis (scil. quae beneficii fundatione ad beneficiarii habitationem destinata est, ut v. gr. abbatialis aut rectoralis domus) reparationibus, ab iis ferendae sunt quibus onus reficiendi beneficialem ecclesiam incumbit, nisi fundationis tabulae aut legitimae conventiones et consuetudines aliud caveant (*Ibid.*, § 2).

c) *Minores reparationes* quae ipsi incumbunt, beneficiarius debet quamprimum perficere, ne majorum necessitas enascatur (*Ibid.*, § 3).

457. **Ab Ordinario advigilandum.**—Ordinarius loci obligatione tenetur advigilandi etiam per vicarios foraneos (*arciprestes*) ut beneficialia bona conserventur et rite administrentur (*can.* 1478).

Locationes. — In locatione bonorum beneficialium anticipatae solutiones ultra *semestre* prohibentur sine licentia Ordinarii loci, qui in casibus extraordinariis congruis praescriptionibus cavebit ne talis locatio in damnum vergat loci pii aut successorum in beneficio (*can.* 1479), v. gr. quia jam antecessor id percepit quod successor recipere debebat, vel quia conductor non habet unde solvat, vel damnum praedio beneficiali affert, etc.

458. **Antecessor et successor**. — Annui reditus beneficii inter successorem et antecessorem ejusve heredes, in casu obitus, pro rata temporis quo beneficio uterque deservierit, distribuendi sunt, omnibus proventibus et oneribus currentis anni computatis, nisi legitima consuetudo aut peculiaria statuta rite approbata alium justae compositionis modum induxerint (*can.* 1480).

459. **Fructus beneficii vacantis.** — Deductis cujuslibet generis expensis et salvo praescripto can. 472, 1.° (de parte vicario oeconomo assignanda in paroecia, vide *vol.* 1, *n.* 768, I), fructus beneficii vacantis in duas partes sunt dividendi: *altera* accrescit sive applicanda est doti beneficii vel massae communi (v. gr. canonicatibus, qui reditus in communi percipiunt); *altera* cedit seu tradenda est fabricae ecclesiae seu sacrario. *Excipitur* legitima consuetudo qua fructus omnes (vacantis beneficii) in bonum commune dioecesis sint erogandi (*can.* 1481). Quod postremum in **Hispania** constituitur articulo 37 Conventionis ann. 1851. Vide *n.* 431.

Quod ad *mediam annatam*, quam vocant, attinet, ea, ubi viget, est retinenda, et peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines in unaquaque regione circa eam vigentes servandae (*can.* 1482). *Media annata* est dimidium fructuum qui primo anno ex beneficio non consistoriali percipiuntur; quae in aliquibus regionibus R. Pontifici solvenda est, quo facilius ad totius Ecclesiae guberna-

tionem attendat. Aliquando lex fuit universalis; sed non viget in **Hispania**, ut constat ex art. 37 Conventionis 1851, de quo in *n*. 431, quia abolita est Lege concord. ann. 1753, *art*. 8, cum soluta esset R. Pontifici summa quae ex parte annatas compensaret.

460. **Episcopus ejusque beneficium.** — *a*) Bona mensae episcopalis ab Episcopo diligenter administranda sunt (*can*. 1483, § 1).

b) Domus episcopalis sarta tectaque est conservanda et, si opus sit, restauranda et reparanda impensis ejusdem mensae, quoties hujusmodi onera ex peculiari titulo aliis non incumbant (*Ibid*., § 2). In **Hispania** solet hoc fieri nonnullis beneficii vacantis reditibus. Vide *n*. 333.

c) Curare quoque debent Episcopi ut, accurato inventario confecto, utensilia omnia vel bona mobilia domui episcopali forte addicta, atque in mensae episcopalis dominio constituta, ad successorem ex toto secureque transmittantur (*can*. 1483, § 3).

CAPUT VI

DE DIMISSIONE ET PERMUTATIONE BENEFICIORUM

461. **Renuntiatio.** — I. *a*) Ab Ordinario non est admittenda dimissio beneficii a clerico in majoribus ordinibus constituto facta, nisi constet eum necessaria ad honestam sustentationem aliunde habere, *b*) et firmo praescripto can. 584 (*can*. 1484), ad cujus normam vacant beneficia *paroecialia* post *annum* ab emissa professione religiosa; post *triennium* cetera. Vide *vol*. 1, *n*. 880, *a*).

Cum paupertas non voluntaria tanquam humanae dignitati aliena haberi soleat, vult Ecclesia ut clerici *in sacris* constituti necessaria habeant ad honestam sustentationem, quibus si carent, ordinatione communiter privantur, in iisque ordinationis tituli nituntur. Contra, voluntaria paupertas, quam ad Christum Dominum imitandum religiosi amplectuntur, honore digna est, et ob hoc permittit Ecclesia ut titulo *voluntariae paupertatis* ordinentur.

II. Dimissio beneficii, cujus titulo clericus ordinationem recepit, *irrita* est, *a*) nisi expressa mentio fiat clericum illius titulo promotum esse, *b*) eidemque, de consensu Ordinarii, alium legitimum ordinationis titulum substituisse (*can*. 1485).

III. Dimissionem beneficiorum in commodum aliorum vel sub aliqua conditione, quae ipsam beneficii provisionem aut redituum erogationem attingat, Ordinarius admittere nequit (*can*. 1486). Excipitur casus in quo beneficium sit litigiosum, et dimis-

sio fiat ab alterutro ex litigantibus in commodum alterius (*Ibid.*).

462. **Permutatio.** — 1.° Permutatio duorum beneficiorum fieri *valide* nequit, nisi *a*) propter Ecclesiae *necessitatem* vel *utilitatem aliave justa de causa*, *b*) sine aliorum detrimento, *c*) de consensu patroni, si agatur de beneficio juris patronatus, *d*) et Ordinarii loci, non autem *Vicarii Generalis* sine peculiari mandato, nec *Vicarii Capitularis* (*can.* 1487, § 1).

2.° Fieri debet aut scripto aut coram duobus testibus, etc. (*can.* 186 et 1487, § 1).

3.° *a*) Ordinarius intra mensem consensum praestare debet vel denegare; *b*) et permutatio valet a momento consensus ab Ordinario praestiti (*can.* 1487, § 2).

4.° Beneficiorum permutatio admitti nequit ab Ordinario, si utrumque aut alterutrum beneficium sit Sedi Apostolicae reservatum (*Ibid.*, § 3).

5.° Si beneficia permutanda inaequalia sint, nequeunt compensari reservatione fructuum aut praestatione pecuniae seu cujusque rei pretio aestimabilis. Permutatio fieri nequit inter plures quam duos beneficiarios (*can.* 1488).

Vide praeterea quae dicta sunt can. 186-191, et *vol.* 1, *nn.* 351-355, quae ad beneficia spectant, ut constat ex can. 1413, § 2, et *n.* 409, *adnot.* 2 dictum est.

TITULUS XXVI

De aliis institutis ecclesiasticis non collegialibus

463. **Erectionis I. Auctor.** — Hospitalia, orphanotrophia aliaque similia instituta, ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis destinata, possunt ab Ordinario loci erigi et per ejus decretum persona juridica in Ecclesia constitui (*can.* 1489, § 1). Cfr. *vol.* 1, *nn.* 200, 219 *seq.*

II. **Conditiones.** — Loci Ordinarius haec instituta non debet approbare, nisi cum hac duplici conditione: scil. *a*) ut finis fundationis utilis reapse sit; *b*) et talis constituta sit dos, quae, omnibus perpensis, sufficiat vel sufficiens fore prudenter praevideatur ad illum assequendum (*Ibid.*, § 2).

Administrator. — *a*) Horum institutorum administrare bona sui cujusque rectoris est, secundum normas tabulae fundationis; *b*) hic vero iisdem obligationibus tenetur, iisdemque juribus fruitur, quibus administratores aliorum bonorum ecclesiasticorum (*Ibid.*, § 3).

464. **Fundatio**.—*a*) In tabulis fundationis pius fundator debet accurate describere totam instituti constitutionem, finem, dotationem, administrationem et regimen, usum redituum et successionem in bona, casu exstinctionis ipsius instituti (*can.* 1490, § 1). *b*) Hujusmodi tabulae duplici exemplari conficiendae sunt, quorum alterum in archivo instituti, alterum in archivo Curiae est reponendum (*Ibid.*, § 2).

465. **Visitatio**. — Loci Ordinarius omnia hujusmodi instituta, etiam in personam moralem erecta et quovis modo exempta, visitare *potest* et *debet* (*can.* 1491, § 1).

Immo licet in personam moralem non sint erecta et domui religiosae sint concredita, *a*) si quidem agatur de domo religiosa juris dioecesani (vide *vol.* 1, *n.* 777, III, 3.°) *jurisdictioni* Ordinarii loci penitus subduntur; *b*) si de domo religiosa juris pontificii, episcopali *vigilantiae* subsunt quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem (*can.* 1491, § 2).

466. **Exemptio**. — *a*) Fundatione, praescriptione aut privilegio apostolico pium institutum a jurisdictione et visitatione Ordinarii loci exemptum esse potest (*can.* 1492, § 1).

b) Sed ab his etiam jus Ordinario est redditionem rationum exigendi, reprobata contraria consuetudine (*Ibid.*).

c) Si fundator velit administratores non teneri rationem Ordinario loci reddere, fundatio non est acceptanda (*Ibid.*, § 2).

467. **Ordinarii vigilantia**. — Ordinarius loci advigilare debet ut piae fidelium voluntates, in horum institutorum fundatione expressae, plene serventur (*can.* 1493).

Suppressio, conjunctio, etc. — *Sine venia Sedis Apostolicae* haec instituta supprimi, uniri, vel in usus a fundatione alienos converti nequeunt, nisi in tabulis fundationis aliud caveatur (*can.* 1494).

PARS VI

De bonis Ecclesiae temporalibus

TITULUS PRAEVIUS

Principia capitalia super jure bona temporalia acquirendi, possidendi, administrandi

468. **Jus acquirendi, possidendi, etc.** — I. Ecclesia catholica et Apostolica Sedes nativum jus habent libere et independenter a civili potestate acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios prosequendos (*can.* 1495, § 1).

Hoc jus innititur in ipsius Ecclesiae natura; est enim Ecclesia societas juridica perfecta, et proinde omnino ab alia quacumque societate independens. Ergo ei jus est legitimum et independens mediis utendi ad finem suum consequendum. Inter quae bona temporalia numeranda sunt, quandoquidem hominibus Ecclesia constat. Vide *vol.* 1, *nn*. 38-51, nostrumque *Comp. Th. mor.*, *vol.* 1, *n*. 699.

II. Etiam ecclesiis singularibus aliisque personis moralibus quae ab ecclesiastica auctoritate in juridicam personam erectae sint, jus est, ad normam sacrorum canonum, bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi (*Ibid.*, § 2). Hoc jus dimanat ex superiore.

469. **Jus Ecclesiae Legibus concordatis civilibusque nonnullarum nationum recognitum.** — *a*) Jus Ecclesiae acquirendi, possidendi et administrandi in **Hispania** a jure concordato recognoscitur, ut videre est in art. 40 et 41 Conventionis (1) ann. 1851, in art. 3 Legis conventae, 4 april. 1864 (2), atque art. 38 et 746 Co-

---

(1) Art. 40: «Omnia memorata bona proprietatis jure ad Ecclesiam pertinere ejusque nomine per Clerum usufruenda et administranda fore declaratur».

Art. 41: «Ecclesia insuper jus habebit novas legitimo quovis titulo acquirendi possessiones; ejusque proprietas in omnibus quae nunc possidet, vel in posterum acquiret, inviolabilis solemniter erit».

(2) Art. 3.° «Primeramente el Gobierno de S. M. reconoce de nuevo formalmente el libre y pleno derecho de la Iglesia, para adquirir, retener y usufructuar en propiedad y sin limitación ni reserva, toda especie de bienes y valores; quedando en consecuencia derogada por este convenio, cualquiera disposición que le sea contraria, y señaladamente y en cuanto se le oponga, la ley de 1.° de mayo de 1855.»

dicis civilis (1). Vide nostrum *Comp.*, l. c., ubi de commutatione bonorum ecclesiasticorum, et censuum redemptione, etc.

b) Idem jus agnoscunt Conventiones **Costaricensis,** *a.* 17; **Guatimalensis,** *a.* 18; **Nicaraguensis,** *a.* 17; **Venezolana,** *a.* 22; **Sansalvatorensis,** *a.* 18; **Columbiana,** *a.* 5; **Aequatoriana,** *a.* 19, Codicesque civiles **Argentinus,** *aa,* 33 et 41; **Chilensis,** *a.* 547; **Aequatorianus,** *a.* 536; **Nicaraguensis,** *a.* 548; **Venetiolanus,** *a.* 13; **Sansalvatorensis,** *a.* 620, et Lex **Columbiana** 57 anni 1887, *aa.* 24 et 27. Vide nostrum *Com. Th. mor., vol.* 1, append. VI, *pag.* 728 *seq.* (ed. 8.ª, prima a Codice promulgato).

Adnotatio historica. — Constat ex historia Ecclesiam bona temporalia habuisse semper, jam a suo Conditore, de quo ex SS. Litteris (Joann., 12, 6) constat eum necessaria quae essent ad suam et Apostolorum sustentationem emisse propria pecunia. Sed primis Ecclesiae saeculis cum christiani maxima molestiarum mole obruerentur turbulentissimisque persecutionum tempestatibus prementur, ejus bona maximam partem erant mobilia, etsi non carebat immobilibus; cumque Ecclesia a republica Romana ut societas illicita haberetur, jus ei proprietatis denegatum est: fideles vero sodalitia efficiebant a populo romano approbata, v. c. sodalitia *fossorum*, qui sodales mortuos sepeliendos curabant.

Medio saeculo III Ecclesia Romana 44 sacerdotes, 14 diaconos et subdiaconos, 94 clericos inferiores, 1500 pauperes suis bonis alebat, in remotissimasque regiones stipendia mittebat. Bona etiam immobilia penes ipsam fuisse traditum accepimus ex eo quod Alexander Severus (222-235), Gallienus (260) et Aurelianus (272) Imperatores aliqua templa christianis reddenda curarunt.

In edicto Milanensi ann. 313 Licinius et Constantinus templa christianis restitui jusserunt, ubi mentio fit de illis quae ad eos pertinebant quatenus Ecclesiam seu corpus efficerent «ad jus corporis ipsorum.» Cfr. *Many,* De locis sacris, *n.* 1; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 134, IV.

470. **Vectigalia.** — Ecclesiae jus quoque est, independens a civili potestate, exigendi a fidelibus *a*) quae ad cultum divinum, *b*) ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem, *c*) et ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria (*can.* 1496).

Ratio eadem est atque illa ob quam societas civilis potest a civibus exigere quae necessaria aut convenientia reipublicae sunt. Fideles enim publicum Deo cultum debent tribuere, ad quem exercendum subministranda subsidia sunt ac Dei ministri sustentandi.

Quemadmodum esset huic officio satisfaciendum, jampridem

(1) Art. 38: «Las personas jurídicas pueden adquirir y poseer bienes de todas clases... La Iglesia se regirá en este punto por lo concordado entre ambas potestades...»

Art. 746: «Las Iglesias y los Cabildos eclesiásticos... pueden adquirir por testamento con sujeción a lo dispuesto en el artículo 38.»

Ecclesia docuit, cum decimas solvendas esse praecepit (Decretal., *lib.* 3, *tit.* 13, *c.* 1 in Sext.). Hoc tributum eo modo quo ab Ecclesia praescribitur, ei debetur non solum *ex religione*, verum etiam ex rigore *justitiae*. Vide inferius, *n.* 477.

471. **Notio et divisio bonorum Ecclesiae temporalium.** — *a*) Bona temporalia, sive corporalia, tum immobilia tum mobilia, sive incorporalia, quae vel ad Ecclesiam universam et ad Apostolicam Sedem vel ad aliam in Ecclesia personam moralem pertineant, sunt bona *ecclesiastica* (*can.* 1497, § 1).

b) *Corporalia* ea sunt quae sensibus percipi possunt, ut praedia rustica et urbana, pecunia; *incorporalia*, quae nequeunt sensibus percipi, qualia sunt jura et officia circa bona corporalia, etc. *Immobilia*, quae a loco amoveri non possunt, ut domus, ut silva; *mobilia*, quae amoveri possunt, ut sella et pecunia, etc.

c) Sunt res physice mobiles, sed in jure habentur immobiles, quod rei immobili adhaereant, v. c., januae et fenestrae. Res incorporales existimantur immobiles mobilesve, prout est objectum cui inhaerent.

d) Haec bona dicuntur: 1.° *sacra*, quae consecratione vel benedictione (constitutiva) ad divinum cultum destinata sunt (ut ecclesiae, calices, albae, etc.); 2.° *pretiosa*, quibus notabilis valor sit, artis causa (ut tabula a Murillo depicta), vel historiae (scil. propter antiquitatem aut quia cum facto memorabili conjuncta sunt, v. gr., signum seu vexillum pugnae navalis ad insulas Echinades sive ad Naupactum (Lepanto), vel materiae (ut bona ex auro, aut gemmis distincta) (*Ibid.*, § 2).

N. B. In canonibus qui sequuntur, nomine *Ecclesiae* significatur non solum Ecclesia universa aut Sedes Apostolica, sed etiam quaelibet persona moralis in Ecclesia, nisi ex contextu sermonis vel ex natura rei aliud appareat (*can.* 1498).

TITULUS XXVII

De bonis ecclesiasticis acquirendis

CAPUT I

DE SUBJECTO DOMINII BONORUM ECCLESIASTICORUM

472. **Quo modo acquirenda.** — Ecclesia acquirere bona temporalia potest *omnibus justis modis* juris sive naturalis sive positi-

vi, quibus id aliis licet (*can.* 1499, § 1). Consequitur hoc canonem 1495, § 1. Vide *n.* 468.

473. I. **Cujum dominium bonorum ecclesiasticorum?** — *a*) Dominium bonorum ecclesiasticorum ad personam moralem pertinet, quae ea legitime acquisivit; *b*) suntque omnia sub suprema auctoritate Sedis Apostolicae (*can.* 1499, § 2).

II. **Hujus canonis momentum.** — Est hic canon ex praestantissimis Codicis; antiquam enim controversiam luculenter brevissimeque dirimit.

III. **Controversia soluta.** — *a*) Aliqui auctores opinati sunt dominium bonorum ecclesiasticorum ad Deum pertinere, confundentes, ut videtur, *supremum* Dei dominium in omnes creaturas cum *secundario* sive *humano* quod Deus hominibus concessit. Deinde, si Deus subjectum esset dominii illorum bonorum, etiam esset aeris alieni, sive debitorum.

Cum in fundationis tabulis haec aut illa bona Deo, S. Petro, etc., donari dicuntur, nihil aliud significatur quam ea tradi, ut ad Deum colendum adhibeantur eo modo quo definiatur, v. gr. per cultum ministrorumve sustentationem, etc.

b) Alii defenderunt subjectum dominii horum bonorum esse R. Pontificem; id vero propugnando, eo veniebant ut confunderent *supremam* illius *jurisdictionem* in omnia bona, tanquam summi administratoris (quod vocari *improprie* solet *altum dominium*), cum dominio proprie tali (quod *dominium infimum* dici solet). Perspicuum est equidem a Sede Apostolica aliqua bona ecclesiastica sensu stricto possideri, at non omnia; neque enim spondet pro debitis omnibus personarum moralium ecclesiasticarum.

c) Fuerunt etiam qui dicerent subjectum hujusce dominii esse pauperes. At falsum id est: pauperes sunt subjectum in cujus favorem vult Ecclesia ut bona ecclesiastica superflua impendantur, sed non sunt subjectum dominii. Vide *n.* 455.

d) Neque bona ecclesiastica sunt reipublicae sive, ut nunc dicitur, *nationalia*, tanquam si Natio foret illorum domina. Cum enim Ecclesia sit societas perfecta a civili Statu independens, per se ipsa debet vitam propriam propriisque bonis instructam et auctam vivere.

474. **Vera doctrina.** — *a*) Ergo nobis est asseverandum catholicam Ecclesiam posse habere, ut habet reapse, bona propria, sicut habet Status sive respublica; at communiter subjectum dominii ecclesiasticorum bonorum ea est persona moralis, quae eadem bona legitime acquisiverit, ut ecclesia haec, ista sodalitas, illud monasterium, sicut in ordine civili sunt subjectum dominii, praeter rempublicam, provincia, municipium, coetus privati, personae singulares. Cfr. *Wernz*, l. c., *vol.* 3, *n.* 137 *seq.*

b) Animadvertendum vero est subjectum esse *personam mora-*

lem, ut statuit canon; nam personae physicae subjectum dominii proprie non sunt bonorum ecclesiasticorum, sed bonorum suorum privatorum sive particularium; tantummodo administratores sunt bonorum ecclesiasticorum, ad summum usufructuarii, non excepto Papa, qui supremus est.

CAPUT II

DE DIVISIONE ET SUCCESSIONE BONORUM. DE TRIBUTIS ATQUE EXACTIONIBUS

475. **Divisio bonorum ecclesiasticorum**. — I. Diviso territorio personae moralis ecclesiasticae ita ut vel illius pars alii personae morali uniatur, vel distincta persona moralis pro parte dismembrata erigatur, etiam bona communia quae in commodum totius territorii erant destinata, cum debita proportione ex bono et aequo dividi debent. Eodem pacto dividendum aes alienum quod pro tali territorio contractum fuerat (*can.* 1500).

II. Haec bonorum partitio *facienda est ab auctoritate ecclesiastica* cui divisio territorii competat (*Ibid.*).

III. Item facienda est, salvis *a*) piorum fundatorum seu oblatorum voluntatibus (v. c., si definiant omnia bona aut nonnulla tantum manere perpetuo pro ecclesia pristina debere, etiamsi dividatur, aut contra ad novam quae tali loco aedificetur, etc., transire debere); *b*) salvis juribus legitime quaesitis seu acquisitis; *c*) ac legibus *peculiaribus* quibus persona moralis regatur (*Ibid.*).

476. **Successio bonorum**. — I. Exstincta persona morali ecclesiastica, ejus bona fiunt personae moralis ecclesiasticae immediate superioris (*can.* 1501), v. gr., si *domus* religiosa exstinguitur, ejus bona fient *provinciae;* si *provincia*, bona erunt *Instituti.*

II. Etiam hic salvae esse debent fundatorum voluntates, etc., ut in can. proxime superiore dictum est. (*n.* 475, III) (*can.* 1501).

477. — Ad decimarum et primitiarum solutionem quod attinet, peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines in unaquaque regione servanda sunt (*can.* 1502).

Civilis potestas non potest decimas usurpare neque abrogare neque ad suum arbitrium aliis vectigalibus supplere. Haec substitutio si facienda erit, Sedis Apostolicae consensus petendus est, ut rei natura postulat.

In **Hispania** injuste et invalide exstinctae decimae sunt a Gubernio 29 jul. 1837; deinde Lege concord. inter Gubernium et Sedem Apostolicam dos sive *dotatio* Ecclesiae et cultui statuta est tanquam restitutio bonorum ceterorumque jurium ecclesiasticorum; ideoque hanc materiam breviter attingemus.

Igitur dum Ecclesiae assignationem a Concordatis constitutam Gubernium solvet, fideles in **Hispania** non obligabuntur ad decimarum solutionem; huic enim oneri satisfaciunt Gubernio vectigalia persolvendo. Quod si Status promissis concordatis non staret, a fidelibus iterum decimae essent solvendae eo pacto quo ab Ecclesia constitueretur.

478. **Stipis petitio**.—I. Vetantur privati tam clerici quam laici sine Sedis Apostolicae aut proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine (*can.* 1503).

II. At salva manent praescripta can. 621-624 (*Ibid.*). Vide *vol.* 1, *nn.* 908, 909.

479. **Tributa atque exactiones**. *a*) **Cathedraticum sive synodalicum.**— Omnes ecclesiae vel beneficia jurisdictioni Episcopi subjecta, itemque laicorum confraternitates, debent quotannis in signum subjectionis solvere Episcopo *cathedraticum* (quod etiam *synodalicum*, quia in synodo solveretur, appellatum est) seu moderatam taxam determinandam ad normam can. 1507, nisi jam antiqua consuetudine fuerit determinata (*can.* 1504).

b) **Subsidium caritatis**. —Loci Ordinarius, praeter *tributum pro Seminario*, de quo in can. 1355, 1356 (vide *nn.* 328-333), aut *beneficialem pensionem* de qua in can. 1429 (vide *n.* 421), potest speciali dioecesis necessitate impellente, omnibus beneficiariis, sive saecularibus sive religiosis, extraordinariam et moderatam *exactionem* imponere (*can.* 1505), (quae dicitur *subsidium caritativum*).

c) **Census antiquus.**— Aliud tributum in bonum dioecesis vel pro patrono imponere ecclesiis, beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis, quanquam sibi subjectis, Ordinarius potest *tantummodo* in actu fundationis vel consecrationis (*can.* 1506). Haec pensio seu tributum antea *census antiquus* dicebatur.

d) **Tributum Missarum prohibetur.** — Nullum imponi tributum potest super eleemosynis Missarum sive manualium sive fundatarum (*Ibid.*).

480. **Taxae.** — I. Praefinire taxas pro variis actibus jurisdictionis voluntariae (vide *vol.* 1, *n.* 363), vel pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministrationis Sacramentorum vel Sacramentalium, in tota ecclesiastica provincia solvendas, est Concilii provincialis aut conventus omnium Episcoporum provinciae (*can.* 1507, § 1).

II. Nulla vi praefinitio ejusmodi pollet, nisi prius a Sede Apostolica approbata fuerit (*Ibid.*).

III. Salvum remanet praescriptum can. 1056 (1) et can. 1234 (*Ibid.*). Vide *n.* 161.

---

(1) Hic canon praescribit ne Ordinarii eorumve officiales occasione concessae matrimonialis dispensationis emolumentum ullum exigere possint, et si exegerint, teneri

IV. Ad taxas pro actibus judicialibus quod spectat, servandum est praescriptum can. 1909 (*Ibid.*, § 2), de quo sermo erit in libro IV.

CAPUT III

DE PRAESCRIPTIONE

481.—I. Praescriptionem, tanquam acquirendi et se liberandi modum (scil. *acquisitivam* et *liberativam*), prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvo praescripto canonum (1509-1512) qui sequuntur (*can.* 1508).

II. Omnium nationum codices praescriptionem admittunt (1). Praescriptio est medium acquirendi bona (*praescriptio acquisitiva*) seque ab aliqua obligatione liberandi (*pr. liberativa*), dummodo, praeter tractum temporis praescriptum, accedant aliae a legislatore definiendae conditiones. Harum *a*) una est *bona fides praescribentis; b*) altera res praescriptibilis, *c*) tertia res possessa, *d*) tandem titulus habitus, qui sit bonae fidei fundamentum.

III. Praescriptio justa est; propendit enim ad bonum publicum promovendum, lites evitat, hominesque reddit rerum suarum diligentes.

IV. Est *juris positivi*, neque progreditur ultra limites quos legislator praescribit et potest praescribere, qui tanquam supremus administrator dominium transferre potest bonorum quidem quae ejus auctoritati subjiciuntur, non aliorum.

Unde colligitur bona Ecclesiae praescribi solum secundum leges ecclesiasticas posse, sicut in Gallia, v. gr., illius populi bona ex gallicis legibus praescribuntur. Ecclesiae jus est ut hac de re circa bona ecclesiastica, leges quas opportunas judicaverit ferat, cum a civili potestate sit independens. Attamen leges civiles de hac materia ut canonicas admittit, salvis exceptionibus can. qui sequuntur 1509-1512.

V. Cum tota vis praescriptionis a lege positiva humana derivetur, si haec vetat ne aliquae res praescribantur, fiunt impraescriptibiles: deest enim jus ad praescribendum.

482. **Quae sint obnoxia praescriptioni, quae non.** — I. Res omnes, sive corporeae sive incorporeae, mobiles aut immobiles,

---

ad restitutionem. Excipe casus duo: 1.° possunt modicam aliquam praestationem exigere ex titulo expensarum cancellariae in dispensationibus pro non pauperibus; 2.° si haec facultas a Sancta Sede data est.

(1) Cfr., v. gr., Codd. *hisp., a.* 1930; *lus.*, 505; *arg.*, 3981; *bras.*, 161 *seq.; chil.*, 2492; *columb.*, 2512; *aequat.*, 2474; *guat.*, 629 *seq.; mex.*, 1059; *nic.*, 2492; *per.*, 526; *ur.*, 1162; *ven.*, 1928.

publicae vel privatae, praescribi possunt, nisi natura sua aut peculiari juris praescriptione excipiantur.

II Ex jure *canonico* praescriptioni obnoxia non sunt: 1.° Quae sunt *juris divini* sive naturalis sive positivi (1). 2.° Quae obtineri possunt *ex solo privilegio apostolico*. 3.° *Jura spiritualia*, quorum laici *non sunt capaces*, si agatur de praescriptione *in commodum laicorum* (v. gr. jurisdictio ecclesiastica). 4.° *Fines certi et indubii* provinciarum ecclesiasticarum, dioecesium, paroeciarum, vicariatuum apostolicorum, praefecturarum apostolicarum, abbatiarum vel praelaturarum *nullius*. 5.° Eleemosynae et onera *Missarum*. 6.° *Beneficium ecclesiasticum* sine titulo, i. e., si possessor titulo caret. 7.° *Jus visitationis* et obedientiae, ita ut subditi a nullo Praelato visitari possint et nulli Praelato jam subsint. 8.° Solutio *cathedratici* (*can*. 1509).

483. — Quaestio. *An et quatenus res sacrae praescribi possint?*

Resp. 1.° Res sacrae (v. gr. *calices* consecrati) quae in dominio privatorum sint, praescriptione acquiri a privatis personis possunt, quae tamen eas adhibere nequeunt ad usus profanos; si vero consecrationem vel benedictionem amiserint, libere acquiri possunt etiam ad usus *profanos*, non tamen *sordidos* (*can.* 1510, § 1).

Resp. 2.° Res sacrae, quae in dominio privatorum non sunt (v. gr., ecclesiae publicae), non a persona privata, sed a persona morali ecclesiastica contra aliam personam moralem ecclesiasticam praescribi possunt (*Ibid.*, § 2).

Tempus ad praescribendum. — Tempus ad praescriptionem necessarium diversum est pro rerum et codicum diversitate. Quantum sit in **Hispania** et Lusitania, in *omnibus* nationibus Americae latinae atque in Philippinis invenies in nostro *Comp. Th. mor.*, *vol.* 1, *nn.* 720-724; ubi etiam de praescriptionis suspensione, interruptione aliisque ad rem pertinentibus agitur.

Quod ad bona ecclesiastica attinet, *a*) res *immobiles*, *b*) mobiles *pretiosae*, *c*) *jura* et *actiones* sive personales sive reales, 1.° quae pertinent ad **Sedem Apostolicam**, spatio *centum annorum* praescribuntur (*can.* 1511, § 1); 2.° quae ad aliam personam moralem ecclesiasticam, spatio *triginta annorum* (*Ibid.*, § 2).

Nemo igitur in conscientia haec bona minore temporis spatio praescribere poterit, quamvis civili Codice in aliqua natione contrarium statuatur.

484. **Bonae fidei titulique necessitas.** — I. Nulla *valet* in conscientia praescriptio, nisi **bona fide** nitatur, non solum initio possessionis, sed toto possessionis tempore ad praescriptionem requisito (*can.* 1512).

---

(1) Ratio est, quia praescriptio est juris positivi humani, hoc autem nihil contra ordinem a Deo stabilitum sive contra jus divinum potest.

Bona fides de qua hic agitur *theologica* est, quae consistit in prudenti persuasione qua possessor rem suam judicat (1).

Hujus canonis praescriptum de bona fide non solum requiritur ad bona ecclesiastica praescribenda, sed etiam ad alia omnia, nulla obstante legislatione; bona enim fides requiritur a jure ipso *naturali*. Neque ullus legislator dominii translationem nisi ob commune bonum potest decernere, huic autem bono minime praescriptio ex mala fide prodesset. Qui domum retinet non suam, si id sciat, eam restituere debet; quod nisi fecerit, non solum laude non est dignus dominium praescriptione intendendo, sed puniendus est. Agere contra esset latrocinium fovere praemiisque afficere.

II. Requiritur communiter ad praescribendum **titulus.** Qui dicitur causa *natura sua* sufficiens ad dominium transferendum, v. gr., emptio-venditio, donatio, etc. Non autem *verus* titulus requiritur, secus enim praescriptione opus non esset; satis est *coloratus*, i. e., qui prae se veri speciem ferat, etiamsi vitio occulto laboret ac vi careat. Hic titulus solet esse bonae fidei fundamentum, et aliquando a lege *praesumitur*. Vide nostrum *Comp. Th. mor.*, l. c., *n.* 719.

CAPUT IV

DE CAUSIS PIIS PIARUMQUE VOLUNTATUM EXSECUTIONE

485. **Qua ratione causae piae possint acquirere.** — I. Qui ex jure *naturae* et *ecclesiastico* libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa, bona relinquere (*can.* 1513, § 1). Igitur in donationibus causae piae factis limitationes *jure civili* impositae attendendae non sunt, v. gr., conditiones ad validitatem testamenti necessariae, sed jus tantum naturale aut divinum et ecclesiasticum cui hae causae subjiciuntur respiciendum est.

Status jus habet ad testamenta, donationes, etc., nulla declaranda cum certis carent conditionibus aut solemnitatibus eorumque abrogatio a bono communi postulatur. Illi vero actus etiam in conscientia nulli ducendi sunt, saltem post judicis de nullitate sententiam. At vero haec tota civilis potestatis auctoritas circumscribitur ad res civiles aut profanas, non ad eas quae ad Ecclesiam vel ad causas pias attinent, quae sunt a potestate civili indepen-

---

(1) Altera fides est quae juridica dicitur aut civilis, quae est persuasio ea quam lex exigit. De ejus vi aut necessitate cfr. nostrum *Comp. Th. mor., vol.* 1, *n.* 726.

dentes reguntur que canonica legislatione. Cfr. *Ferreres*, Comp. Th. mor., *vol.* 1, *nn.* 646-648, 962.

II. In (testamentis ceterisque) ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae servandae sunt, si fieri possit, solemnitates juris civilis; hae si omissae fuerint, heredes *moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant* (*can.* 1513, § 2). Clare hic significatur obligatio heredibus imposita exsequendi testatoris voluntatem erga Ecclesiam (aut morales personas ecclesiasticas), etsi testamentum secundum leges civiles nullum sit.

III. Voluntates fidelium facultates suas in pias causas donantium vel relinquentium, sive per actum inter vivos, sive per actum mortis causa, diligentissime implendae sunt etiam circa modum administrationis et erogationis bonorum, salvo praescripto can. 1515, § 3 (*can.* 1514), qui proxime sequitur.

486. **Exsecutores.** — *a*) Ordinarii omnium piarum voluntatum tam *mortis causa* quam *inter vivos* exsecutores sunt (*can.* 1515, § 1).

b) Ex hoc jure Ordinarii vigilare possunt, ac debent, etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur, et alii exsecutores delegati debent, perfuncti munere, illis reddere rationem (*Ibid.*, § 2) (perfuncti muneris).

c) Clausulae huic Ordinariorum juri contrariae, ultimis voluntatibus adjectae, tanquam non appositae habendae sunt (*Ibid.*, § 3).

487. I. **Fideicommissa ad pias causas.** — *Clericus* vel *religiosus* qui bona ad pias causas sive per actum *inter vivos*, sive ex testamento fiduciarie accepit, debet *a*) de sua fiducia Ordinarium certiorem reddere, *b*) eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adjunctis indicare (*can.* 1516, § 1).

II. Quod si donator id expresse et omnino prohibuerit, *fiduciam* clericus aut religiosus acceptare non potest (*Ibid.*).

III. Ordinarius debet: *a*) exigere ut bona *fiduciaria* in tuto collocentur, *b*) et vigilare pro exsecutione piae voluntatis ad normam can. 1515 (*Ibid.*, § 2).

IV. Ordinarius de quo in §§ 1, 2 agitur, est loci Ordinarius, si de bonis agatur *fiduciariis* alicui religioso commissis, si quidem bona sint attributa loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis causis juvandis (*Ibid.*, § 3).

V. Secus, est Ordinarius ejusdem religiosi proprius (*Ibid.*), i. e., communiter Provincialis aut Generalis eorumve vicarius. Vide *vol.* 1, *nn.* 366-367, 777, 8.°.

488. **Reductio, commutatio, etc.** — Ultimarum voluntatum reductio, moderatio, commutatio, quae fieri ex justa tantum et necessaria causa debent, Sedi Apostolicae reservantur. Sed loci Ordinarius eam potest peragere: 1.°, si fundator hanc potestatem

ei *expresse* concesserit (*can.* 1517, § 1); 2.° si exsecutio onerum impositorum impossibilis evaserit ob imminutos reditus aliamve causam (v. gr., ob annonae caritatem, habitualiter ac notabiliter auctam, quae redituum diminutioni, si hi definiti sunt, aequivalere potest), *nulla* administratorum *culpa*. Tunc Ordinarius, auditis iis quorum interest, et servata, meliore quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit onera aeque imminuere (*Ibid.*, § 2).

Excipitur *Missarum reductio*, quae semper *Sedi Apostolicae* unice competit (*Ibid.*).

TITULUS XXVIII

De bonis ecclesiasticis administrandis

CAPUT I

DE R. PONTIFICE ET ORDINARIO, ADMINISTRATORIBUS

489.—I. **Romanus Pontifex** est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus *administrator* et dispensator (*can.* 1518). Quatenus talis habet *dominium altum* quod dicitur. Vi hujus auctoritatis Papa potest de bonis ecclesiasticis disponere sicut *necessitas utilitasve Ecclesiae* postulat, in eaque potestate nituntur sanationes in bonorum ecclesiasticorum usurpationes a guberniis praesertim peractas, item eorum cessiones et commutationes, damnis communiter non omnino compensatis, etc.

II. *Loci* **Ordinarii** est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum quae in suo territorio sint nec ex ejus jurisdictione subducta sint, salvis legitimis praescriptionibus, quae eidem potiora jura tribuant (*can.* 1519, § 1). Ordinarius in bonis administrandis subest R. Pontifici tanquam supremo Administratori, jurisque communis praescripta servare debet.

Igitur, habita ratione jurium, legitimarum consuetudinum et circumstantiarum, Ordinarii, opportune editis peculiaribus instructionibus intra fines juris communis, universum administrationis bonorum ecclesiasticorum negotium ordinandum curare debent (*Ibid.*, § 2).

Adnotatio historica. Administratio unica. — *a*) Antiquitus in unaquaque dioecesi acervum communem bona ecclesiastica efficiebant, quorum erat administrator Episcopus, adhibitis diaconis et maxime Archidia-

cono, qui magnam ita sibi auctoritatem comparavit et quasi Vicarius generalis Episcopi evasit (Vide *vol.* 1, *n.* 670). Igitur diaconi cum Archidiacono bona dioecesis administrabant, inferioribus imperabant, et statis temporibus Archidiaconus rationem muneris sibi commissi Ordinario reddere debebat.

Illorum bonorum reditibus Praelati omniumque ceterorum dioecesis clericorum sustentationi, divini cultus expensis, operibus caritatis et misericordiae erga pauperes, peregrinos aliosque indigentes consulebatur.

Sicut Episcopo Archidiaconus, ita Episcopus Concilio Provinciali (quod tertio quoque anno cogebatur) reddere rationem debebat, si potissimum hac in re accusatus esset. Verum tractu temporis separatio bonorum inducta est, una parte operibus caritatis (ut hospitalibus et asylis, etc., relicta, altera beneficiis, tertia et quarta cultui mensaeque episcopali; unde administratores pro diversis personis moralibus ecclesiasticis (paroeciis, beneficiis, hospitalibus, etc.), exorti sunt. Vide *vol.* 1, *n.* 733.

CAPUT II

DE DIOECESANA ADMINISTRATIONE

490. **Administrationis dioecesanum Consilium.** — I. Ad hoc munus rite obeundum quilibet Ordinarius in sua civitate episcopali Consilium debet instituere (*can.* 1520, § 1).

II. Excipitur casus in quo jure vel consuetudine peculiari jam alio aequivalenti modo legitime sit provisum (*Ibid.*).

III. Consilium *a*) constare debet *praeside*, qui erit ipse Ordinarius, et duobus saltem *vocalibus*, *b*) viris idoneis, *juris* etiam *civilis*, quantum fieri potest, *peritis*, *c*) ab ipso *Ordinario, audito* Capitulo (Cathedrali), eligendis (*Ibid.*).

A munere administratoris excluduntur, qui cum Ordinario loci primo vel secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu *conjuncti* sunt (*Ibid.*, § 2) (v. gr., pater, avus, frater, fratris filius, patruelis).

Qui ut possint esse apostolico indulto opus est (*Ibid.*).

Ordinarius et Consilium dioecesanum. — I. Loci Ordinarius in administrativis actibus majoris momenti *Consilium administrationis audire* debet; hujus tamen sodales votum habent tantum *consultivum* (non deliberativum), nisi jure communi in casibus specialiter expressis (ut in *can.* 1532, § 3), vel ex tabulis fundationis eorum *consensus* exigatur (*can.* 1520, § 3).

II. Sodales hujus Consilii *jusjurandum* de munere bene ac fideliter adimplendo coram Ordinario debent emittere (*Ibid.*, § 4).

CAPUT III

DE ADMINISTRATIONIBUS PARTICULARIBUS

491. **Administratores particulares.** — Praeter hoc dioecesanum Consilium administrationis, Ordinarius loci in administrationem bonorum quae ad aliquam ecclesiam vel locum pium pertinent et ex jure vel tabulis fundationis suum non habent administratorem, particulares administratores debet assumere (*can.* 1521, § 1). Ex jure administratores habent cathedrales, paroeciae, etc. (Vide *n.* 87 *seq.*).

I. Hi *a*) debent esse viri providi, idonei et boni testimonii; *b*) quibus *elapso triennio* alii sufficiendi sunt, nisi locorum circumstantiae aliud suadeant (*Ibid.*). Rursus tamen nominari possunt ii qui jam munere functi sunt, postquam triennium a munere cessarunt.

II. Communiter clerici esse debent.

III. Aliqua tamen pars administrationis bonorum ecclesiasticorum tribui laicis potest, sive lege fundationis, sive Ordinarii voluntate.

IV. Nihilominus *a*) universa administratio nomine Ecclesiae facienda est; *b*) salvo jure Ordinarii *visitandi*, exigendi rationes et praescribendi modum administrationis (*can.* 1521, § 2).

492. **Actus praevii administratorum.** — Antequam administratores bonorum ecclesiasticorum, de quibus in can. 1521, suum munus ineant: 1.° debent se bene et fideliter administraturos coram Ordinario loci vel vicario foraneo jurejurando cavere (*can.* 1522, 1.°); 2.° faciendum est *a*) accuratum ac distinctum inventarium, ab omnibus subscribendum, rerum immobilium, rerum mobilium pretiosarum aliarumve cum descriptione atque aestimatione earundem; vel *b*) factum antea inventarium accipi debet, adnotatis rebus quae interim amissae vel acquisitae fuerint (*Ibid.*, 2.°).

Hujus inventarii exemplaria duo conficienda sunt, *a*) quorum alterum est conservandum in tabulario administrationis, alterum in archivo Curiae; *b*) et in utroque adnotanda est quaelibet immutatio (quae venditione, acquisitione, amissione, etc.) fiat in patrimonio (administrationis) (*Ibid.*, 3.°).

493. **Alia officia administratorum.** — Administratores bonorum ecclesiasticorum *diligentia boni patrisfamilias* suum munus implere tenentur (*can.* 1523), ac proinde debent:

a) Vigilare ne bona ecclesiastica suae curae concredita quoquo modo pereant aut detrimentum capiant (*Ibid.*, 1.°).

b) Praescripta servare juris tam canonici quam civilis, aut quae a fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint (*Ibid.*, 2.°).

c) Reditus bonorum ac proventus accurate et justo tempore exigere exactosque loco tuto servare et secundum fundatoris mentem aut statutas leges vel normas impendere (*Ibid.*, 3.°).

d) Pecuniam ecclesiae, quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, *de consensu* Ordinarii, in emolumentum ipsius ecclesiae occupare (*Ibid.*, 4.°) (v. gr. praedia aut titulos ad latorem emendo, etc.).

e) Accepti et expensi libros bene ordinatos habere (*Ibid.*, 5.°).

f) Documenta et instrumenta, quibus jura ecclesiae in bona nituntur, rite ordinare et in ecclesiae archivo vel armario convenienti et apto custodire; authentica vero eorum exemplaria, *ubi* commode *fieri potest*, in archivo vel armario Curiae deponere (*Ibid.*, 6.°).

494. **Administratores et operarii.** — Omnes, et praesertim clerici, religiosi ac rerum ecclesiasticarum administratores, in operum locatione *a*) debent assignare operariis honestam justamque mercedem; curare ut iidem pietati, idoneo temporis spatio, vacent; *b*) nullo pacto eos abducere a domestica cura (familiae ipsius) parsimoniaeque studio; *c*) neque plus eisdem imponere operis quam vires ferre queant; *d*) neque id genus quod cum aetate sexuque dissideat (*can.* 1524).

495. **Merces operarii.** — Canon docet tantummodo *salarium justum* et *honestum* esse debere, neque declarat utrum hoc *individuale* sit an *familiare* absolutum.

Salarium saltem singulare sive *individuale*, scil. alendo opifici frugi quidem et bene morato haud impar, ex justitia *commutativa* deberi, doctrina est a Leone XIII tradita in encyclica *Rerum novarum.* Utrum vero debeatur salarium *familiare absolutum*, illud scil. sufficiens, non solum ad opificem, verum etiam, in communibus rerum adjunctis, adhibitisque prudentibus subsidiis, ad ejus familiam uxore, tribusque quattuorve filiis constantem, respondent affirmando communiter auctores, si agitur de justitia *legali*, non autem conveniunt, si de *commutativa.* Vide hanc quaestionem in nostro *Comp. Th. mor.*, *vol.* 1, *n.* 1073.

496. **Reddendae rationes.** — *a*) Administratores tam ecclesiastici quam laici cujusvis ecclesiae etiam cathedralis aut loci pii canonice erecti aut confraternitatis *singulis annis* officio tenentur reddendi rationem administrationis Ordinario loci (*can.* 1525, § 1).

b) Manet *reprobata* contraria consuetudo (*Ibid.*), quae nunquam igitur valida erit.

c) Si ex peculiari jure aliis ad id designatis ratio reddenda sit, tunc etiam Ordinarius loci vel ejus delegatus cum his est ad-

mittendus, ea lege ut aliter facta illa ratio sit nulla, neque ipsis administratoribus suffragetur (*Ibid.*, § 2).

497. **Lites de bonis ecclesiasticis.** — I. Administratores *litem* aut *actionem judicialem* nomine ecclesiae inchoare vel contestari non possunt, nisi licentiam obtinuerint, *scripto* datam, *Ordinarii* loci (*can.* 1526).

II. Si res urgebit, satis erit eam obtinere a *vicario foraneo* aut archipresbytero, qui statim Ordinarium de concessa licentia certiorem facere debet (*Ibid.*).

498. **Administrationis actus permissi et prohibiti.** — I. Alios administrationis actus quam *ordinarios* non possunt ponere (*can.* 1527, § 1). *Invalidi sunt* actus qui ordinariae administrationis fines et modum excedant, nisi prius ab Ordinario loci facultate impetrata, *scriptis* danda (*Ibid.*).

II. Ecclesia non tenetur respondere de contractibus ab administratoribus sine licentia competentis Superioris initis, nisi quando et quatenus in rem suam versum sit (*can.* 1527, § 2). Hoc intellige de iis contractibus qui actus ordinariae administrationis excedunt. Quod si administrator communem messem vendiderit, communesve reparationes fieri jusserit, etc., ecclesia de his contractibus respondet, cui tamen, si injuste laesa est, actio *personalis* in administratorem ejusve heredes competit.

499. **Administrationis dimissio.** — Etsi ad administrationem non teneantur titulo beneficii vel officii ecclesiastici, administratores qui munus expresse vel tacite susceptum arbitratu suo dimittunt ita ut damnum exinde ecclesiae obveniat, ad restitutionem tenentur (*can.* 1528).

TITULUS XXIX

De contractibus

500. **Principium generale.** — Quae jus civile *in respectivo territorio* statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem jure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus servanda sunt (*can.* 1529).

Excipiuntur: 1.° Quae juri *divino* contraria sunt (v. gr., si jus civile admittit validitatem venditionis rei furtivae, cum utrique parti constat de furto); 2.° quae sunt contraria juri *canonico* (v. c., si jus donationes aut legata ad pias causas prohibet) (*Ibid.*).

Cfr. *n.* 481, ubi de jure Ecclesiae legum ferendarum super contractibus bonorum ecclesiasticorum independenter a quacumque

alia humana potestate. Ecclesia nihilominus civiles leges diversarum regionum admittit cum aliquibus limitationibus in Codice expressis; similiter **Hispania** aliaeque nationes canonicam legislationem in pluribus suam faciunt.

CAPUT I

DE ALIENANDIS REBUS ECCLESIASTICIS

501. **Quae conditiones requirantur.** — I. Ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles quae *servando servari* possunt (1), requiritur: 1.° aestimatio rei a probis peritis scripto facta; 2.° *justa causa*, id est urgens *necessitas*, vel evidens *utilitas* Ecclesiae, vel *pietas;* 3.° *licentia* legitimi Superioris, sine qua alienatio invalida est (*can.* 1530, § 1); 4.° ne aliae omittantur opportunae cautelae, ab ipsomet Superiore pro diversis adjunctis praescribendae, ut Ecclesiae damnum vitetur (*Ibid.*, § 2).

II. Res alienari minore pretio non debet quam quod in aestimatione a peritis judicatur. Alienatio, si potest, per publicam licitationem facienda est aut saltem nota reddenda, nisi aliud circumstantiae suadeant, et res ei concedenda est qui, omnibus perpensis, plus obtulerit (*can.* 1531, § 1, 2).

III. Pecunia ex alienatione percepta caute, tuto et utiliter in commodum Ecclesiae collocanda est (*Ibid.*, § 3).

502. **Quis veniam dare possit ad validam alienationem.** — I. **Sedes Apostolica**, si agitur *a*) de rebus quae valorem excedunt triginta milium libellarum seu francorum (*pesetas* apud nos), aut de rebus pretiosis (2) (*can.* 1532, § 1); aut *b*) de locatione, cujus valor (seu annua solutio) excedat triginta milia libellarum, et quae sit ultra novennium (*can.* 1541, § 2, 1.°).

II. **Ordinarius loci** in aliis casibus, in quibus tamen requiritur consensus eorum quorum interest. At requiritur etiam *consensus* tum *Capituli* cathedralis tum *Consilii* administrationis, *a*) si agitur de rebus quorum pretium aut reditus annuus continetur intra mille libellas et triginta milia libellarum seu francorum, et locatio sit ultra novennium; *b*) si locatio excedit triginta milia libellarum, sed non est ultra novennium.—Sed satis est *audire* Consilium administrationis: *a*) si agitur de rebus, quarum pretium vel annua locatio ultra novennium valorem non excedunt

---

(1) Ergo hoc praescriptum non ad ordinarias messes aliaque refertur quae pereunt nisi consumuntur, neque ad alias venditiones quae ad ordinariam administrationem spectant.

(1) Dicuntur res pretiosae quae ratione artis, historiae, aut materiae ex qua constant magni aestimantur.

mille libellarum; *b*) si reditus annuus locationis quae non sit ultra novennium excedit mille libellas, non autem triginta milia attingit (*can.* 1532, § 2, 3; *can.* 1541 § 2).

III. Si res minimi momenti est, potest eam Episcopus alienare, etiam non audito administrationis Consilio (*can.* 1532, § 2).

IV. Locatio quae non excedat mille libellas annuas et non sit ultra novennium, fieri potest a legitimis administratoribus, monito Ordinario (*can.* 1541, § 2, 3.°).

N. B. 1.° Solemnitates de quibus diximus requiruntur quoque in quolibet contractu quo conditio Ecclesiae pejor fieri possit (*can.* 1533), v. gr., cum bona ecclesiastica oppignoranda sunt seu hypothecae subjicienda.

2.° Si agatur de alienanda re divisibili, in petenda licentia aut consensu pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae; secus licentia irrita est (*can.* 1532, § 4).

3.° Bona ecclesiae immobilia propriis administratoribus eorumque *conjunctis in primo* aut *secundo consanguinitatis* vel *affinitatis gradu* non sunt vendenda aut locanda *sine speciali* Ordinarii loci *licentia* (*can.* 1540).

503. **Alienatio sine debitis solemnitatibus aut nulla.** — In utroque casu Ecclesiae competit actio: *personalis* in primo, contra alienantem et contra ejus heredes; *realis* in altero, contra quemlibet possessorem. a quo bona reclamare poterit, salvo jure emptoris contra male alienantem (*can.* 1534, § 1).

Quid requiritur ut possint administratores **titulos ad latorem** *commutare?*

Resp. Ut administratores possint *titulos ad latorem*, quos vocant, commutare in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie (vide *vol.* 1, *n.* 305 cum *N. B.*), *requiritur* et *sufficit* **consensus** Ordinarii, Consilii administrationis aliorumque quorum intersit (*can.* 1539, § 2).

In quas poenas incurrit qui *sine licentia alienare* praesumpserit?

Resp. 1.° Si agitur de re cujus pretium excedat 30.000 libellarum, omnes quovis modo rei sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, incidunt in *excommunicationem latae sententiae* nulli reservatam (*can.* 2347, 3.°).

2.° Si valor sit supra 1.000 libellarum et infra 30.000, *a*) privari debet *patronus* jure patronatus; *administrator* munere administratoris; *Superior* vel oeconomus religiosus proprio officio et habilitate ad cetera officia, praeter alias congruas poenas a Superioribus infligendas; *b*) *Ordinarius* aliique clerici, officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinentes, solvere debent du-

plum (1) favore ecclesiae vel piae causae laesae; c) *ceteri* autem clerici suspendi debent ad tempus ab Ordinario definiendum (*Ibid.*, 2.°).

3.° Si minor fuerit valor, congruis poenis a legitimo Superiore erit puniendus (*Ibid.*, 1.°).

504. *N. B.* 1.° Ut censura incurratur, alienatio debet esse perfecta. At jure *romano*, **hisp.-ph.**, *aa.* 1182, 1445, 1473; **aeq.**, 1811; **chil.**, 1820; **nic.**, 1820; **ur.**, 1656, 1309 *seq.*, non censetur perfecta nisi post rei traditionem. Jure autem **lusit.**, 1549; **cost.**, 1049 *seq.*; **guat.**, 1479; **per.**, 1038; **ven.**, 1418, venditio solo contrahentium consensu perficitur.

2.° Alienationes factae ab una ecclesia ad aliam, saltem probabilius, hac censura comprehenduntur. S. C. C., 24 jan. 1632 et 27 febr. 1666. Cfr. *Wernz*, l. c., *n.* 156; *Pezzani*, Codex S. Cath. Rom. Eccles., in *can.* 798, *pag.* 183.

3.° In **Amer. lat.** et Ins. **Philipp.**: «Episcopi, praevio Capituli vel Consultorum dioecesanorum consensu, facultatem habeant: 1.° Locandi bona ecclesiastica, usque ad novem vel *duodecim* annos, dummodo juxta leges civiles periculum non adsit quod locatio transeat in emphyteusim; 2.° libere alienandi bona ecclesiastica, ubi summa pecuniae non excedat valorem *viginti millium libellarum monetae* propriae nationis, si *necessitas* vel evidens *utilitas* id postulent, et pretium inde obveniens investiatur loco honesto, tuto et fructifero, favore ecclesiae seu causae ad quam bona pertinebant.» Pius X, 1 jan. 1910, *ad decennium* (*Acta A. Sedis, vol.* 2, *pag.* 219; C. **Manilan.**, *pag.* LXXIV).

CAPUT II

DE PECULIARIBUS PRAESCRIPTIS AD NONNULLOS CONTRACTUS

505. **Bonorum ecclesiasticorum donationes.** — I. Praelati et rectores de bonis mobilibus suarum ecclesiarum donationes facere non possunt (*can.* 1535).

II. Excipiuntur: 1.° donationes parvae et modicae secundum legitimam loci consuetudinem; 2.° quaelibet, *justa* interveniente causa *remunerationis* aut *pietatis* aut *christianae caritatis* (*Ibid.*) (Non igitur excluduntur magnae donationes, si causa postulat).

III. Donatio quae his conditionibus careat a successoribus revocari potest (*Ibid.*).

Ratio harum limitationum, sive in ipsis donationibus sive in earum causis, est, quia Praelati et rectores non sunt domini bonorum Ecclesiae, sed *meri administratores;* unde id solum agere pos-

---

(1) Duplum intelligendum videtur damni illati, ita ut non modo damnum reparetur, sed praeterea solvatur tantundem. Ita intelligi solet in similibus casibus quando quis dicitur damnari duplo, v. gr. ex jure romano quando debitum negatur. *Inst.*, IV, 16, § 1.

sunt quod bonus administrator aut paterfamilias. Praeterea, cum personae morales, quarum sunt bona, minoribus aequiparentur (vide *vol.* 1, *n.* 221), successori permittitur ut donationes revocet quae juris praescriptis contrariae sint.

506. **Donationes ecclesiis factae.** — *a*) Donatio facta ecclesiae, ab ejus rectore seu Superiore *repudiari nequit sine licentia Ordinarii* (*can.* 1536, § 2).

b) Repudiata illegitime (v. gr., sine licentia Ordinarii) donatione, ob damna quae inde obvenerint actio datur contra ipsum *restitutionis in integrum* vel indemnitatis (*Ibid.*, § 3), ut fit cum minoribus.

c) Nisi contrarium probetur, praesumendum ea quae donantur rectoribus ecclesiarum, etiam religiosorum, esse ecclesiae donata (*Ibid.*, § 1).

d) Donatio ecclesiae facta et ab eadem legitime acceptata (v. gr. a rectore), propter ingratum Praelati vel rectoris animum revocari nequit (*Ibid.*, § 4). — Donatio enim non fit Praelato aut rectori, sed Deo et ejus nomine Ecclesiae. Deus autem ingratum se praebere non potest.

507. **Res sacrae. I. Commodatum.** — Res *sacrae* commodari non possunt ad usum qui earundem naturae repugnet (*can.* 1537), ut si calices consecrati, albae aut casullae benedictae, etc., ad actionem dramaticam commodarentur; quod esset sacrilegium.

II. **Venditio aut permutatio.** — In *venditione aut permutatione rerum sacrarum* nulla ratio consecrationis vel benedictionis in pretii aestimatione habenda est (*can.* 1539, § 1); secus simonia juris divini admitteretur. Vide *n.* 11. Ex canone licitum videtur nunc rosaria benedicta, numismata, calices consecratos, etc., vendere, quod antea juris *ecclesiastici* simoniam constituebat, proptereaque hae res ante benedictionem consecrationemve erant vendendae. Nihilominus *indulgentiae* reales *cessant*, si res, cui adnexae sunt, *vendatur* (*can.* 924, § 2).

508. **Contractus pignoris et hypothecae.** — Si ecclesiae bona, legitima interveniente causa, *oppignoranda* (1) vel *hypothecae* obliganda sint, vel agatur de aere alieno contrahendo, legitimus Superior (i. e. Ordinarius loci aut religiosus, juxta diversos casus), qui ad normam can. 1532 licentiam dare debet (vide *n.* 502), tenetur *a*) exigere ut antea omnes, quorum interest, *audiantur*, et *b*) curare ut, cum primum fieri poterit, *aes alienum solvatur* (*can.* 1538, § 1).

Ad hunc finem annuae ratae (seu partes aliquotae) ab eodem Ordinario praefinientur quae exstinguendo debito sint destinatae (*Ibid.*, § 2).

---

(1) Contractus *pignoris* is est quo debitor rem *mobilem* creditori tradit, ut creditum ratum fiat securumque reddatur; *hypothecae* autem est quo res *immobilis* debitoris obligata creditori manet, ut ex illa creditor sibi possit solvere, si debitor non solverit. Uterque contractus obnoxius est iis quae de alienatione dicta sunt.

De contractibus pignoris et hypothecae vide nostrum *Comp. Th. mor., vol.* 1, *nn.* 1087, 1088.

509. **Locatio bonorum ecclesiasticorum**. — In locandis bonis ecclesiasticis, praeter ea quae dicta sunt in can. 1531, § 2 (vide *n.* 501) addendae sunt conditiones de limitibus custodiendis sive non immutandis, de bona cultione, de rite solvendo canone seu pensione, de opportuna cautela pro conditionibus implendis (*can.* 1541, § 1).

510. **Emphyteusis**.—I. In *emphyteusi* bonorum ecclesiasticorum emphyteuta nequit canonem seu pensionem redimere sine licentia legitimi Superioris ecclesiastici de quo in can. 1532 (*can.* 1542, § 1).

II. Quod si canonem redemerit, eam saltem pecuniae vim ecclesiae dare debet, quae canoni sive pensioni respondeat (*Ibid.*), i. e. summam quae reditibus collocata, vel publicis emptis valoribus, etc., reditum ferat saltem canoni sive pensioni redemptae aequalem.

Emphyteusis, quae etiam *census emphyteuticus* dicitur, habetur cum aliquis alii qui *emphyteuta* appellatur cedit dominium utile alicujus praedii, sibi reservato dominio directo et jure annuae pensionis percipiendae, tanquam hujus dominii testimonio. *Censualistae* sive domino directo alia etiam privilegia solent reservari, quae aliqui codices non agnoscunt, nisi aperte in contractu emphyteutico exprimantur; qualia sunt laudemium et jus praelationis eodem pretio soluto, jus retractus, devolutionis, etc. Jura praelationis et retractus domino atque emphyteutae vicissim respondent. Cfr. *Ferreres*, Comp. Th. mor., *vol.* 1, *n.* 1080.

III. Ab emphyteuta congrua cautio exigenda est pro solutione canonis et conditionibus implendis (*can.* 1542, § 2).

IV. In ipso instrumento sive scriptura pacti emphyteutici *a*) forum seu tribunal ecclesiasticum statuendum est arbiter ad dirimendas controversias inter partes forte exorituras, et *b*) *expresse* declarandum meliorationes solo cessuras esse (*Ibid.*).

511. **Contractus mutui**. — I. Si res fungibilis ita alicui detur ut ejus fiat et postea tantundem in eodem genere restituatur, nihil lucri, ratione ipsius contractus, percipi potest (*can.* 1543).

II. Sed in praestatione rei fungibilis non est per se illicitum de lucro legali pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum, aut etiam de lucro majore, si justus ac proportionatus titulus suffragetur (*Ibid.*).

Prima pars canonis notionem contractus mutui continet, qui consistit in danda re fungibili (i. e., primo usu consumptibile) alii qui fit ejus proprietarius, sed ita ut suo tempore tantundem in eadem specie et qualitate debeat restituere.

512. **Doctrina in Ecclesia tradita**. — I. Utraque parte canon 1543 doctrinam ab Ecclesia jam antea traditam paucis comprehendit, nimirum: 1.ª In contractu mutui nihil lucri ratione ipsius praestationis licet exigere. Ratio, quia res fungibilis natura sua non est fructuosa sive lucrificabilis.

2.ª At si adest titulus legitimus *extrinsecus*, potest lucrum percipi quod huic titulo respondeat. Tituli autem jam ab antiquis auctoribus admissi sunt *lucrum cessans* (v. gr., si qui praestationem facit, debuit ejus causa vendere titulos debiti qui sibi quinas centesimas partes sive 5 % reddebant); *damnum emergens* (v. gr., si quis mutuans pecuniam, ad creditum emere cogitur, quo fiat ut majus pretium sit ei solvendum quam si emeret numerata pecunia); et *periculum sortis*, sive cum periculum est ne summa tradita recuperetur, quia cui praestatur non habet unde solvat aut ne habeat timetur; hoc autem periculum dignum sane est quod aliqua summa compensetur, v. c., quae solvenda esset societati, sortem suo periculo securam redditurae.

II. Nunquam Ecclesia hanc doctrinam improbavit, sed potius tacite saltem in operibus theologorum philosophorumque catholicorum probaverat; attamen nunc primum eam in publico documento proponit ea perspicuitate ac securitate, quam videre est in can. 1543.

513. **Hujus materiae in populis facta immutatio.**— Antiquitus auctores valde primae canonis parti insistebant, docentes scil. nullum ab ipsa praestatione lucrum exigi posse, nisi liquido de titulo extrinseco constaret. Sed apud nos tituli extrinseci tam sunt communes, ut res anomala esset, si pro aliquo non exsisterent. Ratio quaerenda est in mutatione quam hodierna societas subiit, in qua ea sunt adjuncta, ut facile cuique sit lucrum honestum ex pecunia etiam modica percipere, v. gr., emendis actionibus societatis quae commercio industriaeve operam det vel titulis debiti publici, etc., aut praediis sive fundis qui passim veneunt, quod superioribus temporibus non facile fieri videres; vel alio modo pecuniam lucrandi gratia collocando. Hodie igitur omnes *interesse* possunt percipere; omnibus enim praesto est titulus lucri cessantis, i. e., illius quod licite lucrari posses, si pro pecuniae praestatione, pecunia res frugiferas emeres.

514. **Quantum esse possit interesse.**—A Codice non definitur, neque modo certo et stabili potest pro omnibus temporibus locisque definiri. Interesse sive reditus ex sorte comparari potest cum rerum pretio, quod ex rerum adjunctis vel augetur vel imminuitur. Et generatim titulus legis civilis habendus est ratio justa et honesta lucri percipiendi, si de ejus injustitia aperte non constat; est enim objectum prudentis deliberationis. Potest igitur in singulis regionibus ut norma recta haberi titulus legis civilis, quae aliquando lucrum omni personarum generi eo modo circumscribit, quo nonnunquam mercium aestimatio definitur; aliquando vero certos casus solum determinat, abusus tamen manifestos castigando.

In **Hispania** (et **Lusit.**, *a.* 1640), quando interesse legale, ut dicitur, solvendum est, tunc solvi debent 5 pro singulis centenis ex lege 2 aug. 1899; 6 % ex jure **aeq** , *a.* 2194; **bras.**, *aa.* 1062, 1063; **chil.**, *a.* 2207; **col.**, 2232; **mex.**, 2296, **nic.**, 2207; **per.**, 1821; 9 % **Salv.**, 2164; **ur.**, 2181; 3 % **ven.**, 1720. Lex *gallica* 7 april. 1900 4 % statuit in re civili, 5 % in commercio; Codex *italus, a.* 1831, 5 % in materia civili, 6 % in commercio.

Usurae cohibitio.— Ad certos abusus contractusque leoninos cohibendos quibus ab usurariis miseri qui in eos incidunt, opprimuntur, lata lex est in **Hispania** 13 jul. 1908, quae videri potest apud *Alcubilla* in Append. ann. 1908, *pag.* 304. In Append. ann. 1912 (*pag.* 305, 828), ann. 1913 (*pag.* 241 *seq.*), videri possunt sententiae Tribunalis Supremi quae legis sensum amplitudinemque explicant. Vide *Ferreres,* Comp. Th. mor., *vol.* 1, *nn.* 1002-1028.

TITULUS XXX

De piis fundationibus

515. **Notio**.—Nomine *piarum fundationum* significantur bona temporalia alicui personae morali in Ecclesia quoquo modo data, cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus ex reditibus annuis *a*) aliquas Missas celebrandi, *b*) vel alias praefinitas functiones ecclesiasticas explendi, *c*) aut nonnulla pietatis et caritatis opera peragendi (*can.* 1544, § 1).

Natura. — Fundatio, legitime acceptata, naturam induit contractus synallagmatici aut billateralis: *do ut facias* (*Ibid.*, § 2). Itaque utramque partem obligat ex justitia commutativa, et est contractus ex *innominatis*, caret enim proprio nomine (1).

516. **Piarum fundationum conditiones**. — I. Loci Ordinarii est normas praescribere, 1.° de dotis quantitate infra quam pia fundatio admitti nequeat, et 2.° de ejus fructibus rite distribuendis (*can.* 1545).

II. Ut hujusmodi fundationes a persona morali acceptari possint, requiritur consensus Ordinarii loci, in scriptis datus (*can.* 1546, § 1).

III. *a*) Qui Ordinarius eum praebere non potest, antequam legitime compererit personam moralem tum novo oneri suscipiendo, tum antiquis jam susceptis satisfacere posse; *b*) maximeque debet cavere ut reditus omnino respondeant oneribus adjunctis secundum cujusque dioecesis morem (*Ibid.*).

IV. In acceptatione, constitutione et administratione fundationis patronus ecclesiae nullum jus habet (*Ibid.*, § 2).

Dotis custodia et collocatio. — *a*) *Pecunia* et *bona mobilia*, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto, ab Ordinario designando, sunt deponenda; *b*) tum eadem pecunia tum bonorum mobilium pretium in deposito custodienda sunt donec invertantur aut collocentur; *c*) quamprimum caute et utiliter (v. gr. in titulis debiti, in actionibs vel obligationibus alicujus societatis, etc.), secundum ejusdem Ordinarii arbitrium, *auditis* et iis quorum interest et dioecesano administrationis Consilio, collocari debent in commodum ejusdem fundationis cum expressa et individua mentione oneris (*can.* 1547).

517. **Fundationis tabulae**. — I. Fundationes, etiam viva voce

---

(1) Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 889.

factae, sunt scripto consignandae (*can.* 1548, § 1). Unde consequitur validam esse fundationem ore tenus factam.

II. Alterum tabularum (sive fundationis sive earum in quibus fundatio consignata fuit) exemplar in Curiae (dioecesanae) archivo, alterum in archivo personae moralis, ad quam fundatio spectat, tuto est asservandum (*Ibid.*, § 2).

518. **Onerum exsecutio.** — I. In piis fundationibus sunt servanda praescripta can. 1514-1517 et can. 1525 (*can.* 1549, § 1). Vide *nn.* 485, III-488; 496.

II. Praeterea in qualibet ecclesia onerum ex piis fundationibus incumbentium tabella (sive catalogus) confici debet quae apud rectorem in loco tuto conservanda est (*can.* 1549, § 1).

III. Pariter praeter librum de quo in can. 843, § 1, ubi accurate notanda sunt Missarum receptarum sive *manualium* numerus, intentio, eleemosyna, celebratio; alter liber retinendus est et apud rectorem servandus, in quo singula onera perpetua et temporaria eorumque implementum et eleemosynae adnotentur, ut de iis omnibus exacta ratio Ordinario loci reddatur (*can.* 1549, § 2).

519. **Fundationes in templis religionum exemptarum.** — Si agatur de piis fundationibus in ecclesiis, etiam paroecialibus, religiosorum exemptorum, jura et officia Ordinarii loci, de quibus in can. 1545-1549 (*nn.* 516-518), *exclusive* competunt Superiori majori (*can.* 1550).

520. **Reductio onerum.**—I. *a*) Reductio onerum quae pias fundationes gravant, uni Sedi Apostolicae reservatur. *b*) Excipitur: 1.°, si in tabulis fundationis aliud *expresse* cavetur (*can.* 1551, § 1) (v. gr., si reducendi facultas Ordinario conceditur), tunc enim juxta ipsas est procedendum; 2.°, si accedunt adjuncta de quibus in can. 1517, § 2, cum exsecutio onerum non est possibilis; tunc enim Ordinarius poterit onera modo ibi praescripto imminuere (*Ibid.*). Vide *n.* 488.

II. Indultum *reducendi Missas* **fundatas** non protenditur nec ad alias Missas ex contractu debitas nec ad alia onera piae fundationis (*can.* 1551, § 2). Ratio, quia hoc indultum est stricte interpretandum.

III. Indultum vero *generale* reducendi **onera** *piarum fundationum* ita intelligendum est, nisi aliud constet, ut indultarius potius alia onera, quam Missas reducat (*Ibid.*, § 3).

Ratio est praesumpta voluntas fundatoris, qui sine dubio voluit in primis ut id servaretur quod magis ejus animae suffragaretur. Cfr. *Bened. XIV*, De Synodo, *lib.* 13, *c. ult.*, *n.* 23. Si praescribuntur Missae solemnes et lectae, potius illae sunt reducendae, ita ut numerus Missarum celebretur quam possit maximus. Cfr. S. Conc. C., 4 aug. 1725; *Many*, De Missis, *n.* 80.

LIBER IV

De processibus

---

521. **Methodi ratio.** — Codex postquam normas generales in libro I tradidit, deque ecclesiasticis personis in II, in III de rebus disseruit, quae omnia ad legiferam Ecclesiae potestatem spectant, in hoc IV gradum facit ad agendum de processibus seu de judiciali potestate, iis libro V relictis quae attinent ad potestatem coërcitivam.

Liber quartus in tres partes a Codice distribuitur, quarum prima est de judiciis, secunda de processibus in causis beatificationis et canonizationis, tertia de aliquibus rebus expediendis et de sanctionibus poenalibus applicandis.

In libro superiore, eo quod materia majoris sit momenti et multo pluribus intersit, latius aliquanto, quam solet in Institutionibus, excurrimus. In hoc igitur breviores erimus, maxime in secunda tertiaque parte; res tamen capitales solide suaque amplitudine tractabuntur.

PARS I

De judiciis

TITULUS PRAEVIUS

De principiis capitalibus judiciique schemate

CAPUT I

DE PRINCIPIIS CAPITALIBUS

522. I. **Potestas judicialis.** — Potestas judicialis potestatem legiferam necessario consequitur, nam haec sine illa esset inefficax.

Actio legislatoris exercetur in praescribendis artibus sive mediis quae subditos ducunt ad finem societati communem adipiscendum, itemque in definiendis, dirigendis protegendisque juribus membrorum ejusdem societatis. Porro sine judiciali potestate qua legis sanctio transgressoribus auctoritative applicetur dirimanturque controversiae quae ex jurium collisione aut usurpatione oriuntur, neque haec jura definiri possent efficaciterque protegi, neque efficaciter observantia legis obtineri. Illa enim jura ad arbitrium litigantium remanerent, qui sibi justitiam per se ipsi applicarent, jusque vi vinceretur lex autem facile eluderetur, aut ejus observantia sine discretione et per tyrannidem esset imponenda.

Quamobrem potestas judicialis tam contentiosa quam criminalis semper essentialis in omni perfecta societate habita est (1).

II. **Ecclesiae competit.** — Cum igitur Ecclesia societas sit perfecta et independens gaudeatque suprema atque independenti potestate legislativa, debet etiam gaudere potestate judiciali omnino independenti. Aliunde revelatione ipsa, qua Ecclesiam scimus accepisse a divino suo Auctore et Conditore independentem plenamque potestatem legislativam, docemur de judiciali potestate ei directe concessa (Matth., XVIII, 14-18; Paul., I Cor., V,

(1) *Cap.* un. *de judic.*, II, 1, in Extrav. comm.; *cap.* un. *de statu regulae.*, §§, 4, III, 16, in Sext.; L. 2, §§ 13. D. *de origine juris*, I, 2.

3, 12, 13; I Tim., V, 19), quam exercitam videmus jam inde ab Ecclesiae primordiis usque ad nostram aetatem indesinenter.

523. **Notio judicii generatim.** — *a*) Nomine *judicii* intelligitur controversiae sive causae legitima disceptatio et per sententiam definitio, i. e. series actuum qui legis praescriptione ponendi sunt ut de facto aut de jure controverso judex cognoscat, suaque auctoritate aut jurisdictione sententiam de illo ferat, legis dispositionem applicando, aut controversiam dirimat, jus controversum alteri parti litiganti adjudicando.

Ecclesiastici. — *b*) Judicium *ecclesiasticum* est controversiae in re de qua Ecclesia jus habet cognoscendi, coram tribunali ecclesiastico, legitima disceptatio et definitio (*can.* 1552, § 1).

524.—**Objectum judicii** sunt *a*) personarum physicarum vel moralium *jura* persequenda aut vindicanda, vel earundem personarum *facta juridica* declaranda (*Ibid.*, § 2, 1.°).

b) *Delicta* in ordine ad poenam infligendam vel declarandam (*Ibid.*, § 2, 2.°).

525. **Quemadmodum exerceatur.** — Haec potestas per verum judicium exercetur, quod potest esse *contentiosum* aut *criminale* (1), prout ejus objectum est vel controversiae declaratio vel delicti punitio (*Ibid.*, § 2).

In Codice theoria generalis judiciorum sive processus judicialis proponitur in judicio *contentioso* secundum antiquam methodum Decretalium; processus vero criminalis, cum in plerisque conveniat cum contentioso, explicatur breviter, iis solum indicatis quae illius propria sunt. Idem hic ordo legalis jure ac merito in libro de Institutionibus servandus.

526. **Judicialis potestatis ecclesiasticae natura et amplitudo.** — I. Potestas judicialis Ecclesiae si jure divino est independens ab omni potestate civili, eodem jure definitam habet suam amplitudinem certosque limites, quorum authentica declaratio ad obligandum spectat ad ipsam Ecclesiam, quae in suae potestatis extensione declaranda infallibilis est.

II. *Potestati Ecclesiae* subsunt **jure proprio et exclusivo**: 1.° omnes *causae spirituales* (*can.* 1553, § 1, 1.°), quales sunt controversiae de fide et moribus, de Sacramentis et Sacramentalibus, de sacrificio Missae, cultu sacro sacrisque ritibus, de publicis orationibus et festis ecclesiasticis cum ceteris omnibus ad sacram liturgiam pertinentibus; item quaestiones omnes quae ad munera ecclesiastica referuntur, ad officia et jura clericorum, beneficiatorum et regularium, ad ambitum jurisdictionis ecclesiasticae et ad privilegia exemptionis etiam ecclesiasticae.

---

(1) Hactenus haec judicia dicta sunt *civilia* et *criminalia;* at persapienter in Codice successit denominatio magis propria, magis canonica minusque ambigua judiciorum *contentiosorum* et *criminalium*.

Spiritualibus causis sive mere ecclesiasticis etiam accenseri debent illae, quae, licet forte intrinseca sua natura spirituales dici non possint, tamen spiritualibus ita adnectuntur (*Ibid.*), ut ratione hujus *connexionis* spirituales mereque ecclesiasticae existimari debeant et ab Ecclesia proprio et exclusivo jure, ante omnem positivam reservationem, sint cognoscendae et definiendae. Huc spectant omnes causae de jure patronatus, de bonis et reditibus ecclesiasticis, de decimis, de sepultura ecclesiastica. Quare in omnibus istis causis potestas civilis quemadmodum nullam habet jurisdictionem, nisi Ecclesiae concessio intercesserit, *ita* est incompetens ad controversias definiendas quae forte de iis rebus exoriantur.

2.°. Omnes causae *criminales* in quibus agitur de *delicto ecclesiastico* puniendo (Cfr. *can.* 2195), omnesque in quibus inest ratio *peccati*, quod attinet ad culpae definitionem et poenarum *ecclesiasticarum* irrogationem (*can.* 1553, § 1, 2.°).

3.° Omnes causae *contentiosae* aut *criminales* in quibus *reus* est ex personis quae **foro privilegiato** gaudent (*Ibid.*, 3.°), quales sunt omnes clerici (*can.* 120), religiosi etiam laici vel novitii (*can.* 614), iique qui nullis votis adstricti in communitate vivunt, religiosorum instar, secundum juris praescripta cumque auctoritatis ecclesiasticae approbatione (*can.* 680). Vide *vol.* 1, *n.* 255 *seq.* (1).

Forum privilegiatum violantes poenas incurrunt can. 2341.

527. **Causae fori mixti.** — I. Quod attinet ad causas quae fori mixti dicuntur, quia aliis rationibus ad Ecclesiam, aliis ad Statum pertinent, jus praeventionis praescribitur (*can.* 1553, § 2), quod rei citatione exercetur (*can.* 1568).

II. Quod si ad tribunal ecclesiasticum deducta causa est, continuari in eodem usque ad finem debet, ejusdemque sententiae stari (*can.* 1554).

III. Hoc praescriptum qui violaverit, in foro ecclesiastico privatur omni actione contra eandem personam de eadem re et de connexis, punirique potest ad Ordinarii arbitrium, saltem si adfuit scandalum (*Ibid.*).

528. *Processus diversorum* **tribunalium.**—I. *a*) Tribunal **S. Officii** suo more institutoque procedit sibique propriam consuetudinem retinet. *b*) Etiam *inferiora tribunalia* in causis *quae* ad *S. Officii* tribunal *spectant*, normas ab eodem traditas sequantur oportet (*can.* 1555, § 1).

II. Cetera tribunalia servare debent praescripta canonum qui sequuntur (*Ibid.*, § 2).

---

(1) Forum hoc privilegiatum viget de jure in Hispania, manifeste enim agnoscitur in artic. 1.° et 4.° Concordatis (cfr. *vol.* 1, *nn.* 255-266); catholici autem in controversiis litibusque dirimendis huic foro subjiciuntur, itemque procuratores et advocati qui eorum patrocinium suscipiunt (*López Peláez,* El derecho y la Iglesia, *pag.* 236 *seq.:* edit. ann. 1917; *Cadena y Eleta,* Procedimientos ecles., 2, *pag.* 8 *seq.*).

III. In judicio pro *dimissione religiosorum* servanda sunt praescripta can. 654-667 (*Ibid.*, § 3), quae exposita sunt in *vol.* 1, *nn.* 935-945.

CAPUT II

COMPENDIARIA JUDICII SYNOPSIS

529. — Quo illustriora fiant ea quae de judiciis dicturi sumus, quemdam eorum quasi conspectum hoc loco exhibemus, *elementis* quibus constat primum, deinde eorum ad actum reductione seu oeconomia indicata.

530.—**Elementa judicii** sunt *personae*, *materia*, *auctoritas*.

I. **Personae** *a*) **praecipuae** sunt *judex*, *actor*, *reus*. Hae autem personae in omni judicio intersunt, etsi aliquando actor vel a fiscali vel fama publica substituitur.

b) **Secundariae**, eae scil. quae principalibus quomodocumque assistunt, sunt *a*) relate ad judicem, *referendarii* seu *relatores* atque *auditores*, *consulentes*, assessores, etc.; *b*) relate ad actorem et ad reum, *advocati*, *procuratores*, etc.; *c*) relate ad actus et ad exsecutionem, *actuarii*, *secretarii*, *notarii*, *apparitores*, etc.

II. **Materia**. — Ratione materiae judicium potest esse *contentiosum* et *criminale; petitorium* vel *possessorium*; *ordinarium summariumve*; *personale* aut *reale*, etc.

III. **Auctoritas**. — Ratione auctoritatis requiritur in judice *competentia*; in actore et reo *habilitas juridica*, ut possint judicio adesse.

531. — Ad **evolutionem** aut **oeconomiam** judicii quod attinet, tria velut stadia sunt distinguenda: *inchoatio*, *prosecutio*, *conclusio*.

I. Ad **inchoationis stadium**. — *a*) pertinet ex parte actoris *oblatio libelli* (presentación de la demanda, petición); *b*) ex parte judicis *libelli admissio* et *citatio rei*; *c*) ex parte rei conventi (demandado) *litis contestatio*. Sine libelli oblatione (aut saltem fiscalis accusatione) lis non intenditur, neque si oblationem libelli judex rejicit, neque si reus conventus actori satisfacit. Sed opus est ut reus actioni contradicat ad suique defensionem se praeparet. Atque ita ad judicii prosecutionem devenitur.

II. In hoc **secundo stadio** actoris est probare quod contendit, rei autem conventi actionem contra se intentatam repellere aut refutare.

Id autem fieri potest *indirecte* vel *directe*. Indirecte *exceptionibus*, *mutuis petitionibus*, *replicationibus*, *jurejurando calumniae*, etc.; directe *probationibus proprie* dictis, ex. gr., testibus, peritis, instru-

mentis, praesumptionibus, etc., et horum omnium ex parte contraria refutatione.

In hoc ipso litis gradu quandoque innectuntur tum variae *dilationes*, tum *sententiae interlocutoriae*, etc. Absolutis hinc inde rationibus et probationibus, pervenitur ad conclusionem.

III. **Stadium postremum.** — Ad hoc spectant: *a*) *conclusio* in causa, *b*) *sententia*, et *c*) hujus remedium, scil. recursus contra illam, sive *appellatio*, si locus est.

Si appellationi non est locus, vel, hac interposita, prior sententia confirmatur, haec rata manet (1), seu transit in *rem judicatam.*

Contra hanc non habetur recursus sive remedium *ordinarium*, sed tantum extraordinarium, scil. *restitutio in integrum.* Cfr. *Sanguineti, nn.* 535-540.

SECTIO I

DE JUDICIIS IN GENERE

TITULUS I

De foro ecclesiastico competenti

CAPUT I

DE ROMANO PONTIFICE EJUSQUE TRIBUNALIBUS

532. — I. Romanus Pontifex a nullo judicari potest (*can.* 1556), nullum est enim tribunal ei superius.

Cum R. Pontificis jurisdictio universalis sit et suprema in ea quae ad fidem et mores, ad totius Ecclesiae disciplinam regimenque pertinent, cumque sit immediata in omnes et singulas ecclesias, in omnes et singulos Ecclesiae pastores et subditos, ejus potestas judicialis non modo alii superiori subjecta non est, verum etiam nullo limite relate ad Ecclesiae membra causasque ecclesiasticas circumscribitur. Attamen Pontifex R. reapse potestatem exercet constitutis tribunalibus, quae causas definire debeant, normas eis processus judicialis praescribendo, suoque immediato judicio graviores aliquot causas reservando, vel quae supremae potestatis sen-

(1) Lex hispana quae dicitur *de Enjuiciamiento civil, a.* 369, appellat sententias firmas «cuando no cabe contra ellas recurso alguno ordinario ni extraordinario ya por su naturaleza, ya por haber sido consentidas por las partes.»

tentiam sua natura requirunt, vel quas opportunum ducit ad supremum suum judicium advocare ob earum pondus et gravitatem; ei facultate semper remanente, sive *motu proprio,* sive ad partis instantiam, cujuscumque alius causae ad se advocandae.

II. **Causae Papae reservatae.** — Causae quae vel natura sua R. Pontifici vel legis praescriptione reservantur, dicuntur *majores* (*can.* 220). Cfr. *vol.* 1, *n.* 391. Gravitas momentumve causae oritur aliquando ex dignitate aut conditione ejus qui reus citatur. Quare solius *Romani Pontificis* (*can.* 1557) jus est judicandi: 1.° eos *a*) qui *supremum* tenent populorum *principatum* *b*) horumque *filios et filias* *c*) eosque quibus *jus* est *proxime succedendi* in principatum; 2.° Patres Cardinales; 3.° Legatos Sedis Apostolicae, et in criminalibus Episcopos, etiam titulares (*can.* 1557, § 1).

III. **Reservatae romanis tribunalibus**. — *Tribunalibus* vero *Sedis Apostolicae* sive *Curiae Romanae* reservatur judicare: 1.° Episcopos residentiales in contentiosis, exceptis causis can. 1572, § 2, 2.° dioeceses aliasve personas morales ecclesiasticas quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent, uti religiones exemptas, Congregationes monasticas. Alias causas quas Romanus Pontifex aut *motu proprio* aut ad partis instantiam ad suum advocaverit judicium, videt judex quem ipsemet Romanus Pontifex designaverit (*can.* 1557, § 3).

In causis de quibus in his can. 1556, 1557, aliorum judicum incompetentia est *absoluta* (*can.* 1558).

CAPUT II

DE TRIBUNALIBUS INFERIORIBUS EORUMQUE COMPETENTIA

Tribunalia inferiora.—I. Praelati qui sunt infra R. Pontificem jurisdictione gaudent limitibus definita proprii territorii aliisve jure circumscriptis.

Circa haec tribunalia inferiora **forum competens** potissimum consideratur. Hoc autem forum est tribunal jurisdictionem habens in causam et personam contra quam intentatur; ubi hoc principium valere debet: actor sequitur forum rei; quod si reus propter varios titulos multiplex forum habet, optio fori actori conceditur (*can.* 1559, § 3).

II. Nemo in prima instantia conveniri potest, nisi coram judice ecclesiastico qui *competens* sit ob unum ex titulis qui in can. 1560-1568 determinantur (*can.* 1559, § 1).

III. Incompetentia judicis cui nullus ex his titulis suffragatur, dicitur *relativa* (*Ibid.*, § 2).

533. **Competentia exclusiva.** — Forum sive tribunal necessarium habent: *a*) Actiones de *spolio*, coram Ordinario loci rei sitae, quae est objectum spolii; *b*) causae respicientes *beneficium*, quamvis non residentiale, coram Ordinario loci in quo est beneficium; *c*) causae quae versantur circa *administrationem*, coram Ordinario loci ubi administratio gesta est; *d*) causae quae respiciunt *hereditates* aut *legata pia*, coram Ordinario loci domicilii testatoris, *nisi* agatur de mera exsecutione legati, quae videnda est secundum ordinarias competentiae normas (*can.* 1560).

534. **Tituli competentes.** – Jam tituli quibus tribunal fit competens hi sunt: 1.us domicilium vel quasi-domicilium (*can.* 1561-1563); 2.us res sita, scil. cum res de qua controvertitur in judicis territorio invenitur (*can.* 1564); 3.us contractus (*can.* 1565); 4.us delictum (*can.* 1566); 5.us continentia sive connexio causarum, de quibus ab eodem judice sententia ferenda est (*can.* 1567); 6.us praeventio (*can.* 1568).

De quibus haec animadverte:

a) Ordinarius loci, ubi reus domicilium vel quasi-domicilium habet, jurisdictionem in illum etiam absentem, aut mutato domicilio, retinet, post legitimam rei citationem (*can.* 1561, 1725). Domicilio et quasi-domicilio carentibus, ut canonice vagis, domicilium est praesens locus habitationis, religiosis eorum domus (*can.* 1563). Minoris domicilium legale aut necessarium est domicilium illius cujus potestati subest, uxoris autem domicilium mariti, nisi agatur de causa spirituali, ad quam domicilium voluntarium acquisierint. Urbs Roma, ubi habitat R. Pontifex, haberi perseverat in Codice tanquam commune omnibus fidelibus domicilium, quod attinet ad forum, sed ita ut qui in ea velut peregrinus invenitur, etsi per breve tempus, conveniri ita possit, ut si esset in proprio domicilio (*can.* 1562, § 1); sed ei qui ita convenitur conceditur ut causam remittat ad proprium Ordinarium (*Ibid.*).

Quod si plus annum Romae manserit, declinandi forum cujusvis Ordinarii jure gaudet, itemque instandi ut coram Curiae tribunalibus citetur. (*Ibid.*, § 2) (1).

b) Forum rei sitae solum ad actiones *reales* inservit, non ad personales (*can.* 1564).

c) Ratione contractus pars conveniri potest ubi stipulatio inita est, vel ubi contractus est adimplendus (*can.* 1565, § 1). At sicut liberum est contrahentibus locum designare in quo contractus adimplendus, ita etiam locum ubi est de controversiis disceptandum (*Ibid.*, § 2).

---

(1) Hac in re nonnihil immutata est decretalis Gregorii IX (*cap.* 20, X, *de for. compet.* II, 2), in quo jus advocandi causam ad tribunal Ordinarii ab hoc pendebat quod causa praesentiae peregrini in Urbe mere voluntaria non esset.

d) Ratione delicti commissi sic competens fit Ordinarius loci ubi delictum est, ut etiamsi reus e dioecesi discesserit possit ab ipso citari, instarique causae contra illum usque ad sententiae declarationem (*can.* 1566, §§ 1, 2), nisi ipse Ordinarius alius judicis competentis citatione erit praeventus (1).

e) Continentia seu connexio quae judici competentiam tribuit, haberi potest vel ratione personarum, v. gr., quia coheredes sunt pariterve rei ejusdem delicti, vel ratione actionis generalis, ut gestionis negotiorum, vel quod ex eodem negotio variae quaestiones exoriuntur, vel tandem quia de causis incidentibus agitur quae per accidens cum principe conjunguntur. Hic competentiae titulus excluditur cum judicis incompetentia est absoluta, aut illam lex expressis verbis excludit, ut fit in suspicionis casibus, de quibus can. 1613-1615.

f) Ad praeventionem quod attinet, habetur cum judices competentes plures sunt, quos inter optio detur actori, et cum statuitur ut dictum est in citatione reo rite indicata (*can.* 1568).

535. **Quaestio incompetentiae.** — Incompetentia partibus tribuit facultatem declinandi forum judicis non competentis, et, allegata ratione incompetentiae, non tenentur obedire citationi. Et judex ipse, antequam causam suscipiat, certior fieri de sua competentia debet, causamque jam institutam sive inceptam deserere, simul ac se noverit incompetentem. Aliunde incidens incompetentiae ab ipso judice dirimendum est contra quem ab reo incompetentia opponitur; contra decisionem autem qua judex exceptionem de incompetentia rejicit, non potest appellari, si agitur de incompetentia relativa; at potest, si de absoluta. Et declaratio qua judex se pronuntiat incompetentem etiam ad tribunal superius appellationem admittit (*can.* 1609-1611).

536. **Competentia a quo definienda.** — *a)* Si quaestio competentiae inter diversos judices versatur, a tribunali superiore definienda est. *b)* Quod si judices, inter quos exsistit competentiae conflictus, subsint distinctis tribunalibus superioribus, controversiae definitio reservatur tribunali superiori illius judicis, coram quo actio primo promota est. *c)* Si non habent tribunal superius, confiictus dirimitur vel a Legato Sanctae Sedis, si adsit, vel ab Apostolica Signatura (*can.* 1612, § 2).

Quare **in Hispania** si exsistit competentia inter duos ejusdem provinciae Suffraganeos, a Metropolitano dirimetur; si Suffraganei sunt diversarum provinciarum, dirimetur a Metropolitano Suffraganei illius coram quo promota causa est. Si exsistit competentia inter duos Metropolitanos, a Rota hispana dirimetur. Tandem si controversia de competentia oritur inter Suf-

---

(1) In jure antiquo, ut Ordinarius remaneret competens in reum qui e dioecesi abisset, opus erat citationis praeventione (cap. 14, 19, X, *de for. compet.*, II, 2).

fraganeum et Metropolitanum alterius provinciae, dirimetur a Rota aut a Metropolitano ad cujus provinciam Suffraganeus pertinet, prout causa introducta est ad Metropolitani tribunal aut Suffraganei inter quos quaestio de competentia versatur.

CAPUT III

DE RECURSU PER VIM

537. I. **Notio.** — Tanquam vestigia antiqui *regalismi* quod dicitur, asservantur in Hispania *recursus per vim in cognoscendo*, quibus civilia tribunal adiri possunt contra ecclesiastica. Ex art. 125 Legis quae dicitur *de Enjuiciamiento civil* his recursibus locus erit, cum judex aut tribunal ecclesiasticum cognoscent aut cognoscere volent de causa profana eorum jurisdictioni non subjecta, aut sententiam exsequi quam in re competenti tulerint per bonorum sequestrationem et venditionem, auxilio jurisdictionis ordinariae non impetrato (1).

II. **Hi recursus injusti.** — Sunt hi recursus omnino injusti, eo quod jurisdictionem usurpant Ecclesiae, quae cum sit societas superior et independens, gaudet potestate et *judiciali* et *legifera*, nulli humanae auctoritati subjecta. In omni legislatione recursus fit ad Superiorem; quare in casu fieri ad Statum nequit, cui nullus in re ecclesiastica competit interventus. Si quod tribunal ecclesiasticum officio suo deerit, Superiores sunt qui contra illud adeantur. Neque vult Ecclesia ut ad ecclesiastica tribunalia fiat recursus, cum aliquid peccant civilia tribunalia; qua in re multo se justiorem quam Status praebere solet.

III. **Damnatio et punitio.** — Recursus per vim expresse a Pio IX damnatus in *Syllabo* est, prop. 41, ubi illud improbatur, sc. ad civilem societatem spectare non modo jus quod dicunt *exsequatur*, sed etiam appellandi *contra abusum*, quod etiam *recursus per vim* dicitur.

Hic recursus a Codice *excommunicatione speciali modo* Sedi Apostolicae reservata plectitur. Vide can. 2334, 2.°

IV. **Tribunalia mixta.** — Consentaneum rationi esset in judiciali conflictu inter utramque potestatem tribunalia mixta adhiberi. Cfr. *Manjón*, 1, *n.* 773 *seq.*; *López Peláez*, l. c., *pag.* 253 *seq.* (ed. ann. 1917).

---

(1) Antea hi *recursus per vim* admittebantur etiam: 1.° in *modo cognoscendi*, sive quia judex ecclesiasticus totam processus formam non servasset; 2.° in *non concedendo*, sive quod injuste appellationem denegasset.

TITULUS II

De variis tribunalium gradibus et speciebus

538. **Subordinatio tribunalium et coordinatio.** — Tribunalia ecclesiastica esse possunt inter se aut *subordinata* aut mere *coordinata*.

I. **Subordinatio** *gradatio*ve *hierarchica* tribunalium hunc habet finem: tueri pro contendentibus legitimam suorum jurium defensionem, data eis facultate appellandi ab inferiore tribunali ad superius quod possit inferioris sententiam confirmare, abrogare, mutare aut nullam irritamque declarare. Tribunal, maxime unipersonale, errare certe potest aut motu animi, non ratione, agere, immo praevaricari, justitiam vendendo aut per vindictam sententiam injustam ferendo. Error tribunalis aut injustitia corrigitur aut reparatur interposita appellatione vel ad judicem superiorem provocatione.

II. — **Coordinatio** habetur inter tribunalia mutuo independentia, versaturque circa mutuum auxilium quod sibi invicem praestare debent in justitia administranda. Cum enim singuli judices jurisdictionem habeant territorio definitam, nihil extra illud possunt, quod spectat ad actus jurisdictionales aut judiciales in alieno territorio exercendos. Quod locum habere potest in testibus citandis et examinandis, documentis et rebus inspiciendis, decretis intimandis, etc. Quodlibet tamen tribunal jus habet a Codice in auxilium vocandi aliud tribunal (*can.* 1570, § 2). Hujusmodi requisitio petitur per *supplicatorium*, si fit ad tribunal *superius*; per *requisitorium*, si ad *aequale*; per *mandatum*, si ad *inferius* (*Wernz*, Jus Decr., 2, *n.* 99).

539. **Romanus Pontifex et tribunalia inferiora.** — I. Jus est primatui R. Pontificis inhaerens, quod nequit derogari, quamlibet causam sive contentiosam sive criminalem in quovis judicii gradu et in quovis litis statu ad se advocandi, jusque consequens omnium fidelium ad judicium R. Pontificis provocandi (*can.* 1569, § 1).

II. Recursus tamen ad Sedem Apostolicam interpositus non suspendit, excluso casu appellationis, exercitium jurisdictionis in judice qui causam jam cognoscere coepit; quique idcirco poterit judicium prosequi usque ad definitivam sententiam, nisi constiterit Sedem Apostolicam causam ad se advocasse (*Ibid.*, § 2).

III. Exceptis causis Sedi Apostolicae reservatis aut ad eandem

advocatis, ceterae omnes cognoscuntur a diversis tribunalibus, de quibus in can. 1572 seqq. (*can.* 1570, § 1).

IV. Qui causam vidit in uno judicii gradu, nequit eandem causam in alio judicare (*can.* 1571).

CAPUT I

DE TRIBUNALI ORDINARIO PRIMAE INSTANTIAE

ARTICULUS I

DE JUDICE

540. **Prima instantia.** — Est in Codice hujus materiae nova forma magni momenti.

I. Nam statuitur hoc principium, judicem primae instantiae esse loci Ordinarium, qui judiciariam potestatem exercere potest per se vel per alios, secundum canones qui sequuntur (*can.* 1572, § 1). Sed quilibet Episcopus debet **officialem** eligere cum potestate ordinaria judicandi, a *Vicario Generali* distinctum (*can.* 1573, § 1); quo fit ut administratio jurisdictionis voluntariae et contentiosae in diversis subjectis separetur. Deinde debet Episcopus *tribunal collegiale* instituere, ad controversias majoris momenti dirimendas. Super hac nomenclatura vide *vol.* 1, *n.* 669, *N. B.*

II. Sed tamen ad officialem, diversum a Vicario Generali, eligendum Episcopus non obligatur, si parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum suadet ut hoc munus ipsi Vicario Generali committatur (*can.* 1573, § 1). Ipse vero officialis, ut antea Vicarius Generalis, unum constituit tribunal cum Episcopo (*Ibid.*, § 2); quare si appellabitur, ad superius tribunal, non ad Episcopi, appellandum est. Officialis non potest causas quas sibi Episcopus reservet judicare (*Ibid.*).

III. Officiali dari possunt adjutores, quibus nomen est vice-officialium (*Ibid.*, § 3). Tum officialis tum vice-officiales esse debent sacerdotes, integrae famae, in jure canonico doctores vel ceteroqui periti, annos nati non minus *triginta* (*Ibid.*, § 4). Qui omnes sunt amovibiles ad nutum Episcopi; sed, vacante sede, a munere non cessant, ut cum Vicario Generali evenit, nec a Vicario Capitulari amoveri possunt; adveniente autem novo Episcopo, indigent confirmatione, aut possunt mutari (*Ibid.*, § 5). Unde qui Vicarius Generalis est idemque per exceptionem officialis, sede vacante, cessat quidem a Vicarii, non autem ab officialis munere

(*Ibid.*, § 6). Quod si officialis creatur Vicarius Capitularis, ipse novum officialem debet nominare, secundum principium quo imponitur Episcopo obligatio officialem nominandi (*Ibid.*, § 7).

541. **Judices synodales.** — Judices qui cum officiali aut vice-officiali tribunal collegiale constituunt, de judicibus *synodalibus* aut *pro-synodalibus* eliguntur.

I. Ad hunc finem in qualibet dioecesi presbyteri probatae vitae et in jure canonico periti, etsi extradioecesani, non plures quam duodecim sunt eligendi; quibus nomen est *judicum synodalium*, si in synodo, *pro-synodalium*, si extra synodum constituuntur (*can.* 1574, § 1).

II. Quod ad eorum electionem, substitutionem, cessationem aut remotionem a munere attinet, servanda sunt praescripta can. 385-388 (*Ibid.*, § 2) de examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus, quae *vol.* 1, *nn.* 680-682 exponuntur.

III. Nomine judicum *synodalium* in jure veniunt quoque judices *pro-synodales* (*can.* 1574, § 3).

542. **Tribunalis collegialis compositio.** — Tribunal collegiale constat officiali aut vice-officiali, ut praeside, deinde aliis duobus quattuorve judicibus secundum causas. Sunt igitur duo tribunalia collegialia, alterum quod constat e *tribus* judicibus, alterum e *quinque* (*can.* 1572, § 2; 1576, § 1, 1.°, 2.°, § 2, § 3).

Eorum competentia. — I. Primo tribunali sunt necessario committendae *a*) causae de vinculo sacrae ordinationis et matrimonii, *b*) de juribus et bonis temporalibus ecclesiae cathedralis, *c*) itemque criminales in quibus res est de privatione beneficii inamovibilis aut de irroganda vel declaranda excommunicatione *latae sententiae* (*can.* 1576, § 1, 1.°).

II. Tribunali quinque judicum committendae omnino sunt causae in quibus agitur de delictis quae depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, vel degradationis poenam important (*Ibid.*, 2.°).

III. Alterutri horum tribunalium Ordinarius pro sua prudentia committere potest etiam aliarum causarum cognitionem, praesertim cum agitur de iis quae, attentis temporis, loci et personarum adjunctis et materia judicii, difficiliores et majoris momenti videbuntur (*Ibid.*, § 2).

543.—Ad judices synodales aut pro-synodales quod attinet (vide *n.* 541), Episcopo tanquam generalis regula commendatur, non autem strictum praeceptum imponitur, ut eos ad partem in tribunali collegiati habendam eligat per turnum (*can.* 1576, § 3). Ex his judicibus synodalibus potest tribunal unipersonale officialis aut judicis ab Episcopo delegati duos assessores consulentes in quolibet judicio sibi adsciscere (*can.* 1575), a quibus possit eorum prudentia et consiliis illustrari.

544. — *a*) Igitur in novo Codice constituuntur tanquam generalis norma, pro omnibus causis alicujus momenti tribunalia collegialia, tribunali autem unipersonali permanenti causae minores reservantur; cum facultate tamen judices assessores duo adsciscendi; quo in casu fit ut tribunali unipersonali assensus tribui possit quasi collegiali.

b) Causae quae Episcopum aliquo modo attingunt, v. g., cum agitur de bonis mensae aut curiae dioecesanae aut de juribus bonisve temporalibus ipsius Episcopi, hunc natura sua excludunt, tanquam suspectum, qui et judex et pars esset in illis dirimendis. Quamobrem principium illud generale, Episcopum esse judicem primae instantiae in omnibus suae dioecesis causis non reservatis, in his ipsis limitatum est; nam debet Ordinarius eas deferre vel ad dioecesanum tribunal collegiale quod constat e tribus judicibus, scil. officiali et duobus judicibus synodalibus *antiquioribus* vel ad judicem immediate superiorem (*can.* 1572, § 2).

545. — I. Tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad majorem suffragiorum partem (*absolutam*) sententias ferre (*can.* 1577, § 1). Igitur ut sententia feratur, *duo* saltem suffragia requiruntur in trium judicum tribunali, *tria* in tribunali quinque judicum.

II. Eidem praeest officialis vel vice-officialis, cujus est processum dirigere, et decernere quae pro justitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt (*Ibid.*, § 2).

III. Exceptis causis de quibus in can. 1572, § 2, Episcopus semper potest tribunali per se ipse praeesse (*can.* 1578). Vide *n.* 544, *b*).

Sed valde expedit ut causas, praesertim criminales et contentiosas gravis momenti, judicandas relinquat tribunali ordinario, cui praesit officialis vel vice-officialis (*can.* 1578).

De religiosorum tribunali vide *n.* 554.

ARTICULUS II

DE AUDITORIBUS ET RELATORIBUS

546. **Notio**. — I. **Auditor** dicitur a Codice judex cui specialiter committitur instructio processus, sed tamen non competit sententiam proferre (*can.* 1582).

Dicitur *ponens* seu **relator** unus e judicibus tribunalis collegialis cui tota causa committitur apud ceteros referenda et sententia in scriptis redigenda, quique pars est in ea pronuntianda.

II. **Horum munerum convenientia.** — Generatim juris processualis magistri idem sentiunt de convenientia instructionis causae committendae judici diverso ab eo qui eam definire debet, et cum hac convenientia usus

communior tribunalium conformatur. Judex qui causam instruit probationesque accipit inter eam instruendam facile movebitur erga alteram e partibus animique tranquillitatem ad aestimandam totam causam desiderabit. Neque Auditores in jure antiquo Decretalium incogniti sunt (1), qui tamen facile cum judicibus delegatis confunduntur. In recentioribus documentis super canonico processu *Auditor* nominatur *judex instructor* (2), quem ut constituat, nunquam tamen Episcopus obligatur. Primum *Lex propria* S. R. Rotae a Pio X instaurata, can. 22, prohibet Ponenti ceterisque turni Auditoribus qui debent causam definire, ne ejusdem instructioni intersint, jubetque ut haec instructio alius turni Auditori committatur (3). Cfr. *Ferreres,* La Curia Romana, *pag.* XXXV, *seq.*

547. **Auditores et relatores** secundum Codicem.—I. In Codice, salvis iis quae pro S. R. Rota statuuntur, fit mentio de *auditore* tanquam auxiliari qui judici possit adjungi, tributa Ordinariis potestate auditorum sive stabiliter, sive pro certa aliqua causa constituendorum (*can.* 1580, § 1), eisque commendando ut auditores, quantum fieri potest, ex judicibus synodalibus deligantur (*can.* 1581). Judex autem dioecesanus, ab Ordinario diversus, auditorem eligere potest pro causa quam cognoscit, nisi Ordinarius jam providerit (*can.* 1580, § 2). Auditorum est acta judicialia instruere, non autem sententiam definitivam ferre (*can.* 1582); et in quovis litis momento ab officio removeri possunt, justa de causa et sine partium praejudicio (*can.* 1583).

II. *Relator*, ut diximus, pertinet ad tribunal collegiale, et ab hoc juxta Codicem designandus est (*can.* 1584) (4).

ARTICULUS III

DE NOTARIO, PROMOTORE JUSTITIAE, VINCULI DEFENSORE

548.—I. Inter eos qui auxilio sunt tribunali, primo loco numerandus est **notarius**, qui in omni processu **actuarii** officio fungitur, sive acta redigit, quae juridice nulla habentur, si ejus manu non sunt exarata, vel saltem ab eo subscripta (*can.* 1585, § 1). Quare judex in actuarium assumere debet unum e notariis legitime dioecesi constitutis, nisi ipse Ordinarius aliquem pro ea causa jam designavit (*Ibid.*, § 2).

II. **Promotor justitiae** (procurator fiscalis aut simpliciter pro-

---

(1) Cfr. *cap.* 27, § 2. X, de offic. jud. deleg., 1, 29; *cap.* 13. X, de renunt., I, 9; *Lega,* De judic. eccl., *vol.* 1, *n.* 144; *Wernz,* Jus Decret., *vol.* 5, *n.* 137.

(2) Instr. S. C. EE. et RR. 11 jun. 1880, *art.* 12, 29. Vide etiam *Instructionem* Card. *Rauscher* pro judiciis eccl. *quoad causas matrimoniales,* § 140 *seq.*, 214 *seq.* in Collect. Lacensi, *vol.* 7, *col.* 1286. Vid. praeterea *Instructio Pragensis, a.* 1869, §§ 45, 81.

(3) Vide normas ejusdem S. Rotae, *tit.* IV, *cap.* I, § 102 *seq.*

(4) Eadem obligatio a *Lege propria, can.* 21, tribunali Rotae imponitur, ubi Relator idem est qui Ponens. Vide etiam normas R. Rotae, *tit.* V, § 177 *seq.*

motor vel fiscalis) constituendus est pro causis tum criminalibus omnibus, tum contentiosis in quibus bonum Ecclesiae publicum Ordinarii judicio in discrimen vocari potest. Respondet in tribunali pro Ecclesia ejusque juribus, quae quominus laedantur et quominus a lege deficiatur impedit, neque impune relinquit quod est puniendum, neque sinit ut ad cujusque arbitrium aliquid fiat. Si ita consideratus publicam potestatem refert, non potest aliunde negari illum esse ipsius judicis auxiliarem ipsumque sententiis et consiliis adjuvare, quibus judex in tuto saepe collocetur.

III. Munere simili fungitur **defensor vinculi** (matrimonii, votorum) in iis causis in quibus agitur de vinculo sacrae ordinationis aut matrimonii (*can.* 1586).

549. **Interventio fiscalis et vinculi defensoris.** — I. Et promotor justitiae et vinculi defensor debent esse sacerdotes integrae famae, in jure canonico doctores vel ceteroqui periti, ac prudentiae et justitiae zelo probati (*can.* 1589, § 1). In religiosorum tribunali promotor seu fiscalis esse debet ejusdem instituti alumnus (*Ibid.*, § 2). Ab Ordinario eliguntur (*Ibid.*, § 1) tum pro singulis causis tum ad universitatem causarum (*can.* 1588, § 2). Ad quam electi non cessant a munere, sede episcopali vacante, neque a Vicario Capitulari possunt removeri; adveniente autem novo Praelato, indigent confirmatione aut substituuntur (*can.* 1590, § 1). Cum eorum munus ad nutum sit, justa intercedente causa, ab eo removeri possunt (*Ibid.*, § 2).

II. In causis autem in quibus a jure eorum praesentia requiritur, promotore justitiae aut vinculi defensore non citato, acta irrita sunt, nisi ipsi, etsi non citati, revera interfuerint (*can.* 1587, § 1). Si legitime citati actibus non interfuerint, acta quidem valent, verum postea eorum examini subjicienda omnino sunt, ut ea omnia possint animadvertere et proponere quae necessaria aut opportuna judicaverint (*can.* 1587, § 2).

III. Eadem persona officium promotoris justitiae et defensoris vinculi gerere potest, nisi multiplicitas negotiorum et causarum id prohibeat (*can.* 1588, § 1).

ARTICULUS IV

DE CURSORIBUS ET APPARITORIBUS

550. — I. Ad acta judicialia intimanda constituuntur *cursores;* item *apparitores* ad sententias et decreta judicis, eo committente, exsecutioni mandanda (*can.* 1591, § 1). Eadem persona utroque officio fungi potest (*Ibid.*, § 2). Episcopi est eos nominare, ejusdem aut successoris removere eadem ratione qua de notariis in can. 373 dictum est (vide *vol.* 1, *n.* 674, II et III). Igitur ad horum remotionem Vicarius Capitularis indiget Capituli consensu (*can.* 1592).

II. Oportet generatim ut laici sint, nisi prudentia in aliqua causa suadeat ut ecclesiastici ad id muneris assumantur (*Ibid.*). Acta quae hi confecerint, publicam fidem faciunt (*can.* 1593).

CAPUT II

DE TRIBUNALI ORDINARIO SECUNDAE INSTANTIAE

551. **Instantiarum gradatio.** — I. Instantiae ad appellationem hoc ordine in Codice digeruntur:

A tribunali Suffraganei appellatur ad Metropolitanum (*can.* 1594, § 1); ab hoc ad Sedem Apostolicam.

II. A causis in prima instantia pertractatis coram Metropolitano fit appellatio ad loci Ordinarium, quem ipse Metropolitanus, probante Sede Apostolica, semel pro semper designaverit (*Ibid.*, § 2); ab hac secunda instantia ad S. Sedem appellatur.

III. A tribunali Archiepiscopi qui caret Suffraganeis, atque Episcopi Sedi Apostolicae proxime subjecti fit appellatio ad Metropolitanum qui secundum can. 285 sit electus (vide *vol.* 1, *n.* 593) ut Concilio provinciali intersit (*can.* 1594, § 3).

552. **Innovatio notabilis.** — Hac in re Codex innovationem magni ponderis induxit. Causae omnes cujuslibet tribunalis *duabus* gaudent *instantiis* coram tribunalibus Sedi Apostolicae inferioribus, quorum auxilio firma sententia obtineri potest resque haberi judicata, si *utraque sententia* illis *favet.*

553. **Secunda instantia.** — Secundae instantiae tribunal in ordine superius indicato eodem modo quo tribunal primae constituendum est; et eaedem regulae, accommodatae ad hunc gradum appellationis, in causae discussione servandae sunt (*can.* 1595); neque enim in jure antiquo exstiterunt generaliter in Ecclesia tribunalia ordinaria gradus superioris, neque a novo Codice inducta sunt.

Illud solum in hoc praescribitur, causas in prima instantia coram tribunali collegiali cognitas, etiam in appellatione definiri debere collegialiter nec a minore judicum numero (*can.* 1596).

554. **Religiosi exempti.** — Pro religiosis ab Ordinarii loci jurisdictione exemptis Codex instituit etiam gradationem judicum et instantiarum ad eorum gubernationem accommodatam. 1.° Controversiam inter *alumnos ejusdem religionis clericalis* in **prima instantia** Provincialis dirimit; quod si monasterium est *sui juris* sive independens, ut in religionibus monachalibus, Abbas localis. Excipitur in utroque casu, si aliud constitutiones decernunt, quae exceptio constat ex sequentibus canonibus.

Ex illo autem principio: *actor forum rei sequitur*, Provincialis

ejus qui convenitur videtur esse competens, cum agitur de domibus aut conventibus (aut religiosis) diversarum provinciarum.

In secunda eorundem casuum instantia judicat supremus Moderator religionis vel Congregationis monasticae.

2.° Si res contentiosa inter duas provincias agitur, in *prima instantia* judicat supremus religionis aut Congregationis Moderator, si inter duo monasteria, Superior supremus Congregationis monasticae. Igitur in utroque casu in *secunda* instantia videt Sedes Apostolica.

3.° Quod si controversia orta est *a*) inter religiosos, domos aut provincias diversae religionis, *b*) aut etiam inter alumnos ejusdem religionis non exemptae, *c*) vel laicalis, *d*) aut inter religiosum et clericum saecularem, etiam inter religiosum et laicum, judex *primae instantiae* est Ordinarius loci; quo in casu *secunda* et *tertia* instantia definiuntur ut in ceteris causis quae ad Ordinarios pertinent (*can.* 1579, 1594).

CAPUT III

DE ORDINARIIS APOSTOLICAE SEDIS TRIBUNALIBUS

555. — **Tertia instantia** tribunal est R. Pontificis, judicis supremi totius Ecclesiae, qui, ut dictum est, etiam in prima instantia et in quovis litis statu adiri potest; quique vel ipse per se jus dicit, vel per tribunalia permanentia in Curia Romana et ab ipso constituta, vel per judices a se delegatos (*can.* 1597).

ARTICULUS I

DE SACRA ROMANA ROTA

556. **Natura.** — Tribunal ordinarium a Sancta Sede constitutum pro appellationibus recipiendis est Sacra Rota Romana (*can.* 1598, § 1).

Constitutio. — Communiter constat ex *decem praelatis auditoribus*, quorum nullus Cardinalis est. Est igitur unicum inter Tribunalia et Congregationes romanas, quod Cardinalem nullum neque numerat neque unquam numeravit.

Auditorum electio Romano Pontifici reservatur (*Ibid.*, § 3).

557. — Auditorum collegio praesidet *Decanus*, qui *primus* est *inter pares* (*Ibid.*, § 1). Hoc munus et titulus ad antiquiorem spectant.

Auditores antiquitatis ordine locum tenent, quae a nominationis die computatur. Quod si plures eodem die sunt creati, ordina-

tio attenditur; si etiam eodem die ordinati sunt, aetas praefertur.

Omnes sacerdotes esse debent laurea doctorali in utroque saltem jure praediti (*Ibid.*, § 2), (aetatis maturae), morum honestate, prudentia et juris cognitione praestantes. Expleto quarto et septuagesimo aetatis anno jubilatione donantur.

558. **Modus agendi.** — I. Sacra Rota jus generatim dicit per singulos *turnos trium* Auditorum (*Ibid.*, § 4). Quorum tres recentiores primum turnum efficiunt, secundum ac tertium sex alii, quartum Decanus et duo recentiores, et ita porro.

II. Causae autem ex temporis ordine respectivis turnis distribuuntur.

III. Causae ab uno turno definitae spectant in gradu appellationis ad turnum proxime sequentem. Si vero tertio de ea cognoscendum est, hoc fiet ab alio turno duo superiores proxime sequenti.

IV. Auditor antiquior turnis singulis praeest; quod si tribunali constituto, Auditor aliquis sufficiendus seu substituendus est, praeses erit qui fuit initio, etiamsi alterius partes suscipiens erit antiquior.

Si Auditor aegrotat aut impeditur, suppletur ab alio Auditore non turni proxime sequentis sed tertii; quod si de causa jam a duobus turnis cognitum est, supplebit Auditor decimus, scil. qui nulli aliorum turnorum interfuit.

V. Nonnullas causas vident simul Auditores omnes. Aliquando ita Summo Pontifice constituente quinque aut septem (*can.* 1598, § 4). Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, *nn.* 929-940. Ibi etiam, *nn.* 910-990, videri potest Rotae origo, historia, competentia, etc.

559. **Competentia Rotae.** — I. Sacra Rota judicat causas jam in prima instantia dijudicatas in cujusvis Ordinarii tribunali a cujus sententia ad Apostolicam Sedem sit legitime appellatum (*can.* 1599, § 1, 1.°), atque in ultima instantia, causas judicat vel in secunda vel in ulteriore instantia tum ab tribunalibus inferioribus tum ab ipsa jam cognitas, quae in rem judicatam non transierint (*Ibid.*, 2.°). Secundario S. Romana Rota tribunal est primae instantiae ad eas causas quae ei sunt reservatae ad normam can. 1557, § 2 (vide *n.* 532, III) et ad alias quas R. Pontifex vel *motu proprio* vel parte instante ad se advocaverit (*can.* 1599, § 2); sed ad has causas cognoscendas commissione pontificia indiget per rescriptum particulare, quod generatim solum conceditur post auditam Signaturae Apostolicae opinionem.

II. Has causas, nisi aliud cautum sit in commissionis rescripto, Sacra Rota judicat quoque in secunda et tertia instantia ope turnorum qui sibi invicem succedunt (*Ibid.*)

III. *Causae majores* omnes penitus excluduntur ab ambitu competentiae hujus tribunalis (*can.* 1600).

IV. Contra Ordinariorum decreta non datur appellatio seu recursus ad Sacram Rotam; sed de ejusmodi recursibus exclusive cognoscunt Sacrae Congregationes (*can.* 1601).

APPENDIX AD ARTICULUM SUPERIOREM

ROTA HISPANA

560.—Ad modum S. Romanae Rotae est in Hispania tribunal matritense Rotae Nuntiaturae Apostolicae.

I. **Origo.** — Conditum est a Clemente XIV 26 mart. 1771, Carolo III postulante, qui 28 oct. 1773 Regium decretum dedit ad Brevis Clementis XIV exsecutionem, quo die hoc tribunal inauguratum est. Cfr. *Novis. Recopil.*, *ley* 1, *tit*, 5, *lib.* 2.

II. **Constitutio.** — Tribunal Rotae hispanae nunc constat e sex Auditoribus numerariis duobusque supernumerariis (*Novis. Recopil.*, *ley* 3, *tit* 5, *lib.* 2), praeter Rdmi. Nuntii assessorem (qui Auditor Nuntiaturae solet appellari) et fiscalem. Ecclesiastici omnes atque hispani esse debent. Unicuique turno sunt secretarius justitiae, notarius major et officiales duo.

561. III. **Competentia et modus agendi.** —Hoc tribunal solum in gradu appellationis causas admittit. Collegio praeest Decanus seu antiquior. Tribunal per turnum *tres* Auditores constituunt, quorum unus est ponens, cui jus est, fuitque semper, suffragii ferendi. Cfr. *Clem. XIV*, Brev. cit.

Jus dicunt semper, Nuntio committente. Sententia a tribus Auditoribus subscribitur. Ad turnos tertium et quartum quinque judices nominantur: ponens et quattuor correspondentes.

Ab hoc tribunali neque recursus Romam neque ad S. Sedem appellationes excluduntur. Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, *nn.* 991-1005.

562. — In Hispania tertia instantia est in hoc tribunali, quod permanet, sed ita ejus potestate limitata, ut appellationes accipere non possit in causis quae duplici sententia conformi gaudent.

Permanent etiam immutabililes jurisdictiones exemptae *procappellani majoris* Suae Majestatis, *Vicarii Generalis castrensis* et *prioratus Ordinum militarium* (Vide *Gómez Salazar*, Instituciones, *vol.* 2, *pag.* 385 *seq.*). Vide *vol.* 1, *n.* 629-639.

ARTICULUS II

DE SIGNATURA APOSTOLICA

563. I. **Constitutio.**—Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal constat nonnullis S. R. E. Cardinalibus, quorum unus Praefecti munere fungitur (*can.* 1602).

II. **Origo**. — Hoc tribunal in Curia novum dicendum est, cum constitutum sit ann. 1908, quo Pius X Constitutionem *Sapienti consilio* promulgavit, qua antiqua *Signatura justitiae* una cum *Signatura gratiae* exstincta est, cui *Apostolica* successit. Vox *signatura* nomen est genericum, quod originem ducit a subscriptione quam Papa in hujus tribunalis decretis ponit aut ponere solebat. Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, *nn.* 1006-1007.

III. **Modus procedendi**. — Tum Cardinalis Praefectus, tum Tribunal Signaturae fiscalem et vinculi defensorem ad Rotam pertinentes convocare possunt, eorumque aut votum postulare aut declarationem rationum fundamentorumque actuum rotalium qui impugnantur.

In aliis omnibus Rotae tramites sequuntur, debita proportione normisque generalibus juris communis servatis. *Ferreres*, l. c., *nn.* 1033, 1034.

564. IV. **Competentia**. — Tribunalibus cassationis similis est Signatura Apostolica, cujus competentia ratioque procedendi a Codice perspicue definitur can. 1603, 1604.

Videt potestate ordinaria: 1.° de violatione secreti, et de damnis illatis ab aliquo ex Auditoribus Sacrae Rotae alieni ex litigantibus, eo quod actum judicialem nullum vel injustum posuerint. Haec autem causa criminalis est, in eaque, praeter damni reparationem, poena canonica infligi potest delinquenti. Si appellatio locum habet, videtur ab eodem tribunali; 2.° de exceptione suspicionis contra aliquem S. Rotae Auditorem, ob quam is recusetur. In hoc casu Signaturae competit definire utrum recusatio sit admittenda, necne, quo definito judicium ad Rotam remittit, ut de eo decernat, Auditoremque e turno excludat, cujus admissa est recusatio, aut si rejecta, turnum non immutet.

3.° Videt etiam de oppositione sive querela nullitatis aut de recursu querimoniae contra sententiam rotalem, ejus cassatione postulata, quod sententia nulla fuerit; 4.° de expostulatione pro restitutione *in integrum* adversus rotalem sententiam quae in rem judicatam transierit; propter eaque appellari non potest, neque argui nullitatis, etiamsi laesiva habeatur; 5.° de recursibus adversus sententias rotales in causis matrimonialibus quas ad novum examen S. Rota admittere renuit; quaeque ex iis sunt quae nunquam transeunt in rem judicatam. In tribus his postremis casibus Signatura nullitatis declarationem, item restitutionem, concedit solum aut denegat, recursum admittit aut rejicit, causam denuo ad Rotam remittit, ut secundum jus procedat, nisi Sanctissimus aliter providerit. 6.° Tandem etiam potestate ordinaria videt de conflictu competentiae quem enasci contingat inter duo tribunalia inferiora, cum tribunal, ubi causa promota est, aliud superius praeter S. Sedis non habet , neque adest in regione ejus Legatus qui possit controversiam definire (*can.* 1603, § 1; 1604, §§ 1-9).

565. — Haec omnia ad potestatem *ordinariam* Signaturae pertinent, quippe quae creata est supremum Ecclesiae tribunal.

At facultate, qua fideles gaudent, causarum contentiosarum ad S. Sedis cognitionem, etiam in prima instantia, deferendarum, efficitur ut Papa de precibus quae fiunt ad ipsum debeat decernere. Ad hunc finem Signatura Apostolica constituta est tanquam tribunal *delegatum*, ut sententiam ferat de convenientia committendi Romanae Rotae harum causarum diremptionem (*can.* 1603, § 2; 1604, § 4); quam sententiam ad Sanctissimum defert, ut ille de rescripto commissionis definiat (1).

566. — Supremi Tribunalis Signaturae sententiae suam vim habent, quamvis rationes in facto (resultandos) et in jure (considerandos), quibus innititur, non contineant (*can.* 1605, § 1). Nihilominus sive ad instantiam partis sive ex officio, si res postulet, Supremum Tribunal edicere potest ut praedictae rationes exponantur secundum regulas Tribunalis proprias (*Ibid.*, § 2).

CAPUT IV

DE TRIBUNALI DELEGATO

567. — I. Delegati judices servare tenentur regulas statutas in can. 199-207, 209 (*can.* 1606), qui exponuntur *vol.* 1, *nn.* 368-376.

II. A judicibus delegatis nusquam in Codice dotes peculiares exiguntur; attamen Ordinarii, quibus est facultas eos nominandi, ex generali juris principio debent ad hoc munus personas creare habiles et officio dignas, neque possunt nisi clericos delegare; alios, esset contra principium juris publici ecclesiastici. Judices vero ab Ordinario delegati jubentur in suo tribunali uti ministris Curiae dioecesanae, non aliis, nisi Episcopus in aliquo peculiari casu ob gravem causam ita constituendum decreverit (*can.* 1607, § 2); sed judices a Sancta Sede delegati uti possunt ministris in Curia constitutis aliisve quibuscumque, nisi ab delegante aliud cautum sit (*Ibid.*, § 1).

---

(1) De origine, constitutione, competentia et modo practico procedendi Signaturae Apostolicae, cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, *nn.* 1006, 1034. Videantur etiam «Regulae servandae in judiciis apud supremum Apostolicae Signaturae tribunal», v. gr. apud *Wernz*, Jus Decret., *vol.* 5, *tom.* 2, append. IV, *pag.* 211 *seq.*

TITULUS III

De disciplina in tribunalibus servanda

CAPUT I

DE OFFICIO JUDICUM MINISTRORUMQUE TRIBUNALIS

568. **Judicis obligationes. I. Ejus competentia.** — Primum judicis officium est, ut *se faciat de sua competentia certiorem* in causa de qua agitur. Quod si incompetentem absolute agnoscet, abstinere debebit a causa suscipienda vel, quovis in stadio erit, prosequenda (*can.* 1609, 1611); contra, judex certo et evidenter competens, officium partibus recusare non potest (*can.* 1608). Quod si recuset, obligatur ad damna et nocumenta resarcienda; ad quae tenetur etiam judex qui se temere competentem declaravit, cum non esset. Praeterea uterque poenis ecclesiasticis puniri potest, non exclusa officii privatione (*can.* 1625).

Si propter incompetentiam absolutam debet judex etiam ab officio abstinere, potest opponi relativa per inhibitoriam a judice, cujus competentia usurpata est vel a partibus vel a litigantibus qui non obligantur ut sese subjiciant jurisdictioni judicis relate ad ipsos incompetentis, et adversus quem exceptione declinatoria fori gaudent.

II. **A quibus causis ei sit abstinendum.** — Etiamsi judex competens sit, non debet suscipere causam cognoscendam in qua antea advocatum aut procuratorem egerit; hi enim sunt tituli, quibus merito homines in suspicionem inducuntur, judicem aequum non futurum, eo quod facile inclinabit in partem, quam quondam susceperit defendendam. Simili suspicioni obnoxius est in iis causis in quibus ratione cansanguinitatis vel affinitatis (in quolibet gradu lineae rectae et in primo et secundo lineae collateralis), vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, manifestae simultatis vel lucri faciendi damnive patrimonialis vitandi, aliquid ipsius intersit (*can.* 1613). Si qua causa exsistit ex iis quae dictae sunt (1), propter quas judex fit suspectus, hunc si a judicio

---

(1) Etsi legislator in hoc can. 1613 locutionibus satis generalibus usus est quaeque ob earum generalitatem possunt facile comprehendere omnes rationabiles causas ob quas judex possit recusari ut suspectus, non tamen videtur ejus mens fuisse ut taxative omnes recusationis causas definiret. In regulis quae traduntur a supremo tribunali Signaturae Apostolicae, *art.* 2, numerantur inter causas, quibus Auditor Rotae recusari

non abstineat, partes jus habent eum recusandi per exceptionem declinatoriae similem, quae cum sit dilatoria, qualis est exceptio competentiae, ante litis contestationem proponenda est. Eadem exceptio opponi potest contra fiscalem, defensorem vinculi, auditores ceterosque tribunalis administros qui, ratione officii et propter studium sive favorem erga aliquos, possunt inclinare judicem in alteram partem, ut apparet ex can. 1614, § 3.

III. Quod se judex competentem declaret nullam facessere difficultatem potest, hoc enim nihil refert ipsius judicis. Unde nihil rationi congruentius quam ut ipse judex contra quem opponitur exceptionem incompetentiae a partibus allegatam dirimat (*can.* 1610, § 1); at eadem ratio, qua tribuitur partibus jus recusandi judicem ut suspectum, eo quod directe aut indirecte ipsi intersit se praebere benevolum erga alterum ex litigantibus, impedit quominus rationabiliter admitti talis judex possit ut de causa aut de recusationis justitia sententiam ferat; nam in hujusmodi judicio judex etiam pars quodammodo esset.

569. — Hac de causa sic a Codice statuitur: 1.° Si judex qui recusatur est Auditor Sacrae R. Rotae, recusatio definienda est a Signatura Apostolica; si est Ordinarius, suspicionis definitio committi tribunali immediate superiori debet, quod jus habebit alium judicem non suspectum subrogandi (nisi ipse Ordinarius maluerit abstinere ab interveniendo in causa ubi recusatur, ut ab ordinario tribunali dioecesano definiatur). 2.° Si judex recusatus est dioecesis judex ordinarius (Vicarius Generalis, officialis aut viceofficialis), Episcopus definit aliumque judicem subrogat, si causa est legitima. Idem dicendum, si exceptio proponitur contra collegii sive tribunalis collegialis omnes aut aliquos judices; ad Ordinarium enim spectat cognoscere de causa recusationis, in locumque judicum qui suspecti declarati sunt alios a suspicione immunes subrogare; nam recusatio mutare non debet judicii gradum aut instantiam, ut fit in appellatione, sed admittere tuerique jus sensus communis quo unaquaeque pars gaudet, ut ne judicetur a judice qui alteri parti faveat, vel suspectus sit, vel cujus

---

potest tanquam suspectus, nonnullae quae nostro canone non recensentur. Neque Jus Decretalium affert harum causarum enumerationem taxativam (cfr. *cap,* 36, 61, X, *de appellat.,* II, 28); sed aliquas singillatim cum notet, addit nonnullas locutiones quae causas omnes rationabiles complectuntur, ut *alia legitima causa, causa justae suspicionis.* Atque haec etiam erat communis doctrina canonistarum in jure antiquo (cfr, *Wernz,* Jus Decret., *vol.* 5, *n.* 114), ad cujus normam agendum est secundum can. 6 Codicis, cum manifeste jus diversum non statuitur. Idem eruitur ex comparatione can. 1613 cum sequenti, ubi sermo est de judice *suspecto,* nulla mentione facta causarum de quibus canon superior. Sed antiquum jus et novum eo videntur differre, quod ex novo judex, in quo insit causa aliqua de quibus canon 1613, abstinere debet ab officio causae cognoscendae; quod minime in jure antiquo locum habebat (*Wernz,* l. c.); sed quamvis subjectus non sit huic obligationi, per exceptionem tamen partium recusari potest, cum adest alia causa justa et rationabilis quae judici qui debet de causa accusationis cognoscere aestimanda relinquitur.

aliquid intersit ratione simultatis vel animi malevoli erga illam aut contra benevoli in adversarium. 3.° Si exceptio proponitur contra judicem delegatum in causa unicum, exceptio definienda est a delegante; item, si agitur de tribunali collegiali, ubi major pars judicum recusatur. At si proponitur exceptio contra unum ex pluribus judicibus tribunalis collegiati, etsi Collegii praesidem, definiendum est a ceteris judicibus delegatis et non suspectis nec recusatis. Idem tene quoties plures recusentur, si tamen non recusati ii plures numero sunt quam recusati, v. gr., si in Collegio quinque judicum duo solum recusantur. Et deleganti competit vel alium delegatum subrogare vel mere excludere collegiales recusatos, si jus permittit causam minori judicum numero committendam. 4.° Si exceptio suspicionis opponitur contra promotorem justitiae, defensorem vinculi aut alios tribunalis administros, ut Auditorem, de hac exceptione videt praeses in tribunali collegiali, vel judex unicus in unipersonali (*can.* 1614, § 3). Exceptione admissa, est praesidis vel judicis qui de ea cognovit sibi alium ministrum assumere pro recusato, si alii sunt permanenter in Curia constituti; secus substituendus ab Ordinario (*can.* 1614, 1615).

570. — Semper autem exceptio suspicionis expeditissime definienda est, neque ab hac sententia locus est appellationi (*can.* 1616, 1880, 7.°). Sufficit partes audire et dictamen fiscalis aut defensoris vinculi, si hi causae intersint, neque suspecti sunt. Quod si sunt, et de causis agitur in quibus interventio sive fiscalis sive promotoris vinculi praescribitur, alil immunes a suspicione, qui dictamen ferant, ab Ordinario videntur subrogandi. Porro sicut judex incompetens aut inhabilis debet a judicio abstinere, ita non potest litigantes admittere cum jus non habent ad judicium veniendi (*can.* 1609, § 2).

571.— Judex in causis criminalibus, immo in contentiosis quae publicum Ecclesiae emolumentum aut salutem animarum respiciunt, gaudet ea facultate quae *officium nobile* dicitur (1), quo functus procedit ex officio, neque necesse est ut ejus ministerium a partibus litigantibus requiratur, consequenterque potest et debet earum defectus supplere, probationes exigendo quas illae propter ignorantiam aut imperitiam minime allegant, rationemque habendo exceptionum quae ipsis jure competunt. At in negotio quod privatorum solummodo interest, sive cum aguntur causae in quibus discutitur interesse privatorum, judex ex *officio mercenario* procedit, i. e. concesso solum quatenus a partibus expostulatum est, quae nisi instassent, judex nihil statuisset, cum careat auctoritate

(1) Vide *Lega,* De judiciis ecclesiasticis, *vol.* 1, *n.* 74 *seq.*

qua partium defectus suppleantur in probationibus afferendis aut exceptionibus allegandis (*can.* 1618, 1619); aliter enim advocatus fieret partis contrariae; in his autem causis munus illius est sententiam pronuntiare ex allegatis et probatis (*can.* 1869, § 2) (1).

572. **Munera.** — Tum judices tum omnes tribunalis administri, occasione agendi judicii, munera quaevis acceptare prohibentur (*can.* 1624).

573. **Causae quamprimum finiendae.** — Curare debent ut quamprimum, salva justitia, causae terminentur, positis diligentissime omnibus actibus judicialibus, sive iis qui ab ipso judice pendent, sive iis qui a litigantibus. In tribunali primae instantiae ultra *biennium* causae non sunt protrahendae, in tribunali vero secundae ultra *annum* (*can.* 1620).

574. **Jusjurandum. Quando, quomodo et a quibus sit praestandum.** — *a*) Tum judex, modo ne sit Ordinarius, tum tribunalis administri jusjurandum de officio rite et fideliter implendo praestare debent (*can.* 1621, § 1), idque ab initio suscepti officii, si sunt stabiles, aut antequam causa agatur, si pro peculiari aliqua causa sunt constituti (*Ibid.*).

Praestandum verum est coram Ordinario vel coram judice a quo electi sunt, vel coram viro ecclesiastico ab alterutro delegato (*Ibid.*).

b) Etiam judex a Sede Apostolica delegatus et judex ordinarius in religione clericali exempta idem jusjurandum praestare tenentur cum primum tribunal constituitur, adstante ipsius tribunalis notario, qui de praestito jurejurando actum rediget (*Ibid.*, § 2).

c) Quotiescumque jusjurandum praestatur sive a judicibus aut tribunalis administris, sive a partibus, testibus, peritis, semper emitti debet praemissa divini Nominis invocatione et a sacerdotibus quidem, tacto pectore, a ceteris fidelibus, tacto Evangeliorum libro (*can.* 1622, § 1).

d) Jusjurandum a partibus, testibus et peritis secundum formulam a judice praescriptam praestari debet coram eodem judice aut ejus delegato, adstantibus partibus quarum intersit jusjurandum praestare (*can.* 1622, § 3). Judex autem eos omnes regulariter debet commonefacere tum de sanctitate actus et de gravissimo delicto quod admittunt jurisjurandi violatores, tum etiam de poenis quibus obnoxii fiunt qui falsum in judicio jurati affirmant (*Ibid.*, § 2).

---

(1) Non tamen existimamus ex aequitate canonica, quae semper in ecclesiastica potestate etiam judiciali exercenda apparere debet, hanc prohibitionem esse strictius et rigurosius intelligendam; aequitas enim canonica exigit ne obrepatur simplicitati circumveniaturque imperitia aut ignorantia unius partis ab altera. Cfr. *Santi-Leitner*, *lib.* I, *tit.* 32, *n.* 19; *Zech*, De judic. eccl., *tit.* 3, de judice; *Pirhing*, *lib.* I, *tit.* 32, i. f.; *Sebastianelli*, De judic. eccl., *pag.* 23; *Lega*, l. c., *n.* 76.

575. **Servandum secretum**. — *a*) In judicio criminali semper, in contentioso autem si ex revelatione alicujus actus processualis praejudicium partibus obvenire possit, judices et tribunalis adjutores tenentur ad secretum officii (*can.* 1623, § 1). Tenentur semper etiam peculiari modo ad inviolabile secretum servandum de discussione quae in tribunali collegiali ante ferendam sententiam habetur, tum etiam de variis suffragiis et opinionibus ibidem prolatis (*Ibid.*, § 2).

b) Immo quoties causae vel probationum natura talis est, ut ex actorum vel etiam probationum tantum evulgatione alicujus fama periclitetur, vel praebeatur ansa dissidiis, aut scandalum aliudve id genus grave incommodum oriatur, judex habet jus adstringendi jurejurando testes, peritos, partes earumque advocatos vel procuratores ad secretum servandum (*Ibid.*, § 3).

c) Evenit hoc generaliter in maxima parte causarum matrimonialium, et saepe saepius in causis criminalibus contra clericos praesertim sacerdotes, in quibus cum jure timetur ne illa incommoda sequantur, judicis jus non pro solo *jure* habendum esse videtur, sed pro *obligatione* secreti exigendi. — Judices qui secreti legem violaverint aut illud revelando aut alios de actis processus secretis certiores faciendo, severe puniendi sunt multa pecuniaria aliisque gravioribus poenis, privatione officii non exclusa, si ita res postulat, salvis peculiaribus statutis, quibus graviores poenae praescribuntur (*can.* 1625, § 2). Eisdem sanctionibus subsunt tribunalis officiales et adjutores; quos omnes etiam judex punire potest (*Ibid.*, § 3).

576. **Damna a judice reparanda**. — Judices qui, cum certe et evidenter competentes sunt, de causa cognoscere recusant, vel qui temere se competentes declarant, vel qui ex culpabili negligentia aut dolo actum nullum vel injustum ponunt aut aliud litigantibus damnum inferunt, praeter civilem obligationem de reparando damno, incidunt etiam in criminalem imputabilitatem, possuntque puniri non modo ad instantiam partis sed etiam ex officio, congruis poenis pro gravitate culpae, non exclusa officii privatione. Jus puniendi judices inferiores Ordinario, Ordinarium puniendi Sedi Apostolicae competit (*can.* 1625, § 1).

577. **Actoris cautio**. — Tandem ad jus et obligationem judicis impediendi quominus actor processu solum utatur ad reum conventum vexandum, pertinet facultas quae ei conceditur in can. 1626, ob quam actorem adigere potest ad congruam cautionem praestandam pro sententiae exsecutione, cum praevidet eum probabiliter spreturum esse sententiam in ipsum prolatam et idcirco conventi juribus non satis consultum iri. Exigi cautio potest vel ex officio vel ad partis instantiam.

CAPUT II

DE ORDINE QUO DE CAUSIS EST COGNOSCENDUM

578. I. **In diversis causis.** — Hic ordo referri potest ad causas a diversis personis propositas; tunc vero *ordo praelationis* a *praesentationis ordine* definitur. Qui solum per **exceptionem** immutari potest, scil. cum aliqua causa expeditam celeremque prae ceteris absolutionem exigit; quod quidem peculiari decreto a tribunali statuendum est (*can.* 1627).

II. **In eadem causa.** — Quod ad varias quaestiones attinet quae in una eademque causa possunt occurrere, Codicis praescripta his principiis comprehendi possunt:

1.° **Exceptiones dilatoriae,** quae respiciunt personas (1) aut formam sive modum judicii (2), proponendae sunt et cognoscendae *ante contestationem litis* (*can.* 1628, § 1). Sunt tamen aliqui casus excipiendi: *a*) si causa qua exceptio nititur contestata jam lite emersit (*Ibid.*), v. g., si actor reum spoliavit, aut excommunicationem incurrit post contestationem; *b*) si pars, quae exceptionem proponit, jurejurando affirmat sibi ante non innotuisse causam in qua exceptionem fundat (*Ibid.*); *c*) si incompetentia judicis *absoluta* in quovis statu et gradu causae opponitur (*Ibid.*, § 2). *d*) Pariter exceptio excommunicationis opponi potest in quolibet judicii statu et gradu, dummodo ante sententiam definitivam (*Ibid.*, § 3). Immo si agatur de excommunicatis vitandis, aut toleratis contra quos sententia condemnatoria vel declaratoria lata sit, ii ex officio semper excludi debent, neque ad exclusionem partis instantia opus est (*Ibid.*).

2.° **Exceptiones peremptoriae** quae dicuntur *litis finitae*, quia causae finem afferunt, veluti exceptio rei judicatae, transactionis, etc., *a*) proponi et cognosci debent ante contestationem litis (*can.* 1629, § 1), quandoquidem impediunt quominus lis incipiat, cum id quod semel judicatum est, novo judicio non sit subjicien-

(1) *Exceptio* latiore sensu est omne defensionis medium quod reo convento competit. Sensu stricto est exclusio actionis ab actore intentatae qua conventus hanc omnino elidit aut saltem retardat. Quare dividuntur in *peremptorias* sive perpetuas et *dilatorias* sive temporales. Dilatoriae hae sunt: declinatoria propter unius judicis incompetentiam vel alterius praeventionem, recusatoria, excommunicatoria contra judicem vel actorem, ea quae opponitur contra procuratorem partis quae legitimum mandatum non afferat, etc.

(2) V. gr., exceptio diei feriati vel loci, defectus legalis in modo litis proponendae, exceptio qua omnia acta superiora nulla declarantur.

dum; secus lites essent perpetuae (1). *b*) Si jam antea non erant oppositae, non sunt absolute rejiciendae (*Ibid.*) (hoc enim oriri ex ignorantia vel inadvertentia potest, quae non satis sunt ut aliquem suo jure privent) sed reus obligandus est ut actoris expensis satisfaciat, nisi probet se oppositionem malitiose non distulisse (*Ibid.*).

c) Aliae exceptiones peremptoriae in quovis judicii stadio proponi possunt, dummodo ante sententiam definitivam et post contestatam litem (*Ibid.*, § 2) (2). Tractandae igitur sunt tanquam quaestiones incidentes (*Ibid.*).

3.° **Actiones reconventionales**, i. e. reciproca petitio quam facit reus actori aliquid ab eo vicissim exigens, etsi utiliter quovis judicii momento, ante sententiam tamen, proponi possunt, utilius in contestatione litis proponuntur (*can.* 1630, § 1); communiter enim debent definiri eodem tempore quo actio principalis definitur, et in eadem sententia dirimi, nisi eas separatim cognoscere necessarium sit aut judex opportunius existimaverit (*Ibid.*, § 2) (3).

4.° Si quaestio suboriatur de deposito quod tribunal jus habet exigendi ad processus expensas, aut de defensione pauperis ab aliquo ex litigantibus petita aut de aliis similibus, generatim ante litis petitionem definienda est (*can.* 1631) (4).

5.° Tandem quoties in judicii decursu quaestio suboriatur **praejudicialis**, id est, ejusmodi ex cujus solutione pendeat solutio quaestionis principalis, vel talis quaestio quae utilis sit ad principalem vel ad incidentem definiendam, illa ante omnia a judice cognoscenda est (*can.* 1632, 1633, § 1). Ita, si causa agitur de hereditate, quaestio est praejudicialis; unde praevia est ea qua quaeritur num una ex partibus heres reapse sit. Si de spolio incidit quaestio, haec ante omnia est dirimenda ex axiomate juridico: *spoliatus ante omnia est restituendus* (*can.* 1633, § 3) (5).

579. — Quaestiones *incidentes* quae nullo nexu logico inter se aut cum principali cohaerent, sunt definiendae ordine temporis quo propositae sunt (*Ibid.*, § 2).

---

(1) Post causam judicatam jam amplius quaeri non potest utrum res debeatur necne, sed utrum quaestio judicata necne sit.

(2) Ante litis contestationem inutilis est earum oppositio, non enim de materia controversiae constat. Post sententiam causa definita manet, immo facta probationum publicatione causaque declarata finita, neque probationes admittuntur neque defensiones; unde tempus aptum ad exceptiones opponendas exspiravit. Sententia lata, manet recursus appellationis, querela nullitatis aut restitutio *in integrum*, secundum casus. Non tamen excluduntur exceptiones quae ad exsecutionem referuntur, ut esset in clerico exceptio privilegii quod dicitur *beneficium competentiae* ad normam can. 122 (Vide *vol.* 1, *nn.* 273, 274).

(3) Talis esset casus in quo altera ex duabus causis ab actione et reconventione exortis, esset ex illis quae majorem celeritatem exposcunt, aut maxime ardua et difficilis.

(4) Vide hac de re *Gómez Salazar*, Procedimientos eclesiásticos, *vol.* 2, *pag.* 257 *seq.*, ubi inter alia notatu digna, notantur injustitiae legislatoris civilis in societates ecclesiasticas.

(5) Consequenter ad jus constitutum de ordine quo diversae quaestiones cognoscendae sunt et definiendae, partes per exceptionem opponi possunt quominus hic ordo in earum nocumentum immutetur.

CAPUT III

DE DILATIONIBUS ET TERMINIS (1)

580. — De **dilationibus** aut **terminis** in genere haec in Codice invenies, breviter exposita: 1.° *a*) Termini a lege constituti ad jus exercendum ut peremptorii ejusdem juris (*fatalia legis*), prorogari a judice non possunt (*can.* 1634, § 1), v. gr., decem dies ad appellandum a lege concessi.

b) Extra hunc casum, in omnibus actibus processualibus quilibet termini judiciales et conventionales possunt a judice prorogari sive petente sive audita parte quae justam causam allegat, etiam alia justa causa intercedente (*Ibid.*, § 2). Hic judicis est in hac parte efficaciter impedire abusus, v. gr., advocatorum (*Ibid.*, § 3), qui volunt dilationibus litem indefinite prorogari.

Neque tamen quia obrepere possunt abusus, quos impedire integrum est judici, reprehendenda est libertas quam novum jus concedit, quod in hac re canonicae accommodatur aequitati, quae propter causarum diversitatem hanc amplitudinem requirit; multoque minus subjiciendi litigantes sunt angustis limitibus legis civilis, quae omni vi canonica caret, quamque serviliter imitans, posset judex partibus nocere.

2.° Si dies, pro actu judiciali indicta, sit feriata, terminus intelligitur prorogatus ad primam sequentem diem non feriatam, nisi in decreto judicis dicatur expresse contrarium (*can.* 1635).

CAPUT IV

DE LOCO ET TEMPORE JUDICIORUM

581. — I. Communiter **locus** judiciorum sive tribunalium est territorium judicis; hic enim est modus ordinarius quo Superioribus limitatur in foro externo jurisdictio inferior et R. Pontifici subordinata; ubi valet etiam pro foro ecclesiastico in jurisdictione

(1) Etsi non raro dictiones *terminus* et *dilatio* in jure processuali habentur synonymae, proprie tamen *terminus* dicitur, cum dies aut hora assignatur quibus actus processualis ponendus est; *dilatio* vero, cum indicitur temporis intervallum intra quod actus judicialis est peragendus, v. gr., appellatio intra decem dies post sententiam prolatam. Varias dilationum divisiones vide apud *Wernz,* Jus Decret., *vol.* 5, *n.* 328 *seq.; Lega,* De judic. eccles., *vol.* 1, *n.* 367 *seq.*

contentiosa exercenda principium a Romano legislatore prolatum: «extra territorium jus dicenti impune non paretur». (L. 20, D. *de jurisd.* II, 1; cap. 2 *de const.* I, 2, *in Sext.*).

Episcopus igitur in quolibet suae dioecesis loco, qui non sit exemptus, jus habet tribunal erigendi. Nihilominus penes suam sedem aulam statuat oportet, quae sit ordinarius judiciorum locus; ibique Crucifixi (auctoris Ecclesiae supremique legislatoris et judicis omnium) imago eminere debet, et adesse supra mensam Evangeliorum liber (ad praestandum jusjurandum) (*can.* 1636).

II. **Casus in quo Episcopus extra proprium territorium sententiam ferre potest.** —Per exceptionem Episcopus vi expulsus e dioecesi sua vel a jurisdictione ibi exercenda impeditus, potest extra dioecesim jurisdictionem suam exercere et sententiam ferre, certiore tamen hac de re facto loci Ordinario (*can.* 1637).

582. —I. Ad **tempus** quod attinet, competit Ordinario dies et horas definire, pro loci ac temporum adjunctis opportunas, quibus tribunal adiri regulariter possit. Ne vero illud tempus ad tribunalis arbitrium cum litigantium detrimento statuatur, publico decreto est definiendum (*can.* 1638, § 1), ita tamen ut justa de causa liceat fidelibus quovis tempore judicis ministerium in sui juris vel boni publici tutelam invocare (*Ibid.*, § 2).

II. Ex Codice dies festi de praecepto (vide *n.* 174) et ultimi *tres dies hebdomadae sanctae feriati* habentur, in quibus actus processuales vetiti sunt, nisi necessitas, caritas aut bonum publicum aliud postulent (*can.* 1639, § 1), judice ita statuente.

CAPUT V

DE PERSONIS AD DISCEPTATIONEM ADMITTENDIS ET DE ACTIS CONFICIENDIS ET CONSERVANDIS

583. — *a*) Multum aetate nostra de audientiarum, quas vulgo etiam *vistas* dicimus, oralium et publicarum necessitate disceptatum est, tanquam hoc esset unicum medium ad bene justitiam administrandam, etsi non defuerunt insignes legis periti qui illius exaggerationes impugnarint, cum probarent eas solido fundamento juridico carere (1).

b) Codex, ad cujus redactionem, maxime in re processuali, ratio specialis habita est de doctrina communiter a juris consultis recepta qui sectarum spiritu minime sunt imbuti, deque ea quae sanctionem a codicibus processualibus recentioribus accepit, pe-

---

(1) Vide *Wernz,* Jus Decret., *vol.* 5, *n.* 351 *seq.; Lega,* De judic. eccl., *vol.* 1, *n.* 391 *seq.*

culiarem judiciorum ecclesiasticorum servat characterem, mediam ingressus viam, cum hinc exigat ut omnes actus judiciales conscribantur, inde vero admittat coram tribunali omnes et solas personas quarum praesentia necessaria est aut peropportuna ad facta illustranda, cumque etiam permittat ut acta videri ad trutinamque revocari possint a litigantibus eorumque procuratoribus et advocatis, eaque iis substrahat quorum nihil interest litigare.

c) Re quidem vera indoles particularis et materies saepe spinosa plurimarum causarum quae in judiciis ecclesiasticis disceptantur, ut maxima pars causarum matrimonialium (1), exigit propter adjuncta, saepe etiam propter justitiam, ut in earum divulgatione caute omnino procedatur; nec potest ab Ecclesia probari divulgatio scandali quae fit per libros et folia periodica cum tanto animarum detrimento, quandoquidem ejus munus et officium est illud radicitus eruere et exstirpare, immo adhibitis poenis reprimere et coërcere. Neque potest Ecclesia non se totis viribus opponere insanae insatiabilique lubidini rerum novarum cognoscendarum, quae alitur augeturque et audiendis et enarrandis flagitiis familiarumque rumoribus ac susurrationibus ultro citroque deferendis; nedum videre possit scandali divulgationem adhiberi tanquam artem implendi arcam denariorum a scriptoribus qui parum de conscientia curant. Ut Ecclesia saeculis superioribus, praesertim aetate media, aeternorum justitiae principiorum proclamatione ad jus poenale et processuale populorum barbarorum, qui se in ejus sinum amplexumque recipiebant, maxime contulit; sic aetate nostra populis reique publicae gubernatoribus imbutis liberalismo, veritati confisa, Codicem exhibet, multa eos de juris principiis edocens, a quibus exempla sumantur (2).

584. — Itaque Codex praescribit *a*) ut extranei a causis arceantur iique tantummodo adsint quos ad processum expediendum judex necessarios esse judicaverit (*can.* 1640, § 1); *b*) item ut si alicui actui processuali interveniat persona linguae loci ignara et judices ac partes linguam hujus personae propriam non intelligant, interpres juratus et a judice designatus adhibeatur, contra quem alterutra pars legitimam exceptionem non proposuerit (*can.* 1641).

c) Ab omnibus judicio assistentibus obedientia et reverentia judici debetur. Si quis autem in id peccaverit, potest ab eo censuris quoque aliisve congruis poenis ad officium reduci etiam illico et incontinenti. Advocati praeterea et procuratores etiam jure alias causas apud tribunalia pertractandi privari possunt (*can.* 1640, § 2).

Ita armatus judex sapiens et integer non equidem angustos limites legis civilis processualis ad audaciam advocatorum procuratorumque frenandam desiderabit. Jam velle in Hispania his limitibus circumscribi, ad nihil aliud revera confert quam ad Ecclesiae independentiam pedetentim renuntiandam.

---

(1) Vide instructionem S. C. de Prop. Fide ad processum canonicum in causis matrimon., § 12, 21, in Concilio Plenario Baltimorensi, III, *pag.* 264 *seq.*

(2) Vide *Mattirolo,* Trattato di diritto giudiziale italiano, *vol.* 3, *n.* 473 *seq.; Zachariae,* Haudb. d. deuts. Strafprocesses, §§ 12, 13, 14.

585. — I. **Acta** omnia judicialia, sententia, probationes, citationes, intimationes, etc., scripto redacta ab actuario esse debent (*can.* 1642, § 1); debent autem lingua latina, nisi justa causa aliud suadeat; sed interrogationes (positiones, articuli et capitula) et responsiones testium, aliaque similia, lingua vernacula confici debent (*Ibid.*, § 2).

II. Singula folia processus, in quibus acta scribuntur, numeranda sunt; et actuarii subscriptio cum sigillo tribunalis apponenda in unoquoque folio (*can.* 1643. § 1). Etiam apponenda subscriptio actuarii et praesidis tribunalis singulis actis completis vel interruptis seu ad aliam sessionem remissis (*Ibid.*, § 2). Declarationes partium et testium cum sunt a declarante subscribendae, si is hanc subscriptionem facere *nequeat* vel *nolit*, id ipsum actis est adnotandum, simulque judex et actuarius de re fidem facere debent actum ipsum de verbo ad verbum parti aut testi perlectum esse (*Ibid.*, § 3).

III. *a*) In casu appellationis, actorum originalium integra et fidelis transcriptio in fasciculum religata, cum indice omnium actorum et documentorum et cum testificatione actuarii de illorum fideli transcriptione et integritate, ad superius tribunal mittenda est (*can.* 1644, § 1).

b) Si exemplaria sine gravi incommodo exscribi nequeant, mittenda sunt cum opportunis cautelis acta ipsa originalia (*Ibid.*).

c) Si in tribunali superiore non erit cognita vernacula lingua qua illa exemplaria scripta sunt, mittenda est transcriptio in linguam latinam, de cujus fideli translatione etiam actuarius fidem faciat (*Ibid.*, § 2). Quod est faciendum, si agitur de lingua hispana, quae non admittitur a Curiae R. Congregationibus aut Tribunalibus, nisi mercede accepta pro versione. Quare expeditius est, parsimoniaeque magis consulitur, si documenta latine scripta mittuntur.

d) Si acta debita forma et charactere confecta non sunt, a judice superiore repelli possunt; ii autem quibus culpa imputanda est, acta suis impensis denuo debent conficere et mittere (*Ibid.*, § 3).

586. — *a*) Judicio expleto, instrumenta et cetera documenta a partibus allata, iis restitui debent (1), nisi in criminalibus, bono publico ita exigente, judex aliquod retinendum censuerit (*can.* 1645, § 1); *b*) documentum autem quod retinetur in archivo Curiae sive publico sive secreto deponendum est, prout ejus natura exigit (*Ibid.*, § 2).

---

(1) Memoria tenendum est Curiam Romanam (Tribunalia et Congregationes) non solere acta neque his adnexa documenta remittere; unde cum ad eam acta mittuntur, asservetur oportet aut archetypum aut transcriptio authentica.

c) Notarii, actuarii et cancellarius sine judicis mandato tradere prohibentur exemplar actorum judicialium et documentorum quae sunt processui acquisita (*Ibid.*, § 3).

d) Anonymae epistolae quae nihil ad causae meritum conferunt, et scripta quaevis etiam subscripta quae sint certo calumniosa, sunt destruenda (*Ibid.*, § 4), nisi documenta sint a partibus allata, et natura sua reddenda.

TITULUS IV

De partibus in causa

CAPUT I

DE ACTORE ET DE REO CONVENTO

587.—In omni judicio contentioso tres saltem personae adesse debent: *judex, actor, reus. Actor* (el demandante) rem petit, quam omnino vel ex parte negat *reus* conventus (el demandado); aliter enim non posset judicium haberi, cum controversia deesset. Controversiam judex dirimit concedendo aut denegando actori omnino vel ex parte id quod ab eo petitur. Ceteri vel judicis vel litigantium auxiliares sunt. Cum jam de judice ejusque praecipuis officiis, tum de personis quae intersunt tribunali tanquam illius auxiliares egerimus, reliquum est ut hoc loco, ordini Codicis adhaerentes, de partibus dicamus et de iis qui earum vices in judicio agunt, aut eis sunt auxilio.

588. I. **Quinam personam habeant ut judiciis adesse possint**. — *a*) Generatim omnes Ecclesiae subditi personam habent ut agere in judicio possint, iis demptis qui a lege excluduntur (*can.* 1646). Aequitas ipsa naturalis facultatem tribuit ut unusquisque possit, velut actor, jus suum vindicare, petens quod sibi debetur, itemque, velut reus conventus, actiones repellens quae in eum intenduntur. *b*) De cetero ipsum fundamentum quo innititur potestas judicialis, probat reum adesse debere judicio, si legitime citetur (*Ibid.*). *c*) Licet actor et reus conventus procuratorem vel advocatum constituerint, semper tamen tenentur in judicio ipsimet adesse ad praescriptum juris vel judicis (*can.* 1647).

589. II. **De excommunicatis**.— *a*) Praeter illos qui ipso jure naturali excluduntur, quia ratione carent, Codex arcet a judicio, tanquam *actores*, **excommunicatos** *vitandos*, item *toleratos*, cum excommunicatio lata est per sententiam judicis condemna-

toriam, aut cum per judicialem declarata est excommunicatio (*can.* 1628, § 3) *ipso jure* incursa (1), nisi agatur *a*) de justitia excommunicationis vel legitimitate impugnanda; tunc enim tribunal adire ipsi possunt, se defendendi gratia (*can.* 1654, § 1). Si tamen agitur de alio damno animae vitando, per procuratorem adesse debent (*Ibid.*) (2); alias carent persona tanquam actores, et sunt ex officio rejiciendi (*can.* 1628, § 3).

b) Ceterum compelli possunt ad judicium tanquam rei in causa criminali; tanquam conventi, in contentiosa; secus excommunicatio esset illis percommoda; ut si quis v. gr. fraudulentus non posset, excommunicationis causa, in judicium citari, ad aes alienum solvendum. (Vide *cap.* 7, X, *de judiciis*, I, 2).

c) Ceteri excommunicati, id est, qui tales sunt *ipso jure*, nulla accedente declaratoria sententia incursae excommunicationis, judiciis adesse absolute possunt (*can.* 1654, § 2).

Attamen contra ita excommunicatum qui judicio interest ut actor, posse reus conventus videtur exceptionem ad eum repellendum efficaciter opponere, cum can. 1628 indiscriminatim ad eos qui judicio intersunt, non ad solum judicem referri videatur (3). Hoc autem erat jus praecedens, quod esse mutatum liquido non apparet (4114). (Vide *cap.* 21, § 2, X, *de offic. et potest. judic. deleg.* I, 29; *cap.* 2, X, *de except.* II, 25; *cap.* 1, *de except.* II, 12, in Sext.; *cap.* 2, *de sent. excomm.* V, 11, in Sext.).

590. **Quinam per alios judicio adesse possint.** — Hujusmodi limitationes, potius quam in personis, fiunt a Codice in modo, sive in exigendo aliorum praevio consensu aut licentia. Codicis principia possunt his capitibus breviter concludi (*can.* 1648 *seq.*):

1.° Pro **minoribus** (minus viginti et unum annos natis), sive actoribus sive reis conventis, et iis qui **rationis usu destituti sunt**

---

(1) In jure antecedente excludebantur ex officio excommunicati vitandi propter obligationem eorum communionem forensem vitandi; tolerati poterant per exceptionem rejici. At mutato a Codice conceptu excommunicati vitandi (*can.* 2258; const. Martini V *Ad evitanda*) atque hoc accepto criterio generali, scil. ad effectus excommunicationis qui spectant ad forum externum et ad alios fideles, necessariam esse et sufficientem sententiam condemnatoriam aut declaratoriam (*can.* 2259 *seq.*), antiqua disciplina debuit in hoc etiam mutari.

(2) Exceptiones hae duae admittebantur etiam in jure superiore. Vide *Schmalzgrueber, lib.* I, *tit.* 1, *n.* 34; *Wernz, vol.* 5, *n.* 168.

(3) In citato can. 1628, § 3, exceptio excommunicationis opponitur potius tanquam medium actoris repellendi; nam vitandi et tolerati contra quos sententia condemnatoria vel declaratoria lata est, dicuntur *ex officio* excludendi, quae locutio ad judicis officium evidenter spectat, cujus officia in toto capite explicantur. Ergo etiam cum dicitur in quolibet judicii statu vel gradu, dummodo ante sententiam definitivam, exceptionem posse in excommunicatum opponi, jus declaratur unius ex partibus in aliam, cui deferre judex debet, etiamsi non agatur de excommunicatione quae publica juridice facta sit per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam. Exceptionem probare illius erit qui illam opposuerit; excommunicati vero, per legem a tribunalis aditu non exclusi, erit uti hoc jure, absolutionem a censura sibi comparando.

(infantibus, amentibus et furiosis) agere et respondere tenentur eorum parentes aut tutores vel curatores (*Ibid.*, § 1). Si judex existimabit ipsorum jura esse in conflictu cum juribus parentum vel tutorum vel curatorum, aut ipsos tam longe distare a parentibus aut tutoribus vel curatoribus, ut hisce uti aut minime aut difficulter liceat, tunc jus habet peculiarem curatorem nominandi qui pro ipsis stet in judicio (*Ibid.*, § 2).

Sed in causis spiritualibus et cum spiritualibus connexis, si minores usum rationis assecuti sunt, agere et respondere queunt sine patris vel tutoris consensu; et quidem si aetatem quattuordecim annorum expleverunt, etiam per seipsos; secus per tutorem ab Ordinario datum, vel etiam per procuratorem a se Ordinarii auctoritate constitutum (*Ibid.*, § 3).

2.° *a*) **Bonis interdicti, et ii qui minus firmae mentis sunt**, stare in judicio per se ipsi possunt tantummodo ut de propriis delictis respondeant, aut ad praescriptum judicis: in ceteris agere et respondere debent per suos *curatores* (*can.* 1650).

b) Animadvertendum hic est curatorem a civili auctoritate alicui datum non posse agere in foro ecclesiastico; qui ut possit, debet accedere consensus Ordinarii proprii illius cui datus est (*can.* 1651, § 1). Sed Ordinarius potest etiam alium curatorem constituere pro foro ecclesiastico, si, omnibus mature perpensis, id statuendum esse prudenter censuerit (*Ibid.*, § 2).

3.° **Religiosi**: *a*) generatim sine Superiorum consensu non habent personam standi in judicio (*can.* 1652). Exigit hoc subordinatio debita Superiori, cui se gubernandos tradiderunt; praetereaque professus a votis solemnibus nec potest bona propria possidere nec obligationes personales firmiter validas contrahere sine licentia Superioris (*can.* 579, 582); professus autem a votis simplicibus prohibetur bonorum suorum administrationem, liberum usum et usumfructum retinere (*can.* 569). Vide etiam praescriptum can. 536 de obligationibus quas religiosi contraxerunt.

b) At hi tres casus a generali principio **excipiuntur**: 1.us Si de vindicandis adversus religionem juribus sibi ex professione quaesitis agitur (*can.* 1652, 1.°); v. gr., de jure in religione perseverandi, aut vocem habendi in actibus capitularibus, etc.—2.us Si religiosus extra claustra legitime moratur (v. gr., studiorum aut negotiorum agendorum (religionis) causa) et jurium suorum defensio urget (*Ibid.*, 2.°); quod videtur ita intelligendum, si tempus non suppetit ut Superior consulatur. Jam in jure superiore communis sententia defendebat, Superioris veniam ad hunc casum praesumi (*Schmalzgrueber*, in *lib.* II, *tit.* 1, *n.* 38). — 3.us Si contra ipsum Superiorem denuntiationem instituere vult (*Ibid.*, 3.°); obligatio enim denuntiandi etiam proprium Moderatorem a communi jure imponitur directe (*Ibid.*, 3.°).

c) Sed communitatis religiosae personam moralem refert Superior, qui tamen non potest nomine illius stare in judicio, nisi ad normam constitutionum (*can.* 1653, § 6).

4.° **Personae morales** minoribus aequiparantur (vide can. 100, § 3, et *vol.* 1, *n.* 221); quare pro ipsis in judicio stare debent qui eas referunt, scil. communitatis moderatores vel administratores. Quod si conflictus adest inter jura personae moralis atque illius qui eam legitime refert, stabit in judicio procurator ab Ordinario constitutus (*can.* 1649).

591. **Ordinarius.** — In specie (*can.* 1653): 1.° *Ordinarii* locorum possunt nomine ecclesiae cathedralis aut mensae episcopalis stare in judicio, scil. ad earum jura defendenda; sed, ut licite agant, debent audire Capitulum cathedrale vel Consilium administrationis eorumve consensum vel consilium habere, quando periculo vertitur sive periclitatur pecuniae summa, pro qua alienanda ad normam can. 1532 eorundem consensus vel consilium requiritur (*can.* 1653, § 1). Vide *n.* 502.

2.° **Beneficiarius.** — Tanquam beneficii tutores, beneficiarii omnes nomine *beneficii* possunt in judicio agere aut respondere, etsi litem inchoare contestarive non debent, *nisi licentiam* obtinuerint *scripto* datam *Ordinarii* loci, aut saltem, si res urgeat, Vicarii foranei ad normam can. 1526 (*can.* 1653, § 2).

3.° **Alii Praelati aut Superiores.**— Praelati ac Superiores Capitulorum, sodalitatum et quorumlibet collegiorum stare in judicio nequeunt, nomine suae cujusque communitatis, tanquam actores aut rei conventi aut tertii oppositores, *sine ejusdem consensu* ad normam statutorum (*Ibid.*, § 3).

In *tribus his casibus*, si is qui vices agit personae moralis sine praescripto consensu aut consilio in judicio egerit, piae causae aut communitati, sive personae morali, jus est contra ipsum ad refectionem damnorum (*Ibid.*, § 4). In casu autem defectus vel negligentiae illius qui administratoris munere fungitur, potest ipse loci Ordinarius per se vel per alium stare in judicio nomine personarum moralium quae sub ejus jurisdictione sunt (*Ibid.*, § 5).

CAPUT II

DE PROCURATORIBUS AD LITES ET ADVOCATIS

592. **Notio.** — Procuratores et advocati partem habent in judiciis ecclesiasticis, tanquam auxiliares litigatorum.

a) **Procurator** dicitur is qui curat negotia alterius, hujus sive

rogatu sive efflagitatu (1). *b*) In negotiis judicialibus *procurator ad lites* est ille qui auctoritate praeditus est ut legitime alterius vices agat in negotio quod in tribunalibus disceptatur. Potest autem necessarius esse aut voluntarius, prout eo uti, aut non, integrum est litiganti.

593. — *a*) **Advocatus** est persona a competente auctoritate ecclesiastica approbata, quae in processibus canonicis jura partium coram judice ecclesiastico per deductiones juris et facti tuetur easque dirigit juridicis consiliis. *b*) Est, ut procurator, *necessarius* vel *voluntarius:* necessarius, si auctoritate judicis jubetur causam clientis suscipere; voluntarius, si a partibus rogatus, libere tamen, suum auxilium praestat. *c*) Est etiam *ordinarius* vel *extraordinarius:* ille dicitur, qui publica auctoritate approbatus, vi stabilis deputationis et officii patrocinium litigantibus in aliquo certo tribunali concedit; hic, qui in censum advocatorum particularis tribunalis non est relatus, sed quasi extra ordinem partibus patrocinatur in judicio cum approbatione competentis auctoritatis. *d*) Tandem est *publicus* aut *privatus:* primus in causis publicis Ecclesiae operam suam impendit, alter in privatis. In advocatis publicis numerantur promotor justitiae sive fiscalis et vinculi defensor. (Vide can. 1586.)

e) In Hispania habendus est quodammodo advocatus publicus *canonicus doctoralis,* qui defensor natus Capituli est, a Xysto IV creatus ann. 1474, ut judici assidens consiliis juvet suis Capitulum et in quaestionibus juridicis illustret, ut illius jura tueatur ceterisque negotiis praesit cum ipsius atque ecclesiae cathedralis utilitate et emolumento, adnitens ne illorum bona amittantur, et ut amissa recuperentur.

594. **Procuratorum advocatorumque qualitates**. — I. Tum procurator tum advocatus debent esse catholici, aetate majores, bonae famae (*can.* 1657, § 1). *Acatholici*, nisi per exceptionem extraordinariam et necessariam, v. gr., in haereticorum aut infidelium regionibus ubi catholici desint qui fungi possint his muneribus, admitti nequeunt (*Ibid.*). Excluduntur etiam excommunicati (*can.* 2263, 2256, 2.º).

II. Porro in causis inter religiosos, quae a judice religioso sunt definiendae (ad normam can. 1579, § 1, 2), procurator et advocatus ex ipsa religione desumendi sunt, judice approbante. Si tamen judex (ad normam ipsius can. § 3) debet esse Ordinarius loci, admitti possunt procurator aut advocatus non religiosi. Semper tamen, ut religiosus admitti possit in causis in quibus vertitur utilitas suae religionis, opus ei est Superioris permissu (*can.* 1657, § 3).

III. Praeterea advocatus debet esse doctor, aut saltem juris,

---

(1) L. I, § 2. *D. de procurat.* III, 3.

maxime canonici, bene peritus (*Ibid.*, § 2), ab Ordinario approbatus vel ad omnes causas vel ad certam causam, debet etiam vel a parte vel a judice commissionem accipere, quae in acta referenda est. In judicio coram S. Sedis delegato, ipsius delegati est approbare et admittere advocatum, quo pars uti se velle ostenderit (*can.* 1658, §§ 2, 3).

IV. At quilibet pro lubitu a parte potest eligi et deputari procurator, dummodo sit idoneus; neque opus est Ordinarii approbatione (*can.* 1658, § 1). Qui tamen ut a judice admittatur, speciale mandatum ad lites scriptum, etiam in calce ipsius citationis, mandantis subscriptione munitum, et locum, diem, mensem et annum referens, debet apud tribunal deponere (*can.* 1659, § 1). Quod si mandans nescit scribere, hoc ipsum ex scriptura constet necesse est, et parochus vel notarius Curiae vel duo testes, loco mandantis, mandatum (*el poder*) subsignare debent (*Ibid.*, § 2). Quod in actis causae asservandum est (*can.* 1660).

595. **Clerici tanquam procuratores et advocati.** — Ut dictum est in *vol.* 1, *n.* 300, in novo jure (*can.* 139, § 3) clerici vel majores vel minores, vel beneficiati vel haud ita, prohibentur solum procuratores esse aut advocati in *tribunali civili,* qui tamen etiam in hoc procuratoris aut advocati munus exercere possunt, cum agitur de causa *propria* aut *suae ecclesiae.* Igitur esse possunt generaliter in tribunali ecclesiastico, modo idonei sint; qua in re rigor Decretalium (*cap.* 1, 3, X, *de postul.,* I, 37) est mitigatus. Neque est infitiandum in pluribus causis spiritualibus esse opportuniorem advocati ecclesiastici quam saecularis interventum, cum fere sint clerici juris canonici peritiores melioribusque doctrinis instructi.

596. **Quinam possint aut debeant advocatum habere vel procuratorem.** — I. Liberum generatim est litigantibus uti advocato vel procuratore; in tribunali enim ecclesiastico permittitur ut per se quisque jus suum tueri possit alteriusque partis petitionibus respondere (*can.* 1655, § 3) (1). Excipiuntur ab hoc principio sequentia: 1.° In judicio criminali reus aut a se electum aut a judice datum semper habere debet advocatum (*Ibid.*, § 1). 2.° Etiam in judicio contentioso, si agitur de minoribus aut de judicio in quo bonum publicum vertitur, judex parti carenti defensorem ex officio debet attribuere, aut, si casus ferret, parti etiam habenti alium adjungere (*Ibid.*, § 2). 3.° Item in casibus particularibus judex, pro suo prudenti arbitrio, procuratoris vel advocati ministerium parti

---

(1) Dispositio quae continetur art. 19 Legis quae dicitur *de Enjuiciamiento civil,* vi cujus necessario litigantes ab idoneis jurisconsultis ita regendi sunt, ut omnibus actibus judicialibus advocatus intersit sine cujus subscriptione omnis judicis opera deneganda sit, ea in judicio ecclesiastico esse valida aut obligatoria nullo modo potest, multo minus postquam in Codice de integro jus processuale instauratum est. Judex, opinor, qui partes coëgerit ut se subjiciant huic ordinationi civilis legislatoris in causis ecclesiasticis incompetentis, jus verum ipsarum violaret; partibus enim jus est evidenter, ut in causis ecclesiasticis justitia eis ad normam legum Ecclesiae administretur.

necessarium esse potest decernere (*Ibid.*, § 3). 4.° Episcopus, si quando in causa est, aliquem constituere debet, qui ejus personam, procuratorio nomine, gerat (*Ibid.*, § 4).

II. Generatim unicum quisque potest eligere procuratorem, qui nequit alium sibimet substituere, nisi expressa facultas mandantis eidem facta sit (*can.* 1656, § 1). Quod si, justa causa suadente, plures ab eodem procuratores deputantur, hi sic constituendi sunt, ut detur inter ipsos locus praeventioni (*Ibid.*, § 2), scil. ita ut qui negotio praevenit (1) ceteros excludat.

III. *Advocati* autem plures simul constitui possunt; et utrumque munus, procuratoris et advocati, etiam in eadem causa et pro eodem cliente eadem persona exercere potest (*Ibid.*, §§ 3, 4).

597. **Jura et obligationes advocati et procuratoris.**—I. Advocati jura ex ipsa officii natura oriuntur, v. gr. jus actorum inspiciendorum ad defensionem praeparandam, respondendi ad conclusiones fiscalis, etc. De juribus ad honoraria inferius dicendum.

II. Jura procuratoris enascuntur ex mandato accepto, cujus clausulas nequit transgredi. Mandatum generale rebus non sufficit quae mandato speciali indigent. Itaque, nisi speciale mandatum habuerit, procurator non potest renuntiare actioni intentatae, instantiae vel actis judicialibus, nec transigere, pacisci, compromittere in arbitros, deferre aut referre jusjurandum, et generatim ea agere pro quibus jus requirit mandatum speciale (*can.* 1662). Vide *Wernz*, 5, *n.* 230 *seq.*

III. In natura officii includitur jus quo mandans tanquam proprios actus procuratoris, modo ne mandati limites violati sint, tum pro se tum contra se recognoscit. Quare dum causam agit procurator, indictiones, citationes et omnis generis denuntiationes quae ei fiunt eadem vi gaudent ac si mandanti fierent.

IV. Praecipuum advocatorum procuratorumque officium est fidelitas, cura et diligentia in munere erga clientem exsequendo.

V. *a*) Vetatur uterque emere litem, aut sibi de immodico emolumento vel rei litigiosae parte vindicata pacisci, si in lite victores evadunt (*can.* 1665, § 1), quod dicitur pactum de *quota litis*.

b) Haec pactio nulla est; quam qui fecerint, a judice vel ab Ordinario poterunt poena pecuniaria multari; advocatus praeterea tum ab officio suspendi, tum etiam, si recidivus erit, destitui et titulo privari (*Ibid.*, § 2).

c) Tandem advocati ac procuratores qui ob dona aut pollicitationes aut quamlibet aliam rationem suum officium prodiderint, ab officio sunt repellendi, et, praeter damnorum refectionem, mulcta pecuniaria aliisve congruis poenis plectendi (*can.* 1666). Su-

---

(1) Ex natura procuratoris *ad litem* et juris Decretalium (*cap.* 14, X *de proc.* I, 38; *cap.* 6 eod. *in Sext.*), praeventio locum habet per litis contestationem.

per aliis obligationibus advocatorum ex jure divino cfr. *Wernz*, 5, *n*. 211; *Lugo*, De justit. et jure, *disp*. 41; *Ferreres*, Comp. Th. mor., *vol*. 2, *n*. 16 *seq*., edit. 8.ª.

598. **Quo pacto finis imponatur muneri procuratoris et advocati.** — I. Tum procurator tum advocatus possunt a judice repelli sive ex officio sive ad instantiam partis, justa tamen de causa (*can*. 1663). In advocato erit justa causa non adimpletae Codicis obligationes ceteraeque muneri inhaerentes, quale esset agere cum mala fide et adversario clientis connivendo.

II. Possunt etiam advocati et procuratores ab eo a quo constituti sunt, removeri, salva obligatione solvendi honoraria ipsis debita; verum ut remotio effectum sortiatur, necesse est ut ipsis intimetur, et, si lis jam contestata est, judex et adversa pars certiores facti sint de remotione (*can*. 1664, § 1).

III. Lata definitiva sententia, mandatum procuratoris minime cessat, sed ei jus et officium appellandi manet, si mandans non renuit (*Ibid*., § 2).

TITULUS V

De actionibus et exceptionibus

CAPUT PRAEVIUM

NOTIONES, DIVISIONES, PRINCIPIA CAPITALIA

ARTICULUS I

ACTIONIS NOTIO ET DIVISIO

599. I. **Notio**. — *Actio* est actus quo quis in judicio jus sibi debitum contra determinatum adversarium persequitur, aut punitio offensionis vel injustitiae quae sit delictum a lege punitum (1).

600. II. **Divisio**. —Actiones possunt esse: 1.° *reales, personales, mixtae*.

a) **Actio realis**. — Ea est, quae oritur ex jure *in re*, sive ex

(1) Definitio a Justiniano tradita (*Inst*. IV, 6, *de action. pr.*) «Actio est jus persequendi judicio quod sibi debetur», existimatur generatim deficiens parumve perspicua; non enim actiones reales comprehendit, nisi convenienter explicetur.

dominio pleno aut minus pleno, ex hereditate, servitute, pignore, hypotheca et locatione inscripta. Hac obtinere volumus restitutionem earum rerum quae ad nos pertinent simul cum earum fructibus et accessionibus, cum alius possidet aut retinet. Dicitur *realis*, quia personam non respicit, sed ipsi rei inhaeret, exerceturque contra quemlibet possessorem atque etiam contra eum qui reclamationem acceptat per litis contestationem, aut rem petitam confitendo a se possideri retinerive.

b) **Actio personalis** ea est quae oritur ex jure *ad rem*, exerceturque contra certam ac determinatam personam quae ex obligatione nobis aliquid dare debet, aut agere ex contractu vel quasi-contractu aut delicto; vocaturque *personalis*, quia devincit personam nobis obligatam, et quia contra illam tantum exerceri potest, et generatim etiam contra heredem qui eam refert. Actione *reali* volumus ut constet de nostro dominio aut quasi-dominio in rem certam et definitam, quisquis fuerit illius possessor vel detentor; actione *personali* volumus ut nobis adimpleatur obligatio, quae necessario esse debet in certa persona quae devincta nobis est per contractum, quasi-contractum aut delictum.

c) **Actio mixta** ea dicitur quae naturae utriusque et realis et personalis particeps est: per illam jus nostrum *in re* exposcimus, deinde exigimus aliquas personales praestationes quae consistunt in lucris aut praejudiciis quibus debeat satisfacere is contra quem intentatur actio.

601. — 2.° Actiones possunt etiam esse *civiles* vel *criminales*.

a) **Actiones civiles**. — Illae sunt omnes de quibus dictum est, etiamsi ex delicto oriantur, dummodo solum exerceantur ad nobis debitum exigendum et quod patrimonio nostro deest, non ad poenam imponendam.

b) **Actiones criminales** eae sunt quibus delicti punitionem postulamus, nullam restitutionem exigendo.

3.° **Actiones duplices et simplices**. — Actiones praeterea possunt esse *duplices*, cum indiscriminatim ab utraque parte tanquam ab actore proponi possunt, ut fit in bonorum communium divisione (*communi dividundo*); et *simplices*, cum aperte illum designant ac definiunt qui eas potest peragere et contra quem, ut actio *locationis*.

4.° **Actiones petitoriae et possessoriae**. — Vocantur *petitoriae*, attento medio judiciali quod intentatur in earum exercitio, cum diriguntur ad proprietatem sibi vindicandam, id est, dominii pleni aut minus pleni restitutionem ceteraque jura realia, aut hujus proprietatis acquisitionem, etiamsi ex juribus personalibus dimanet. Dicuntur *possessoriae* eae quibus rei possessio vel juris quasi-possessio postulatur, etiamsi ejus dominium aut proprietas non petatur (*can.* 1668).

ARTICULUS II

EXCEPTIONUM NOTIO ET DISTRIBUTIO

602. I. **Notio**. — Sicut actor ad jus suum exercendum utitur actionibus, sic reus conventus ad suam defensionem utitur *exceptionibus*, actionem repellendo contestationemve differendo. Unde *exceptio* est actionis exclusio, contradictio vel repulsa qua reus nititur ut petitionem actionemve actoris retardet, destruat aut enervet.

603. II. **Divisio**. — Exceptiones distinguuntur in *dilatorias*, *peremptorias*, *mixtas*, *personales* et *reales*.

a) **Exceptiones dilatoriae**. — Dicuntur *dilatoriae* quae fiunt ad judicii ingressum retardandum, ut exceptio incompetentiae jurisdictionis, carentiae personae in actore aut in procuratore, exceptio litis pendentiae in alio tribunali competenti, defectus legalis in modo actionis proponendae.

b) **Peremptoriae** dicuntur quae jus actoris exstinguunt, aut actionem principalem destruunt vel enervant, et liti finem imponunt. Hujusmodi sunt solutio debiti quod postulatur, transactio, dolus aut metus in contractu, renuntiatio jurium quae efflagitantur, exceptio rei judicatae sive sententia lata de re petita, praescriptio, pactum non petendi, etc.

c) **Mixtae** sunt quae ex dilatoriis et peremptoriis conflantur, oriunturque ex re quae demandatur, non tamen liti subjicienda; quales sunt exceptiones rei judicatae, rei petitae satis esse factum, et in genere omnes quae defectum actionis in actore confirmant, quia eam nunquam habuit vel quod eam amisit. Et quia mixtae sunt, proponi possunt ut dilatoriae, v. gr., ante litem contestatam, aut ut peremptoriae, in quovis litis gradu.

d) **Personales** eae sunt quae tantum opponi ab illo possunt cui a lege aut aliquo contractu conceduntur, non autem ab aliis quorum interest, v. gr., quae habetur ab eo qui fruitur beneficio quod dicitur competentiae (*can.* 122), promissio a creditore facta alicui ex debitoribus in solidum obligatis, quae exceptionem pacti non postulandi debitori gratificato, non autem sociis tribuit.

e) **Reales** sunt quae rei inhaerent utiliterque proponi possunt ab omnibus quorum interest, non a debitore solum, sed etiam ab ejus heredibus et fidejussoribus, v. gr., exceptio transactionis a creditore cum quovis ex ejus debitoribus solidariis inita.

ARTICULUS III

DE PRINCIPIIS QUAE ACTIONUM ET EXCEPTIONUM USUM MODERANTUR

604. — I. *a*) *Quodlibet jus* in foro ecclesiastico munitur *actione* quae valet in judicio, nisi aliud expresse cautum est (*can.* 1667). Ita v. gr. jus ortum ex sponsalibus etiam validis actionem non dat ad petendam matrimonii celebrationem (*can.* 1017, § 3).

b) Eodem pacto *omne jus* defenditur *exceptione* qua *repelli* potest is qui illud judicialiter vult nobis surripere.

c) Generatim actiones sunt temporales, iis exceptis quae ad statum personarum referuntur; exceptiones contra perpetuae sunt (1).

II. Actori licet cumulare contra reum tot actiones quot ei competunt, etiamsi ex diversis titulis oriantur, dummodo secum ipsae non confligant, et nulla earum aditi tribunalis competentiam egrediatur (*can.* 1669, § 1). Cumulatio hunc effectum sortitur, ut omnes in eodem judicio discutiantur et una sententia dirimantur (2). Reus item pluribus exceptionibus etiam contrariis uti potest (*Ibid.*, § 2).

III. *a*) Eodem pacto actor potest una instantia cumulare actiones possessorias et petitorias, nisi spolii exceptio aut querela ex adverso opponatur (*can.* 1670, § 1); spoliatus enim jure gaudet haud respondendi ulli actioni, antequam in possessionem restituatur.

b) Pariter fas est reo convento in petitorio actorem reconvenire in possessorio; et viceversa, nisi res sit de spolio, actioni in possessorio licet opponere reconventionem in petitorio, ob rationem superius allatam (*Ibid.*, § 2).

IV. *a*) Tandem fas est actori qui judicium petitorium instituit, regredi ad possessorium, modo fiat antequam conclusum sit in causa (*can.* 1671, § 1).

b) Immo ex justa causa judex etiam post conclusionem in causa, sed ante sententiam definitivam, hunc regressum permittere potest (*Ibid.*, § 2).

---

(1) Inde nascitur juridicum principium: *quae temporanea sunt ad agendum, perpetua fiunt ad excipiendum,* quod argumentatione ex Digesto XLIV, 4, L. 5, § 6, desumptum est, ubi affertur ratio principii juridica, scil. integrum esse actori actione uti, cum voluerit; potest ergo actione privari, si eam non adhibet intra certum et definitum tempus; at reo integrum non est tempus eligere quo exceptione utatur; haec enim nequit opponi nisi cum jus alicujus in judicio impugnatur. Vide *Lega,* De judiciis, *vol.* 1, *n.* 283.

(2) Dispositio similis continetur *art.* 153-159 Legis *de Enjuiciamiento civil.* Actionum cumulatio nititur in sociali convenientia minuendarum litium atque impensarum et in convenientia juridica orta ex eo quod causae continentia non dividatur, evitenturque sententiae contradictoriae aut inter se pugnantes.

c) Judicis etiam est, attentis partium allegationibus, aut utramque quaestionem proprietatis et possessionis unica sententia definire, aut prius uni, postea alteri satisfacere, prouti magis expedire ipsi videbitur ,ad celeriorem et pleniorem jurium tuitionem (*Ibid.*, § 3).

CAPUT I

DE REI SEQUESTRATIONE ET INHIBITIONE EXERCITII JURIS

605. I. **Origo**. — *Sequestrationes*, seu sequestra, inductae sunt ut impediretur quominus debitor malae fidei bona quae possidet subjecta reclamationi distrahat vel dissipet in damnum creditorum. Ubi agi potest de re definita quam actor sibi vindicat, aut de bonis rei conventi in genere, quibus solvendum est debitum quod actor postulat. Responsabilitas bonorum quae sequestro locum praebere potest, potest etiam oriri ex delicto obnoxio mulctae pecuniariae vel damnorum reparationi; ejusque finis in hoc casu est rei conventi pecuniariam responsabilitatem securam reddere.

II. **Notio**. — Est *sequestratio* diligentia judicialis qua auctoritas occupat aut retinet omnino vel ex parte bona a debitore aut a reo possessa, quae deponuntur apud tertium sententiaeque tribunalis subjiciuntur. *Sequester* sensu restricto dicitur depositarius.

III. Jus canonicum admittit in juribus controversis sequestrationis genus quod dicitur *inhibitio* exercitii juris.

IV. Jus hispanum appellat assecurationem bonorum litigiosorum (*aseguramiento de bienes litigiosos*) sequestrum quod fit in certa bonorum specie de quorum proprietate lis intenditur, ut in aedificiis industrialibus et fabrilibus. Assecuratio fit *interventu* judiciali in rerum litigiosarum administratione, qui habetur per *interventoris* nominationem. Vide *Código de Enjuiciamiento civil, art.* 1419 *seq.*

V. Ad sequestrationem spectat *depositum personarum*, cujus finis est libertatem individuam tutam reddere, quae haud raro opprimi potest; quale est depositum uxoris quae intentare velit aut intentarit actionem divortii aut querelam concubinatus contra maritum, aut actionem nullitatis matrimonii, aut viceversa, cum rationabiliter timeri possunt saevitiae vel actus crudeles a marito ex cohabitatione (*cap.* 13, § fin. X *de restit. spoliat.*, II, 13).

606. **Jus sequestrationis vel inhibitionis petendae.** — Jus habent obtinendi a judice sequestrationem: 1.° Qui ostenderit super aliqua re ab alio detenta jus se habere sibique damnum imminere, nisi res ipsa custodienda tradatur (*can.* 1672, § 1). Patet juris

probationem non debere judicialem esse, cum agatur de sequestratione praeventiva: attamen apparere debet juris fundamentum in quo actor nititur; hac de causa summarium examen debet praemitti. 2.° Creditor cujus manifestum jus est, jus habet obtinendi sequestrationem bonorum debitoris quae sufficiant ad summam quae postulatur et ad expensa (*can.* 1673, § 1). 3.° Ad inhibitionem exercitii juris petendam jus habet qui ostenderit sibi hoc jus competere damnoque suo a reo exerceri (*can.* 1672, § 2).

607. **Ratio hujus juris exercendi**. — I. Sequestrationem a judice petere debet actor qui se jus habere existimat ad illam obtinendam; quae ab judice decernenda est, cum deest alius modus vitandi praejudicii quod timetur. Quare nullatenus est statuenda, si damnum potest aliter reparari, et idonea cautio de eo reparando offertur, aut traditur hypotheca sufficiens ad reparationem (*can.* 1674).

II. Etiam a judice decerni sequestratio potest ex officio, instante praesertim promotore justitiae aut defensore vinculi, quoties bonum publicum id postulare videbitur (*can.* 1672, § 3); qualis est processus adversus canonicum non residentem, a quo fructus sequestrantur usque ad causae definitionem (*cap*, 28, X, *de appell.* II, 28), et casus depositi personarum, de quo *n.* 605, V.

III. Sequestratio extendi potest non solum ad bona quae penes se reus habet, sed etiam ad res debitoris quae depositi aut pignoris causa aut quolibet alio titulo apud alias personas reperiantur (*can.* 1673, § 2); quo in casu ad eas servandas ad libitum tribunalis obligatae sunt.

IV. Ad custodiam rei sequestratae idonea persona, proponentibus partibus, a judice designanda est. Quod si partes inter se dissentiant, judex ex officio sequestrem deligere debet (*can.* 1675, § 1). Sequester in re custodienda, curanda et servanda non minorem diligentiam adhibere debet quam suis adhibet rebus, eamque postea cui judex decreverit reddere tenetur cum omni causa sive fructibus (*Ibid.*, § 2). Et judex congruam mercedem sequestri decernere potest, si eam petit (*Ibid.*, § 3). Cfr. *Lega*, l. c., *vol.* 1, *n.* 567 *seq.*; *Wernz*, *vol.* 5, *n.* 560 *seq.*

CAPUT II

DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE ET DE REMOTIONE DAMNI SIVE «DE DAMNO INFECTO»

608. **Notio.** — *Nuntiatione* (*denuncia*) *novi operis* impeditur quominus aliquis pergat aedificare novum opus ex quo alteri pos-

sit damnum obvenire (*can.* 1676, § 1). Subjacet denuntiationi non tantum opus omnino novum quod a fundamentis excitatur, sed etiam operis reparatio sive refectio, additio, imminutio; verbo: *ex magna parte immutatio* (*can.* 1677).

609. — *Remotione damni*, quae *interdictum* etiam *operis veteris* appellatur seu *actio de damno infecto*, id propositum est ut qui grave damnum rei suae imminere pertimescit ex alieno aedificio quod ruinam minatur, ex arbore aut ex alia re quacumque, cavere possit a damno imminenti, periculi remotionem obtinendo etiam cum aedificii demolitione, si opus fuerit (*can.* 1678).

610. **Actio cui competat.** — I. Qui ex aliquo novo opere damnum timet suae rei obventurum, potest illud judici nuntiare, ut opus interrumpatur, donec utriusque partis jura judicis sententia definiantur (*can.* 1676, § 1). Si ex consequenti judicio verbali, actoris nuntiatione justa aestimata, prohibitio intimata erit, continuo reus ab opere cessare debet; sed poterit a judice continuationem ejusdem impetrare, dummodo idonee caveat se in pristinum omnia restituturum, si absoluto judicio victus discesserit (*Ibid.*, § 2).

II. Nuntianti novum opus ad jus suum demonstrandum duo menses praefiniuntur; qui ex justa et necessaria causa a judice, audita altera parte, prorogari vel reduci poterunt (*Ibid.*, § 3).

611. — *Actio* **de damno infecto** (*del daño aun no causado*) competit domino alicujus proprietatis conterminae quae detrimentum capere possit ex aedificii aliusve rei ruina; competit etiam cuicumque opus fuerit transitu per ejus vicinitatem. Hic jus habet ad obtinendam periculi remotionem, aut cautionem de damno vel avertendo vel compensando, si forte evenerit (*can.* 1678).

CAPUT III

DE ACTIONIBUS NULLITATIS SIVE OB NULLITATEM ACTORUM

612. **Notio.** — *Actionibus nullitatis*, ut satis vox ipsa declarat, hic finis praestitutus est, ut actus vel contractus declaretur nullus. Nam quod talis actus non habeatur pro valido neque effectus sortiatur ut talis, potest potissimum alicujus interesse, cui injuste damnum ex eo obveniret, eo quod alius jura obtineret in damnum ejus qui actum nullum posuit, aut in praejudicium tertii (*can.* 1679). Quod tam de actibus extrajudicialibus quam de judicialibus intelligendum est.

613.—**Nullitas actus tum solum habetur**, cum in eo deficiunt quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut solemnia seu con-

ditiones desiderantur a sacris canonibus requisitae sub poena nullitatis (*can.* 1680, § 1). Nullitas alicujus actus non importat nullitatem actorum qui praecedunt aut subsequuntur et ab actu non dependent (*Ibid.*, § 2).

614. **Cui haec actio competat.** — Competit omni cujus interest actum declarari nullum, cum ei nocumentum afferat quod hic actus juridicos effectus sortiatur, tanquam si esset validus; hujus autem actionis finis est obtinere a judice declarationem nullitatis (*can.* 1679). Qui vero actum posuit vitio nullitatis infectum, tenetur de damnis et expensis erga partem laesam (*can.* 1681). Haec igitur actio supponit non fuisse unum eundemque illum qui eam exercet et illum a quo nullitas originem ducit, saltem cum dolo. Quare si quis cum dolo actum omiserit, aut alium imperfectum posuerit intendens ut processus sit nullus, atque ita sententia differatur, querelam nullitatis urgere non poterit, sed adversarius, si ei proderit, secundum notam regulam 155, D. de R. J.: *Factum cuique suum, non adversario nocere debet.* Vide *Lega,* l. c.

615. **Nullitas actus vel contractus quomodo declaranda.** — Ubi haec nullitatis declaratio personae privatae tantum convenit, a judice non est facienda, nisi parte instante (*can.* 1682), ut jam principiis generalibus can. 1618 et 1619 continetur. At haec nullitas declaranda est ex officio, cum ad bonum publicum interest, aut agitur de causis pauperum, minorum eorumque qui his aequiparantur (*can.* 1682). Ratio primi est, quia in illa hypothesi, sive nullitas enascitur ex jure naturali sive ex positivo, constituta est ad damnum privati praecavendum, qui juri quod ipsi favet potest renuntiare. Ratio secundi est, quia cum nullitas instituta sit pro bono publico, privati illorum actuum vel contractuum defectum supplere nequeunt, sed solum legislator qui curam habet de bono publico, cujus causa jubet judicem ex officio nullitatem declarare. Vide *Lega*, De judiciis, *vol.* 1, *n.* 251.

616. **Actus a S. Pontifice confirmati.** — Cum profertur actus aut instrumentum a S. Pontifice confirmatum (quo vitium nullitatis sanatur *forma*, ut dicitur, *specifica*), si erit disceptatum de facto aut de jure confirmationis, judex inferior sine Sedis Apostolicae jussu nequit de hoc negotio videre (*can.* 1683).

CAPUT IV

DE ACTIONIBUS RESCISSORIIS ET DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM

617. **Notio.** — Cum actionibus nullitatis intime connectuntur actio *rescissoria* et *restitutionis in integrum*, quibus est modus ob-

tinendi ut actus natura sua et ipso jure validus, sed quo injuste aliquod detrimentum aut laesionem patiamur, rescindatur vel in statu primo non pernicioso reponatur. Primus scopus actione *rescissoria*, alter *restitutione in integrum* propositus est.

Injuria illati detrimenti, cum actus ponitur aut contractus quem facere omnino nullum juri positivo non visum est opportunum, et qui jure naturae non est nullus, in hoc stat, quod ad illum actum aut contractum consensus requisitus vi extortus est, scil. gravium malorum injusta comminatione aut dolo, quo adhibito aliquis mala fide altero contrahentium simplici aut inexperto abusus est. Jam vero aequitas naturalis exposcit ne dolus aut violentia victores evadant, neve ditescat aut lucretur qui his usus est cum alterius detrimento; hinc actio *rescissoria*, qua obtineri potest ut actus nullus sit, si opportuno tempore ejus inefficacia declaratur (*can.* 1684).

618. **De dolo et metu.** — I. *Dolus*, qui in re criminali significat deliberatam voluntatem legis poenalis violandae, in actu juridico et in re contentiosa est simulatio aut dissimulatio artificiumve confictum ad alium cum proprio lucro decipiendum. Influit dolus in actus juridicos, quatenus gignit errorem. Jam vero *error* jure naturae nullitatem actus juridici minime inducit quae locum praebeat actioni nullitatis, nisi cum error est substantialis aut versatur circa id quod proponitur ut conditio *sine qua non*, quod utrumque nostro juri probatur, cum in can. 104 Codex declaret actus cum errore posito validos esse generatim, nisi error «versetur circa id quod constituit substantiam actus vel recidat in conditionem *sine qua non*», et nisi expresse «aliud jure caveatur». Error igitur dolo inductus, si versatur circa aliquam rei qualitatem, error est accidentalis ad contrahendum aut ponendum actum juridicum; unde hujusmodi actus jure naturali et positivo validus est, sed tamen in odium doli laeso datur actio tum *ad rescindendum actum*, tum *ad indemnitatem*. Vide *Lega*, De judic., *vol.* 1, *n.* 256.

II. Ad *metum* quod attinet, jam *vol.* 1, *n.* 226 dictum est illum natura sua actus non reddere nullos, quia non impedit quominus liberi sint; ut enim dixit eleganter jurisconsultus Paulus (D. IV, 2, *quod metus causa* L. 21, § 2), «*quia quamvis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui*»; quare per se, salvo contrario a lege constituto, jus non dat ad actionem nullitatis. Ut metus attendi possit ad actionem *rescissoriam* quod attinet, necesse est ut sit *gravis*, non enim praesumitur metum levem ad agendum impulisse; necesse praeterea est ut sit *injustus;* solum enim ita laeditur jus quod actione rescissoria reparatur. Vide *Lega*, l. c., *n.* 262 *seq.*

619. I. **Actio rescissoria cui competit et quomodo.** — Ex iis quae dicta sunt colligitur actionem rescissoriam ei competere qui actum juridicum posuit aut contractum iniit metu gravi atque injusto coactus vel dolo circumventus, eumque, metu vel dolo probato, obtinere posse actus vel contractus rescissionem (*can.* 1684, § 1).

II. Eadem actione intra biennium uti potest, qui gravem ex contractu laesionem ultra dimidium rei aestimatae ex errore passus est (*Ibid.*, § 2).

III. **Contra quem.** — Institui haec actio potest: 1.° Contra eum qui metum intulit aut dolum patravit, etiamsi ipse non in suum, sed in alterius commodum talia peregerit (*can.* 1685, 1.°); 2.° contra quemlibet malae fidei et etiam bonae fidei possessorem, qui

res metu vel dolo extortas possidet, salvo jure regressus contra quemlibet usque ad ipsum metus aut doli auctorem (*Ibid.*, 2.°).

620. **Metus aut doli exceptio.**—Consequenter ad *actionem* rescissoriam, jus concedit parti laesae seu deceptae *exceptionem* metus vel doli, quae potest opponi contra eum qui metum intulit aut dolum patravit, si is urgeat actus vel contractus exsecutionem (*can.* 1686).

621. **Restitutio in integrum.** — I. Si actio rescissoria conceditur ad tuendam plenam actuum judicialium contractuumque libertatem quae metu injusto aut dolo malo imminuta est, *restitutio in integrum* tantum respicit grave damnum quod aliqui facile possunt experiri in contractibus ceterisque actibus juridicis; et in casu laesionis, etiam sine alterius coactione aut dolo, eos reponit et restitutuit in statum damnum praecedentem.

II. Restitutio *in integrum* est *extraordinarium* remedium, quod conceditur ad reparandum praejudicium in actibus judicialibus perlatum cum deest facultas utendi ordinario remedio actionis nullitatis aut rescissoriae. Minoribus tamen et cum iis aequiparatis conceditur etiam tum, cum posset adhiberi remedium ordinarium; quo in casu restitutio *in integrum* formam induit remedii ordinarii, quia pinguior est sive utilior. Et re quidem vera, actio rescissoria suapte natura jus non tribuit nisi ad actum rescindendum, restitutio vero *in integrum* reddit laesum in primum statum; quare resolvit omne jus quod per actum rescissum jam erat acquisitum, et cetera jura reviviscunt, quibus antea fruebatur qui ea actione usus est, inclusa rescissione, aliisque commodis additis, ut idem sit jam, qui ante fuit. Vide *Lega*, l. c., *n.* 270.

622. **Quibus et quando conceditur.** — 1.° Minoribus ob laesionem acceptam ex negotio seu actu juridico valido, sed rescindibili. Aetas imbecilla et negligentia aut incuria parentum vel curatorum sufficiunt ut damnum acceptum injustum jure ac reparandum existimetur (*can.* 1687, § 1).

2.° Minorum jure fruentibus (*Ibid.*), quales sunt personae morales (*can.* 100, § 3), ut ecclesiae et causae piae, collegia clericorum, monasteria, congregationes religiosae, beneficia, etc. Vide *vol.* 1, *n.* 221. Et quamquam ex damnis a mala administratorum gestione acceptis competit eis actio ad indemnitatem obtinendam, tamen ipsis fas est uti favorabiliore remedio restitutionis *in integrum.*

Cum in jure non sit limitatio, videtur hac etiam facultate gaudere contra minorem minor, ecclesia adversus ecclesiam, in personam moralem moralis persona. Vide *Lega*, l. c., 274; *Wernz*, *vol.* 5, *n.* 730.

3.° Idem jus competit eorum heredibus et successoribus (*can.* 1687, § 1).

4.° Hoc beneficium majoribus quoque concedi potest, qui gravem laesionem passi sunt, casu quo eis non suppetat rescissoria actio aut aliud ordinarium remedium, dummodo justam subesse causam et laesionem sibi imputandam non esse probaverint (*Ibid.*, § 2). Causae justae habebantur communiter fraus vel dolus adversarii, inseparabilis connexio quae inest in causa majoris cum causa minoris, absentia necessaria ob bonum publicum vel communem necessitatem aut gravem adversitatem etiam privatam. Vide *Lega*, l. c., *n.* 277, *Wernz*, l. c., *n.* 731.

623. **A quo petenda et quo tempore.** — I. Restitutio *in integrum* petenda est a judice ordinario qui gaudeat jurisdictione aut competentia respectu illius contra quem postulatur (*can.* 1688); nam qui hoc beneficium aut remedium petit, vices agit actoris in illum contra quem exposcitur restitutio; quapropter viget illud generale principium, actorem rei forum sequi debere. Judex autem delegatus qui administrationem non habet sed tantummodo facultatem cognoscendi de causa itemque judices arbitri restitutionem concedere nequeunt. Haec circumstantia exprimebatur a juristis, cum dicebant restitutionem *in integrum* esse actum potestatis quae *mixtum imperium* dicebatur, quae hac de causa minime competit judici sola *jurisdictione* gaudenti, ut fiebat apud judices romanos. Vide *Wernz*, l. c., *n.* 132.

II. Ad restitutionem in integrum petendam conceditur quadriennium ab adepta majoritate computandum, si agatur de minoribus; a die laesionis factae et cessati impedimenti, si de majoribus aut personis moralibus (*can.* 1688, § 1).

III. **Restitutio concessa ex officio.** Minoribus vel minorum jure fruentibus restitutio concedi potest a judice etiam ex officio, audito vel instante promotore justitiae (*Ibid.*, § 2).

624. **Effectus restitutionis.** — Restitutio *in integrum*, ut in ejus notione dictum est, id efficit, ut omnia revocentur in pristinum, id est restituantur in statum quo erant ante laesionem, salvis juribus quae alii bona fide ante petitam restitutionem quaesiverint seu acquisierint (*can.* 1689).

Adnotatio. Animadvertendum est tam rescissoriam actionem quam restitutionem *in integrum* posse adhiberi tum in actibus extrajudicialibus tum in judicialibus. Unde contra firmam sententiam beneficium restitutionis implorari potest (*can.* 1905 *seq.*)

CAPUT V

DE MUTUIS PETITIONIBUS SEU DE ACTIONIBUS RECONVENTIONALIBUS

625. **Notio.** — I. Dicitur *reconventio* sive *mutua petitio* (1) actio quam reus coram eodem judice in eodem judicio in eademque actionis forma contra actorem instituit ad submovendam vel minuendam ejus petitionem (*can.* 1690, § 1). Ita si Titius petit a Cajo mille quas *pesetas* dicimus titulo venditionis, Cajus vicissim a Titio quingentas titulo commodi facti, est actio ex parte Titii, reconventio ex parte Caji (2).

II. Reconventio reconventionis non admittitur (*Ibid.*, § 2); i. e. in jure rejicitur actor reconventus qui denuo reum reconveniat.

Finis reconventionis est lites minuere, uno judicio eodemque tempore actionibus et actoris et rei discussis et diremptis.

626. **Quis possit eam proponere.** — I. Etsi de hac re nihil Codex expresse loquitur, cum tamen reconventio sit vera actio, videtur posse solum reconvenire ille reus qui judicio tanquam actor adesse potest. Itaque excluditur a reconventione excommunicatus vitandus aut cujus excommunicatio publica juridice facta est per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, saltem si formam non habet necessariae defensionis (3). Vide *Wernz*, l. c., *n.* 435; *Lega*, l. c., *n.* 178.

---

(1) *Salazar* et *La Fuente* (Procedimientos, *vol.* 2, *pag.* 342) contendunt hispane has dictiones *reconvención* et *mutua petición* synonyma non esse sed analoga tantum; reconventionem autem ad judicium criminale referri, et significare injuriae querelam quam contra actorem reus instituit, mutuam vero petitionem solum in judiciis contentiosis locum habere. Magis proprium fortasse foret reconventionem in causis criminalibus appellare hispane *recriminación*. Attamen admittunt in jure Decretalium agi de reconventione sub titulo mutuae petitionis, quae tamen a Lege *de Enjuiciamiento civil* comprehenduntur; et re quidem vera minime in ea lege mutua petitio nominatur, sed sola reconventio, semperque eo sensu qui ab illis auctoribus habetur improprius. Vide *art.* 63, *regl.* 4.°, 55, 542-544, 688-690 et 731. Ceterum liquido apparet Codicem in cap. quod exponimus sumere ut synonyma duo haec latina vocabula.

(2) In hoc exemplo manifestum est reconventionem ex parte rei non induere exceptionis formam, sed verae actionis. Exceptionis proprium est valorem actionis impugnare *directe;* at reconventio solum indirecte actionem attingit; titulo enim, quo actor petit, minime negato, reconventio efficit ut petitio suum effectum non sortiatur, et ejus *exsecutio* in solidum aut ex parte nulla sit propter efficaciam actionis a reo oppositae. Vide *Lega*, l. c., *n.* 172.

(3) Sic jus Decretalium statuebat in excommunicato (*cap.* 5, X, *de except.*, II, 25), ubi haec ratio affertur: etiamsi excommunicato qui ut reus adest defensio permitti debet ideoque excipere potest atque appellare, ei tamen permitti ut adversarium reconveniat, foret legitimum jus defensionis mutare in aggressionis occasionem.

II. Qui jus habet reconveniendi reconvenire potest contra quemlibet actorem, modo actor nomine proprio litiget.

627. **Quibus in causis adhiberi possit**: 1.° Generatim adhiberi potest in omnibus causis contentiosis et per actionem personalem et per realem promotis, salva exceptione, de qua statim mentio fiet, propter absolutam judicis incompetentiam.

2.° At non permittitur in causis spolii (seu interdicti recuperandi); spolians enim non auditur donec ablatum restituerit ad normam juridici affati: *Spoliatus ante omnia restituendus.*

3.° In causis criminalibus communiter non permittitur. Excipitur delictum injuriae, nam injuria accepta illatam compensat omnino aut ex parte, attento jure offensi ut injuria reparetur (*can.* 1691, 2218, § 3). Vide *Wernz*, l. c., *n.* 439, *adnot.* 30.

4.° Neque ad normam can. 1891 in causis appellationis admittenda est: in ea enim nulla petitionis nova causa recipi potest. Haec tamen exceptio admittebatur communiter a Decretalium interpretibus, qui tamen jure romano innitebantur (L. 1, D. 49, 11).

Adnotatio. Iidem interpretes (vide *Wernz,* l. c., *n.* 439) has exceptiones afferebant: 1.° causas depositi, 2.° causas praejudiciales, 3.° causas exsecutionis quae celeritate egent. Jam vero depositi causae ad casus spolii reduci posse videntur; nam infidelis depositarius jure meritoque spoliator existimatur: quare non est audiendus donec depositum restituerit. Etiam videtur esse concedendum causas praejudiciales reconventionem non admittere, nam suapte natura et juris dispositione (*can.* 1632) exigunt ut ante omnia tractentur et dirimantur; idcirco non admittunt ut eodem tempore disceptentur quo actio reconventionalis. Quod ad exsecutionis causas spectat, quatenus eae celeritatem postulant, videntur etiam ad normam can. 1627 rejicere moram quam afferret cognitio simul concurrens cum actione reconventionali; at celeritatis hic character non videtur essentialis in judiciis exsecutoriis (vide *can.* 1917 *seq.*), et aliunde potest evenire ut res super qua versatur actio et ea quae in reconventione postulatur possint eodem tempore agitari et definiri, altera alterius gressum minime impediente.

628. **Cui et quando recoventio proponenda**. — I. Proponenda est judici coram quo actio principalis ab actore instituta est; sic enim lites contrahuntur seu breviores redduntur et imminuuntur; fitque satis naturali aequitati, quae postulat ut possit quisque coram judice se defendere, si eum coram illo actor persequitur; quod valet etiam coram judice, licet ad unam causam dumtaxat delegato vel alioquin incompetenti, nisi sit *absolute* incompetens (*can.* 1692). Quare laicus ad tribunal saeculare a clerico citatus, hunc poterit reconvenire, dummodo objectum actionis reconventionalis ne sit causa natura sua spiritualis.

II. Actiones reconventionales etsi statim post litis contestationem, utiliter tamen quovis judicii momento, dummodo ante sententiam, proponi possunt (*can.* 1630, § 1).

629. **Reconventionis effectus.** — Ex iis quae dicta sunt, reconventio prorogat jurisdictionem judicis qui de actione principali cognoscit, modo ne in reconventionali sit *absolute* incompetens. Efficit deinde ut acta causae principalis cognoscantur simul cum conventionali, et utraque quaestio, etiam diversa atque inaequalis, eodem tempore unaque sententia definiatur. Potest tamen judex eas separatim cognoscere, etiam in eodem judicio, si necessarium aut opportunius existimaverit (*Ibid.*, § 2).

CAPUT IV

DE ACTIONIBUS SEU REMEDIIS POSSESSORIIS

630. **Praenotanda.** — I. Rem *possidere* est eam habere penes se physice, sive sub propria potestate physica. Haec potestas est mere materialis, neque ex eo dependet quod possessor habeat reipsa aut non habeat jus illam exercendi (1). Possessio id est facto, quod jure proprietas; possessio tribuit physicam potestatem et materialem, at proprietas juridicam et legalem; proprietarius jus habet possidendi, possessor hoc jus facto exercet. Plerumque rei proprietarius est etiam possessor ejusdem, sed fieri potest ut alter sit rei proprietarius, alter possessor.

631. II. **Possessio juridica et naturalis.** — Possessio *juridica* est possibilitas physica disponendi de re, cum ceterorum exclusione, et cum intentione se gerendi relate ad illam immediate et independenter. *Naturalis* est simplex rei detentio sive habitio sine intentione illam sibi retinendi.

III. **Possessionis consequentiae juridicae.** — Possessio non est jus sed merum factum (*res facti*); ex ea tamen effectus juridici consequuntur, quia factum illud opportune contra arbitrarias perturbationes firmatum et defensum est; haec autem protectio sive tuitio est juridicus effectus facti possessionis. Ita possessor, quatenus is est, habet *jus possessionis* quod *per se* ex facto possessionis derivatur, quodque est independens a jure ad possessionem sive *possidendi,* hoc enim jus ad alium pertinere potest. Proprietarius jus habet possidendi rem, quae ad ipsum pertinet, etiamsi facto non possideat; possessor solo facto possidendi etiam sine jure ad illud, fruitur pluribus emolumentis, quae sunt jura ex facto possessionis exorta. Sic latro caret omni jure in rem ablatam quam possidet; caret *jure possidendi*, sed habet *jus possessionis,* est rei juridicus possessor, qui, ut talis, actionibus convenientibus contra tertii perturbationes arbitrarias protegitur (Vide *can.* 1694).

IV. **Ratio possessionis juridice protegendae.** — Ratio qua haec tutela possessioni conceditur, etiam cum est sine jure, i. e., cum est merum factum, est quia non potest publica auctoritas arbitrariam perturbationem praesentis status rerum permittere. Possessio est factum quod ne ab eo quidem qui jus habet in rem possessam potest immutari sine ordinis socialis juridici infractione, cujus custodia ad reipublicae auctoritatem pertinet; unde qui possessorem possessione privare vult, publicae auctoritatis auxilio uti debet.

V. **Juridicus effectus possessionis.** — Effectus juridicus *peculiaris*

---

(1) Fragmentum *Pauli,* 1, pr. de acquir. v. amitt. poss. 41, 2; *Ulpian.* fr. 12, § 1, eod.

possessionis est, ex iis quae diximus, jus protectionis obtinendae contra arbitrarias perturbationes; ad quod efficiendum sufficit possessio per se ipsa sine aliis circumstantiis, in ea tamen sola mensura a jure positivo concessa. Adjunctis aliis concurrentibus, locum praebere potest aliis juridicis consequentiis maximi momenti, inter quas est praecipua proprietatis per praescriptionem acquisitio.

632. **Possessio justa et injusta.** — Haec distinctio ad originem possessionis referenda est. *Justa* dicitur possessio, cum sine vitio incepit, i. e. cum *nec vi, nec clam, nec precario* est acquisita. *Injusta* aut vitiosa est, quae in ipso ortu infecta est aliquo ex his tribus vitiis.—Adest *vis* cum possessor violentiam adhibet in corpus aut voluntatem praecedentis possessoris, ad eum possessione spoliandum. Adest *clandestinitas* cum antecedens possessor celatus est de actu acquirendi, ad vitandam ejus oppositionem. Adest tandem merus titulus *precarius,* cum aliquis possidere incipit, quia praecedens possessor concessit, reservata facultate possessionis sibi ad arbitrium redintegrandae.

633. **Possessio bonae et malae fidei.** — *Bona fides* est persuasio quam habet aliquis se non agere contra jus neque alteri nocere, cum rem possidet vel sibi attribuit; quae solet ostendi *opinione dominii,* etsi haec opinio sive persuasio neque semper necessaria est neque semper sufficiens ad bonam fidem stabiliendam. Cum is qui rem sibi adjudicat, scit aut scire debet se injustitiam committere, est possessor *malae fidei.*

Sed possessio bonae vel malae fidei cum justa aut injusta possessione non est confundenda. Potest aliquis bona fide possidere, sed tamen injuste, v. gr., cum per vim rem occupat quam ad se pertinere putat; contra, potest aliquis juste possidere, sed tamen mala fide, v. gr., quando cum titulo sufficienti ad dominium transferendum aliquis rem acquirit ab aliquo quem scit neque proprietarium esse, neque habere facultatem de illa disponendi.

634. **Jurium quasi-possessio.** — Etsi possessio ad corporalia refertur, cum detineri sola illa possint; tamen in jure canonico admittitur species possessionis relate ad jura, quae *juris quasi-possessio* dicitur, per quam exercitium juris intelligitur. Cum enim legalis possessio rei corporalis nihil aliud sit tandem aliquando quam re ipsa exercitium *facti* circa jus ipsum proprietatis super hac re, aliorum jurium exercitium quamdam similitudinem cum vera possessione refert.

635. **Actiones aut remedia possessoria.** — Vocantur actiones possessoriae eae quarum finis est possessionem defendere contra impugnationes quibus perturbatur aut destruitur. A jure romano dicuntur interdicta. Sed Codex accepit denominationem *actionum* aut *remediorum* possessoriorum, non attenta juris romani nomenclatura.

636. **Actio ad possessionem acquirendam.** — Qui ad possessionem alicujus rei adipiscendam, vel ad alicujus juris exercitium munitur titulo legitimo, petere potest ut in rei possessionem vel juris exercitium seu quasi-possessionem immittatur (*can.* 1693).

637. **Actio retinendae possessionis. I. Cui competit.**—1.° Qui *annum integrum* in possessione rei vel in quasi-possessione juris manserit, si molestiam patiatur quominus suam possessionem vel quasi-possessionem retineat, habet actionem *retinendae possessionis (can.* 1695, § 1), sive interdictum retinendi.

2.° Etiam ei qui vi, clam vel precario annum integrum in

possessione rei manserit, actio *retinendae possessionis* competit adversus quemlibet deturbatorem: non autem contra personam a qua ipse rem vi vel clam surripuit aut precario accepit (*can.* 1696, § 1).

In causis quae ad bonum publicum spectant, justitiae promotori jus est opponendi ex officio vitium possessionis adversus eum qui vi, clam vel precario possidet; qui vi nuntiationis poterit ex officio de possessione deturbari (*Ibid.*, § 2). Igitur in beneficium intrusus ab eo detrudi poterit.

II. **Quamdiu admittitur.** — Haec actio contra possessoris perturbatorem non admittitur nisi intra annum ab illata molestia (*can.* 1695, § 2).

III. **Possessores praeferendi.** — Si inter duos controversia oriatur uter eorum possideat, ille in possessione praeferendus est qui intra annum frequentiores et potiores possessionis actus exercuit (*can.* 1697, § 1). In dubio judex possessionem *pro indiviso* utrique parti attribuere debet (*Ibid.*, § 2) usque ad finem litis. Quod si rei vel juris indoles aut contentionum et rixarum periculum non patiantur ut litigantibus pro indiviso possessio interim attribuatur, judex rem apud sequestrem deponi jubere debet, aut juris quasi-possessionem suspendi usque ad judicii petitorii exitum (*Ibid.*, § 3).

Animadversio. Actio ad retinendam possessionem est plerumque quasi primus aditus ad judicium petitorium, i. e., ad judicium de proprietate. Nam in quaestionibus proprietatis actio vindicatoria a proprietario non possessore proponitur adversus possessorem non proprietarium. Valde igitur refert scire quis sit possessor et cui competat, ut tali, partes rei, quae multo sunt faciliores, sustinere, et quis contra debet partes actoris agere, quae sunt multo difficiliores; quandoquidem hic ut victor evadat, debet jus proprietatis probare suum, quod est saepe difficilius.

638. **Actio ad recuperandam possesionem** (*aut interdictum recuperandi*)— 1.° Qui vi aut clam quoquo modo a possessione rei vel quasi possessione juris dejectus est, adversus quemlibet spolii auctorem vel rei detentorem habet actionem *recuperandae possessionis* vel de spolio et spolii exceptionem (*can.* 1698, § 1). (1).

2.° Ut haec actio efficax sit, et spoliatus ut in possessionem restituatur, nihil aliud probare debet, nisi spoliationem ipsam (*can.* 1699, § 2).

3.° Actio spolii non admittitur praeterlapso anno postquam spolium passus rei notitiam habuit (*can.* 1698, § 2).

---

(1) In jure romano interdictum *de vi* spoliato possessione rei immobilis concessum, solum opponi poterat contra dejicientem, qui reus esse debebat, sive possesor erat, sive non (*Ulpianus,* fr. 1, § 42 *de vi* D. 43, 16). Sed jam in jure Decretalium Innocentius III (*cap.* 18, X, *de restit. spoliat.* II, 13) hanc interdicti romani ampliationem statuerat, quod tantum valebat contra spoliatorem et actorem, vim ei tribuendo actionis validae contra quemvis rei possessorem.

639. **Exceptio spolii.** — Spoliatus habet praeterea *spolii exceptionem* quam, si probat spolium, spolianti opponere potest, neque tenetur respondere, nisi prius sit in suam possessionem restitutus; *spoliatus* enim *ante omnia restituendus* (*can.* 1699, § 1). Haec exceptio perpetua est (*can.* 1698, § 2).

640. **Suspensio restitutionis.** — Quod si in restitutione rei vel exercitii juris aliquod occurrat periculum, judex ad instantiam partis vel promotoris justitiae pro diversis personarum causarumve adjunctis potest decernere ut vel restitutio suspendantur, vel res aut persona apud sequestrem custodiatur, donec causa petitorio judicio definietur (*can.* 1699, § 3). Talis est casus uxoris quae desinit cum marito cohabitare, spolium in eum committens; maritus habet contra illam spolii actionem ut ad consortium conjugale restituatur; quod si uxor matrimonium esse nullum praesumit, potest maritus spolii exceptionem opponere. At vero quia facile illa mariti saevitiis potest esse obnoxia, judicis erit aut simpliciter restitutionem cohabitationis suspendere aut mulierem penes honestam familiam aut matronam relinquere.

Adnotatio. Quod attinet ad reparationem damnorum quae e perturbatione possessionis orta sunt et ad fructuum perceptorum restitutionem, videtur obligatio a bona vel mala fide possessoris pendere. Cfr. *Santi-Leitner, lib.* II, *tit.* 13, *n.* 20 *seq.*

641. **Ratio absolvendi judicia possessoria.** — Judicia possessoria absolvenda sunt, citata dumtaxat adversa parte in judiciis retinendae vel recuperandae possessionis; citatis vero omnibus iis quorum interest, in judiciis adipiscendae (*can.* 1700).

CAPUT VII

DE EXSTINCTIONE ACTIONUM

642. **Notio.** — Actio extincta manere dicitur, cum in judicio valida fieri non potest.

643. **Exstinctio actionum in contentiosis.** — I. In contentiosis actiones tum *reales* tum *personales* exstinguuntur praescriptione, eodem modo quo bona et jura praescriptione acquiruntur et quo aliquis solvitur ab obligatione ad normam can. 1508-1512 (*can.* 1701). Vide *n.* 481 *seq.*

II. Praescriptio in contentiosis currit ex quo actio primum potuit jure proponi (*can.* 1705, § 1).

III. Actiones de *statu* personarum nunquam exstinguuntur (*can.* 1701) (1).

644. **Qua de causa actiones exstinguantur.**—Ratio est eadem quae legitimum reddit praescriptionis institutum ab omnibus legislationibus stabilitum. Proprietatis incuria necessario consequeretur ex aeterna ejus incertitudine, si, ut bonum commune exigit, possessoris sors non definiretur post aliquod tempus satis longum, ut ex cursu rerum regulari non sit appellandum involuntarium aut inculpabile damnum quo afficitur antiquus dominus ejus rei quae praescribitur (2).

645. **Actionis criminalis exstinctio**. — 1.° Actio criminalis morte rei exstinguitur (*can.* 1702); de delicto enim, ut tali, quatenus culpam personalem continet, heredes aut successores non possunt respondere (*Ibid.*).

2.° Condonatione legitimae potestatis. In qua re animadvertendum est *Superiores* habere in foro ecclesiastico majores attributiones sive facultates quam in saeculari, ubi causarum criminalium cognitio committitur judicibus, quorum est leges applicare, quae in foro saeculari sunt independentes a potestate administrativa. Vide can. 2214, 2223.

3.° Lapsu temporis utilis ad actionem criminalem proponendam (*can.* 1702).

646. **Quomodo tempus computandum.** — I. Hoc tempus, exceptis delictis S. Congregationi S. Officii reservatis, est *a*) *unus annus*, si agitur de delicto *injuriae* (*can.* 1703, 1.°); *b*) *quinquennium* ob delicta qualificata contra VI et VII Decalogi praeceptum (*Ibid.*, 2.°); *c*) *decennium* ob *simoniam* vel *homicidium* (*Ibid.*, 3.°); tandem *triennium* pro ceteris delictis (*can.* 1703).

II. Praescriptio currit a die patrati delicti (*can.* 1705, § 1) (3),

---

(1) Salvis canonibus de quibus facta mentio est, relate ad rei acquisitionem et ad liberationem obligationum per praescriptionem, in jure civili hispano fit discrimen ad *actionum praescriptionem* inter actiones *reales* et *personales*. Reales, si recidunt in *mobilia*, praescribuntur spatio sex annorum; si in *immobilia*, spatio triginta. Attamen, si possessor rei contra quam actio proponitur jam rei dominium praescriptione acquisivit, ob bonam fidem, si res est mobilis, et ob bonam fidem et justum titulum, si immobilis est, in utroque casu dominium a possessore acquisitum destruit actionem antiqui proprietarii; quare hujus actio realis destruitur praescriptione breviore (trium annorum in re mobili, decem aut viginti in re immobili), ratione conditionum particularium in quibus possessor invenitur. (Cod. civ., *art.* 1955, 1957, 1959, 1962 et 1963). Excipitur actio *hypothecaria*, quae praescribitur spatio viginti annorum (Cod. civ., *art.* 1964). Actiones autem *personales* cum non habent specialem terminum definitum (vide *art.* 1966 *seq.*), quindecim annis praescribuntur (*art.* 1964).

(2) Vide Romanum legislatorem apud *Justinian.* II, 6, *de usuc. pr.;* D. XLI, 3, *de usurp. et usuc.* L. 1; D. XLI, 10, *pro suo* L. 5; C. VII, 39 *de praescr.* L. 7, pr.; C. VII, 40, *de ann. except.*, L. 2 pr. Simili modo Alexander III rationes comprehendit in *cap.* 5, X, *de praescrip.*, II, 26.

(3) In jure Codicem praecedente nullum erat speciale praescriptum super actionum criminalium praescriptione. Solum regula tradita fuerat in causae Lublinensis discussione a S. Congregat. Episcoporum et Regularium (vide *Acta S. Sedis, vol.* 30, *pag.* 677),

nisi agatur de delictis successivis ubi non currit praescriptio, nisi a die qua delicti tractus cessavit (*Ibid.*, § 2), aut agatur de delictis habitualibus vel continuatis in quibus praescriptio non decurrit nisi post ultimum actum; et conventus ob aliquem criminosum actum tenetur non solum de hoc respondere, sed etiam de antiquioribus, qui cum eodem connectuntur, nisi post ultimum actum positum praescriptionis tempus sit expletum (*Ibid.*, § 3). Delictum habituale vel continuatum est, verbi causa, concubinatus.

647. **Post actionem peremptam.** — I. Actione criminali per praescriptionem perempta, firma remanet actio contentiosa ad petendam damnorum reparationem, si illis fuerit locus per delictum (*can.* 1704, 1.°).

II. Firma etiam manet facultas Ordinarii non promovendi delinquentem et praeterea prohibendi sacri ministerii exercitium ad normam can. 2222, § 2 (*Ibid.*, 2.°).

648. **Qua de causa actiones criminales praescribantur.** — Haec praescriptio nititur in objectiva difficultate probandi a judice delictum multo antea patratum atque allegandarum ab accusato suae defensionis probationum, delicto jam oblivioni fortasse diuturnitate temporis mandato. Praeterea elapso certo tempore non urget cum tanto rigore ratio boni publici, quod reparationem scandali exposcit. Vide *Wernz*, *vol.* 6, *n.* 84.

TITULUS VI

De causae introductione

CAPUT I

DE LIBELLO LITIS INTRODUCTORIO SIVE DE OBLATIONE LIBELLI

649. **Notio**. — Oblatio libelli (*la demanda*, *la presentación de la demanda*) est petitio quae exhibetur judici, ut jubeat dare, solvere aut facere aliquid, seu, quod in idem recidit, est medium materiale seu instrumentum actionis exercendae (Cfr. *can.* 1706).

Hic animadvertendum est litem non incipere ab oblatione libelli, verum a controversia, quae non habetur donec oblationi respondeatur; hoc autem

---

in qua, cum de delictis omnino occultis ageretur, currere praescriptio dicebatur a die ex quo delictum cognitum erat ab accusato aut inquisitore, quod reapse inutilem reddebat praescriptionem in hoc casu. Vide *Wernz*, Jus Decret., *vol.* 6, *n.* 84, *adnot.* 63.

originem praebet quasi-contractui *litis contestationis*. Vide sentent. Trib. Supr. Hispan, 13 nov. 1907, 5 dec. 1891, 8 jun. 1906, apud *Alcubilla, vol.* 5, *pag.* 597, 599, edit. 6.ª

650. **Qualitates oblationis libelli.** — I. Libellus generaliter scripto proponendus est (*escrito de demanda, pedimento*). At qui scribere nescit, aut legitime impeditur quominus libellum exhibeat, ore tenus petitionem suam coram tribunali proponere potest (*can.* 1707, § 1). Item in causis facilioris investigationis et minoris momenti ac propterea cito expediendis, judicis arbitrio relinquitur petitionis admissio ore tenus sibi facta (*Ibid.*, § 2). In utroque tamen casu judicis est notarium jubere scriptis actum redigere, qui actori legendus est et ab eo probandus (*Ibid.*, § 3).

II. Praeterea libellus quo lis introducitur debet:

1.º Exprimere coram quo judice causa introducatur, quid petatur, et a quo petatur.

2.º Indicare, generatim saltem, quo jure innitatur actor ad comprobanda ea quae allegantur et asseruntur.

3.º Subscribi ab actore vel ejus procuratore, apposito die, mense, anno et loco in quo actor vel ejus procurator habitant, aut residere se dixerint, actorum recipiendorum gratia (*can.* 1708).

651. **Acceptio aut rejectio libelli.** — I. Judex vel tribunal, postquam viderit et rem esse suae competentiae et actori legitimam personam esse standi in judicio, debet quantocius libellum aut admittere aut rejicere, adjectis in hoc altero casu rejectionis causis (*can.* 1709, § 1).

II. Si judicis decreto libellus rejectus erit ob vitia quae emendari possunt, actor novum libellum rite confectum potest eidem judici denuo exhibere; quod si judex emendatum libellum rejecerit, novae rejectionis rationes debet exponere (*Ibid.*, § 2).

III. Adversus libelli rejectionem a judice factam integrum semper est parti intra tempus utile *decem dierum* recursum interponere ad superius tribunal; a quo audita parte et promotore justitiae aut vinculi defensore, quaestio rejectionis expeditissime definienda est (*Ibid.* § 3).

IV. Si judex *elapso mense* ab exhibito libello decretum non ediderit quo libellum admittit vel rejicit, pars cujus interest instare potest ut judex suo munere fungatur; quod si nihilominus judex sileat, lapsis *quinque diebus* a facta instantia, poterit recursum ad Ordinarium loci, si ipse judex non sit, vel ad superius tribunal interponere, ut vel judex ad definiendam causam adigatur vel alius in ejus locum subrogetur (*can.* 1710).

652. **Animadversio de libello redigendo.** — Usu docti animadvertunt libellum maxime influere in cursum et exitum judicii, et ex actione quae in illo deducitur, atque ex modo eum proponendi finem secundum aut adversum pendere. Attamen qui simplicitatem legum ad libellum institutarum

considerarit, quarum observatio sine dubio sufficit ad judicia ecclesiastica, prorsus perspiciet Ecclesiae minime placere verba ad meram formulam concepta et supervacua, eamque velle ut in judiciis veritas, justitia et rationum natura potius quam externae formulae attendantur. Jam Alexander III prohibuerat quominus juris romani subtilitates adhiberentur, actorem solvens a declaranda nomine proprio actione qua utebatur (*cap.* 6, X, *de judiciis,* II, 1).

Expedit igitur ut scripta omnibus formulis exuantur quae non sint omnino necessariae, ut simplicissima reddantur, contineanturque limitibus dictionis minime infucatae aut calamistratae, sed quae factorum ratiociniorumque rationem reddat expunctis formulis et clausulis quibus solent in foro augeri et amplificari (1). Juris interpretes libelli scripti virtutes hoc disticho comprehendunt: *Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, et a quo. — Ordine confectus quisque libellus habet.*

CAPUT II

DE CITATIONE ET DENUNTIATIONE ACTORUM JUDICIALIUM

653.—Libello actoris vel orali petitione a judice admissa, locus est vocationi in jus seu citationi (*citación*, *emplazamiento*) alterius partis sive rei (*can.* 1711, § 1); nisi partes litigantes sponte coram judice se sistant ad causam agendam, quo in casu opus non est citatione, sed actuarii significatione in actis partes sponte sua judicio adfuisse (*Ibid.*, § 2).

654. **Notio.** — *Citatio* seu *in jus vocatio* stricte sumpta est actus judicialis quo reus auctoritate imperioque judicis ad tribunal vocatur, ut coram judice se sistat. Sensu latiore sonat mandatum veniendi ad judicium cuicumque, etsi datum non reo, sed testi, etc.

Divisio. — In jus vocatio esse potest: 1.° *generalis* et *particularis*. Per hanc citatur certa persona aut certae personae. Per illam in judicium vocantur quicumque sua interesse aut jus ad rem habere putant, ut per edicta vocantur interesse habentes ad testamentum, legatum pium, cappellaniam, patronatum sive activum sive passivum, etc.

2.° *Realis* et *verbalis*. *Realis* consistit in personae apprehensione, et habet locum in causis criminalibus. *Verbalis* fit ore tenus vel scripto.

3.° *Publica* et *privata*. *Publica*, quae *edictalis* etiam dicitur, fit per schedam vel per edictum publicum; non est cum generali confundenda, publica enim citatione unus vocari potest. *Privata* fit per schedam particularem qua certa persona vocatur, fit autem coram ea ejusve familia aut vicinia.

---

(1) In **Hispania** magis forsitan necessaria est haec animadversio, quod in tribunalibus ecclesiasticis formulas serviliter secuti sunt praescriptas a lege *de Enjuiciamiento civil*, opinamurque futurum esse ut litium perspicuitati brevitatique serviatur, simplicibus Codicis formulis ad amussim servatis.

4.° *Simplex* et *peremptoria*. Illa citatum, si non comparet, non reddit contumacem, nisi ter facta sit. Haec, licet non repetatur, reum citatum reddit contumacem, si termino constituto non comparet.

Adnotatio. — In jure **hispano** citatio (*emplazamiento*) dicitur praesertim mandatum coram tribunali intra certum tempus comparendi. Non autem citatio peremptoria cum hoc mandato confundenda est; per hoc enim solum comparendi tempus assignatur, at finis citationis peremptoriae est ulteriores vitare citationes, ita ut, finito termino seu spatio elapso, in contumaciam incurratur.

655. **Citationis necessitas.**—Citatio rei ad validitatem actuum judicialium necessaria est (*can.* 1723). Ratio est, quia jus naturale postulat ne quis condemnetur, antequam audiatur, neve ab ullo auferatur potestas sui defendendi; qui autem certior non fit de actu qui ei ejusque juribus possit nocere, se defendere non potest. (Vide *Wernz*, *vol.* 5, *n.* 394 *seq.*). Suprema lex omnis judicialis cognitionis haec est: ut *audiatur et altera pars* (1).

Solemnitates citationis sunt juris humani; unde possunt, salva substantia, a legislatore immutari vel dispensari.

656. **A quo et cui citatio denuntianda**. — I. Citatio facienda est a judice (*can.* 1712, § 1) competenti, in quo inest publica auctoritas ut reum cogat ad se sistendum coram tribunali; et ita facienda est, ut libello litis introductorio inscribatur aut adjungatur (*Ibid.*). Ratio autem exemplaris ad reum mittendi haec est, ut cognita citatione deliberare possit quid sibi agendum sit.

II. Citatio est denuntianda reo, et, si erunt plures, singulis (*Ibid.*, § 2). Si lis movetur ei qui non habet liberam administrationem rerum de quibus disceptatur, propertereaque caret persona ut se sistat, citatio denuntianda est ei qui ipsius nomine judicium suscipere tenetur ad normam can. 1648-1654 (*can.* 1713). Vide quae dicta sunt *n.* 590.

III. Citatio debet insuper actori nota fieri, ut statuta die et hora ipse quoque coram judice se sistat (*can.* 1712, § 3).

657. **Citationis forma et character**. — I. Citatio denuntianda est per schedam, quae praeceptum judicis parti conventae factum ad comparendum exprimat, causa ob quam conveniatur saltem verbis generalibus indicata, item nomine et cognomine judicis, rei et actoris, loco et tempore, id est anno, mense, die et hora ad comparendum praefixa perspicue indicata (*can.* 1715, § 1). Citatio, sigillo tribunalis munita, subscribenda est a judice vel ab ejus auditore et a notario (*Ibid.*, § 2).

---

(1) Jus canonicum hanc regulam expressit illo effato cap. 1, X *de caus. poss. et propr.*, II, 12: *Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus decernere.* Idem axioma jure romano expressum est: *Neque enim inaudita causa quemquam damnari aequitatis ratio patitur.* L. 1, D. *de requir. reis*, XLVIII, 17.

II. Si scheda citatoria non ita sit confecta aut non legitime intimata, nullius momenti sunt tum citatio tum acta totius processus (*can.* 1723).

Nomen et cognomen judicis ideo exiguntur, ut reus illius competentiam aut incompetentiam intelligat, non enim est judici incompetenti obtemperandum, contra quem etiam opponi exceptio declinatoria potest; deinde reus debet cognoscere utrum judex ordinarius delegatusne sit; neque enim, ad normam can. 200, § 2 (vide *vol.* 1, *n.* 369), judici delegato parendum est, nisi allata delegationis probatione. Nomen autem et cognomen actoris in citatione scribendum est, primum ut reo constet se ad instantiam partis, non ex officio, ad tribunal citari, tum ut investigare possit num actor habeat personam juridicam ad se sistendum, tanquam actorem. Ratio ceterorum requisitorum citationis per se ipsa evidens est.

Citatio duplici scheda conficienda est, quarum altera reo convento remittenda, altera asservanda in actis (*can.* 1716).

III. In judiciis ecclesiasticis **quaelibet citatio est peremptoria** (*can.* 1714); quare jus tribuit ut sine nova citatione pars quae non obedivit contumax declaretur. Quod si judex ad vincendam contumaciam reumque efficaciter obligandum ut compareat, uti volet poenis ecclesiasticis, ad quas certe jus habet, debet citationem repetere cum poenarum comminatione ad normam can. 1845, § 2 (*Ibid.*).

658. **Modus eam declarandi.** — I. Citatio declaratur, si fieri potest, per Curiae cursorem, qui citationis schedam tradat ipsi convento, ubicumque is invenitur (*can.* 1717, § 1). Ad hoc cursor etiam fines alterius dioecesis ingredi potest, si judex id expedire censuerit, et eidem cursori mandaverit (*Ibid.*, § 2) (1). Si cursor personam conventam non invenerit in loco ubi commoratur, relinquere poterit citatoriam schedam alicui de ejus familia aut famulatu, si hic eam recipere paratus sit ac spondeat se reo convento quamprimum schedam acceptam traditurum; sin minus eam ad judicem referet, ut transmittatur per tabellarios (*Ibid.*, § 3).

II. Reus qui citatoriam schedam recipere recuset, legitime citatus habendus est (*can.* 1718).

III. Si ob distantiam vel aliam causam difficulter per cursorem tradi possit reo convento scheda citatoria, poterit jussu judicis transmitti per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit (*can.* 1719). Hac securitate opus est propter effectus juridicos qui consequuntur inobedientiam

---

(1) In jure superiore communior opinio docebat citationem in alieno territorio tam *realem*, sive apprehensionem rei, quam *verbalem* conventi faciendam esse per exhortum ad Ordinarium illius territorii; etsi *Card. de Luca* cum aliis contrariam opinionem defendebat. Vide *Wernz, vol.* 5, *n.* 402.

mandato citationis. Ad hunc finem si per tabellariorum officium citatio transmittatur, asservetur in actis oportet fides ejusdem officii (*can.* 1722, § 2).

IV. Demum quoties, diligenti inquisitione peracta, adhuc ignoratur ubi commoretur reus, locus est citationi *per edictum* (*can.* 1720, § 1). Hoc autem fit affigendo per cursorem ad fores Curiae schedam citationis ad modum edicti per tempus prudenti judicis arbitrio determinandum et in aliqua publica ephemeride eam inserendo; si vero utrumque fieri nequeat, alterutrum sufficiet (*Ibid.*, § 2).

659. **Quo tempore facienda citatio.** — Citatio facienda est die habili, i. e. non feriato, ad normam can. 1639, nisi locus erit exceptionibus quae propter bonum publicum aut necessitate in ipso canone assignantur. Habenda irrita videtur citatio facta die feriato, nisi accedit exceptio quam diximus decreto judicis declarata. Attamen citatio edictalis qua reus die feriato comparere deberet, valida videtur, quod terminus intelligendus esset prorogatus ad primum sequentem diem non feriatum, ad normam can. 1635.

660. **Obligationes cursoris**. —Cursor (*alguacil, nuncio*), cum in manu rei conventi citationis schedam relinquit, debet eam subsignare, adnotato die et hora qua reo tradita est (*can.* 1721, § 1). Debet idem peragere, si eam relinquit in manibus alicujus de familia aut famulatu rei conventi, addito insuper nomine personae cui schedam tradidit (*Ibid.*, § 2). Si reus receptionem schedae recuset, cursor schedam ipsam subsignatam, addito die et hora recusationis, judici remittere debet (*Ibid.*, § 4). Si citatio fiet per edictum, cursor in edicti calce signare debet quo die et hora edictum affixum sit ad fores Curiae et quandiu affixum manserit (*Ibid.*, § 3). Cursor quae peregit ad judicem referre debet in scriptis manu propria subsignatis, quae in actis servanda sunt (*can.* 1722, § 1).

661. **Denuntiationes a citatione diversae.** — Omnes actus tum interlocutorii, aut merae substantiationis, tum definitivi cognoscendi sunt a personis quarum interest, praecipue a partibus vel procuratoribus aut curatoribus; actus *qui sic exercetur denuntiatio* dicitur. Jam vero regulae superius statutae pro rei citatione, his denuntiationibus ceterisque judicii actibus, pro diversa tamen eorum natura, accommodandae et applicandae sunt (*can.* 1724).

662. **Effectus citationis legitimae.** — Codex, can. 1725, hos enumerat:

1.° Res desinit esse integra. Nempe jam judex jurisdictionem interposuit, judiciumque incoeptum est, non tamen lis aut litigium; reus enim conventus loco contestandi libellum potest petitionibus aut juribus actoris se subjicere.

2.° *Causa* fit *propria illius judicis* aut *tribunalis*, coram quo actio instituta est, jus praeventionis in favorem illius inducendo,

quo jure excluditur competentia actualis ceterorum judicum competentium et optio quam actor habet reum coram quolibet eorum persequendi. Vide *can.* 1559, 1568 et *n.* 532 *seq.*

3.° Causa fit *perpetua* et in judice delegato *firma redditur jurisdictio*, ita ut non exspiret jure delegantis morte, translatione aliave causa resoluto (1).

4.° *Interrumpitur praescriptio*, nisi aliud cautum est a legibus civilibus alicujus regionis, quas hic Ecclesia facit suas, ad norman can. 1508 (vide *n.* 481). Ratio est, quia aut tollit aut interrumpit bonam fidem necessariam non modo ad praescriptionem suscipiendam sed etiam continuandam (*can.* 1512).

Ex jure **hispano** praescriptio interrumpitur juridica citatione facta possessori, etsi fiat mandato judicis *incompetentis;* item interrumpitur *conciliationis actu,* quoties intra duos menses post eum celebratum afferatur coram judice libellus de possessione vel dominio rei de qua quaeritur. At contra, citatio judicialis praescriptionem non interrumpit: 1.° si nulla fuerit ob defectum legalium solemnitatum; 2.° si actor ab actione desistit, aut instantiam sinit exspirare; 3.° si possessor ab actione solutus est. Vide Codicem civilem, *art.* 1945-1947. Cum in his casibus interruptio *non naturalis* sit sed *civilis,* effectum non sortitur nisi relate ad adversarium, minime ad tertias personas. Cfr. *Ferreres*, Comp. Theol. Mor., *vol.* 1, *n.* 721 (edit. 8, 1.ª post Codic.).

5.° *Lis pendere* incipit, saltem in iis quae ad illud principium referuntur, scil. nihil in re litigiosa immutandam: *lite pendente, nihil innovetur.* Vide *tit.* XI, *cap.* 3 (2). Alii effectus *litispendentiae* magis videntur esse proprii contestationis libelli ad normam can. 1731 (Vide *Wernz*, *vol.* 5, *n.* 407, 4, et *cap.* 30, X, X, *de verb. signif.* V, 40).

Adnotatio. – Codex eosdem effectus attribuit partibus litigantibus quae sponte coram judice se sistunt ad causam agendam, quam si citatae judicio adfuissent, ad normam can. 1711, § 2. Vide *n.* 651.

---

(1) Etiam firma fieri videtur delegati jurisdictio quatenus is potest in causa usque ad sententiam procedere, etiamsi reus appellet delegantem, si post citationem appellatio interponitur, propter generalitatem principii canone firmati, qui in jure superiore hunc casum includebat. Vide *cap.* 9, 30, X, *de appell.* II, 28.

(2) Cfr. ad jus Decretalium Clementinam 2.am (II, 15): «Cum, lite pendente, nihil debeat innovari, litem *quoad hoc* pendere censemus postquam a judice competente in ea *citatio* emanaverit...» *Reiffenstuel,* 2, 16, *n.* 2 *seq.*

TITULUS VII

De litis contestatione

663.—Oblato libello citatoque reo, deliberandum ipsi est utrum subjiciendus sit actoris petitionibus eo quod justae sint, an illis opponendus eo quod sint aut habeantur injustae. In primo casu liti locus non est; in altero oppositionem formaliter judici declarare debet contra postulata actoris; haec autem declaratio dicitur *litis contestatio*.

Notio. — Est igitur litis contestatio responsum rei conventi coram judice, per quod cum animo litigandi omnino aut ex parte opponitur actoris petitioni (1). Vide *Wernz*, *vol.* 5, *n.* 450; *Lega*, l. c., *vol.* 1, *n.* 417 *seq.* Inde patet ipsa litis contestatione constitui objectum seu materiam judicii, a judice per sententiam definiendi (*can.* 1726).

664. **Solemnitates contestationis.** — Ad litis contestationem nulla necessaria est solemnitas, sed sufficit ut partibus coram judice vel ejus delegato comparentibus, in actis inseratur petitio actoris et contradictio conventi, unde constet perspicue qua de re agatur seu quinam sint controversiae termini (*can.* 1727).

Jus antiquum idem erat; nullam enim certam formam fontes praescribebant, neque interpretum de hac re quaestiones circa aliquam definitam formam versabantur qua litis contestatio esset facienda; jamque superius innuimus jus ecclesiasticum, quamquam multa a jure romano acceperit, non tamen omnes illius formas sive solemnitates desumpsisse quae erant ei peculiares. Vide *Wernz*, *vol.* 5, *n.* 458 *seq.*; *Lega*, l. c., *nn.* 417, 420.

665. **Concordatio dubiorum** (seu definitio quaestionum facti et juris quae disceptantur). — Hoc nomine significatur in foro ecclesiastico petitionis et contestationis definitio, quae fit per articulos interrogatorios vel dubitativos, de quorum singulis debet judex definire communiter responso affirmativo aut negativo. Est modus, ut patet, dividendi petitionem et contestationem in partes quae continentur singulis articulis, qui, actore et reo consentientibus, sunt redigendi; quare *concordatio dubiorum* dicitur. Hic mos erat ferme communis SS. Romanis Congregationibus non solum ad *dubia juris* solvenda, sed in causis etiam contentiosis, quae sen-

---

(1) Alii eam verbis generalioribus definiunt, cum dicunt esse responsum a convento datum actionis causam vel fundamentum confitendo aut negando. Cfr. *Alcubilla*, l. c., *vol.* 5, *pag.* 597 (edit. 6.ª).

sim sine sensu omnes fere ad Sacras Congregationes transierant, et horum activitatem pene totam absorbebant, cum habebantur *juris ordine servato.* (Vide *Santi*, *lib.* II, *tit.* 5, *n.* 8; *Ferreres*, La Curia Romana, *nn.* 165-180).

Codex (*can.* 1728) jubet asservari hanc contestationis formam in causis implicatioribus, in quibus petitio actoris nec perspicua sit nec simplex, vel contradictio conventi difficultatibus scateat; ubi judex ex officio aut ad instantiam actoris vel conventi, partes citare potest ad rite definiendos controversiae articulos, i. e. ad causae *dubia*, ut dicitur, *concordanda.*

In *Lege propria* S. R. Rotae, can. 23, § 1, litis contestatio dicitur indiscriminatim *litis contestatio* et *dubiorum concordatio.* Vide Regulas super hac re servandas a S. R. Rota, *tit.* I, § 31 *seq.*, apud *Ferreres*, La Curia Romana, *pag.* 3, et *Wernz*, *vol.* 5, *tom.* 2, *pag.* 175.

666. **Modus agendi in litis contestatione.** — *a*) Partes litigantes praecepto judicis obedientes quod reo datum est per citationem et actori per citationis nuntiationem, tribunali adesse debent die et hora indicta ad contestationem aut dubiorum *concordationem.*

b) Si die dubiis concordandis praestituta, pars in jus vocata non compareat nec justam absentiae excusationem alleget, contumax potest declarari, et dubiorum formula statui ex officio, parte, quae praesens fuerit, id postulante. Parti autem contumaci statim id notum ex officio faciendum est, ut quas velit exceptiones contra dubiorum seu articulorum formulam possit proponere et a contumacia se purgare, intra tempus quod judici congruum videatur (*can.* 1729, § 1).

c) Partibus tempore statuto praesentibus, proceditur coram judice ad simplicem litis contestationem, aut si res ferat, ad articulorum formulam quae fit partibus concordibus. Quo in casu, si judex nihil opponendum habeat, formulam concordatam approbat decreto suo. Si vero partes dissentiunt aut earum conclusiones judici non probantur, judex ipse controversiam dirimit decreto (*Ibid.*, § 2, 3).

667. **Litis et contestationis immutabilitas.**—I. Lite contestata sive per simplicem oppositionem instante actore, sive per articulos concordatos, neque hi neque illa possunt immutari, materia enim controversiae litis contestatione definita manet; quod si adhuc variatio posset fieri, lites indefinite retardarentur (1).

---

(1) Hoc appellatur jure hispano *cuasi-contrato de litis contestación.* De hac re sic Tribunal supremum: «Es... fundamental principio de derecho procesal... que una vez entablado el pleito no es lícito, durante su curso, alterar las cuestiones planteadas en el mismo, ni suscitar en la segunda instancia otras nuevas que no tengan carácter verdaderamente incidental». (Sent. 17 april. 1909). Cfr. *Alcubilla*, l. c., *vol.* 5, *pag.* 599, edit. 6.ª

II. Cum tamen Ecclesia veritatem potius justitiamque attendat quam rigorem formularum, permitti mutatio poterit novo judicis decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis vel promotoris justitiae vel defensoris vinculi, audita utraque vel altera parte ejusque rationibus perpensis (*can.* 1729, § 4).

668. **Litis contestationis effectus.** — Codex notat sequentes effectus (*can.* 1731): 1.° *Haud licet* actori *libellum mutare*, nisi, reo consentiente, judex, justis de causis, censeat mutationem esse admittendam, quo in casu actor ad compensationem damnorum et expensarum, quae ex mutatione oriantur, obligatur, erga reum.

Libellus non censetur mutatus, *a*) si coarctatur aut mutatur probationis modus; *b*) si minuitur aut petitio aut accessoria petitionis; *c*) si facti adjuncta in libello pridem posita ita illustrantur, complentur aut emendantur, ut controversiae objectum idem remaneat; *d*) si in locum rei ipsius quae petebatur petitur *pretium*, foenus aut *aliquid aequivalens*.

2.° Judex congruum tempus partibus praestituere debet probationibus proponendis et explendis; quod quidem poterit, instantibus partibus, arbitrio suo *prorogare*, dummodo ne lis, ultra quam aequum sit, protrahatur.

3.° Possessor rei alienae *desinit esse bonae fidei* quoad rei litigiosae fructus; quapropter damnatus ad restitutionem, non solum rem ipsam, sed etiam rei fructus a litis contestatae tempore restituere tenetur et damna praeterea sarcire, si qua secuta sunt (*can.* 1731).

699. **Adnotatio historica**. — Interpretes juris Decretalium superioris (1) alios effectus designarunt, quos operae pretium erit breviter recordari: *a*) instantia currere incipit: hic effectus admittitur in can. 1732; — *b*) litigantes vi quasi-contractus ad judicii prosecutionem ad finem usque obligantur; hic effectus etiam est admittendus, quatenus pars altera sine consensu alterius non potest non adesse reliquis actibus judicialibus, quin contumaciae effectibus sit obnoxius ad normam can. 1842 seq.; at minime admittendus est quatenus actor non possit, cum voluerit, actioni renuntiare, et quatenus uterque litigans ex mutuo consensu omnibus actibus judicialibus renuntiare nequeant; contrarium enim habetur in can. 1740. — *c*) Judex non potest recusari ut suspectus, nisi causa recusationis post *litis contestationem* supervenerit, aut quae ante exstiterit ignorata sit. Neque amplius opponi possunt exceptiones declinatoriae fori vel dilatoriae, nisi in ipsis casibus qui ad recusationem excipiuntur. Hic effectus admittendus etiam est, ut declaratur in exponendo canone 1628. Attamen notetur incompetentiam *absolutam* in quovis litis statu tribuere jus ad exceptionem declinatoriam. — *d*) Post litem contestatam, mandatum procuratoris jam revocari non potest sine rationabili et cognita causa, propter quam fit suspectus aut ineptus ad causae patrocinium: ratio afferebatur, quod post litem contestatam procurator fieret dominus litis; at Codex irrevocabilitatem procuratoris non admittit, ut colligitur ex can. 1664. — *e*) Reus qui

---

(1) Vide *Schmalzgrueber, libr.* II, *tit.* 5, *n.* 8; *Wernz,* l. c., *n.* 460; *Lega,* l. c., *n.* 421.

lite contestata juramentum calumniae praestare detrectabat, debebat pro confesso haberi, actor vero ab actione instituta cadebat; sed hic effectus evanuit pariter cum necessitate praestandi juramenti calumniae, de quo nihil Codex. — *f*) Actiones poenales, quod ad effectus civiles attinet, mortuo reo, ad heredes transeunt: hic effectus ex jure Codicis propter analoga statuta in can. 1704, § 1, videtur admittendus.

670. **Actus vetiti ante contestationem.** — Antequam *litis contestatio* locum habuerit, judex ad testium aliarumque probationum receptionem sive examen non potest procedere, nisi in casu contumaciae alteriusutrius e litigantibus. Attamen testium depositio recipi antea poterit, si ipsa ob probabilem testis mortem, v. c., quia valde senex, vel ob discessum ejusdem in locum remotum vel aditu difficilem vel ob aliam justam causam recipi postea nequeat, aut difficulter possit (*can.* 1730), et ita actor aut reus discrimini maneant obnoxii eo quod non potuerint se purgare.

Ratio hujus praescriptionis est, quia ante contestationem plane incertum est num judicium secuturum sit; unde receptio testium aut probationum fraudari posset atque adeo nulla et irrita esse; neque si litigium sequatur, bene definita est materia controversiae. Exceptionum ratio est per se ipsa evidens. Vide *Wernz*, l. c., *n.* 464 *seq.*

671. Scholion i. Super **plus petitione.** — In Codice nullus est titulus vel caput de *plus petitione,* neque usquam de illa fit mentio, cum jus Decretalium specialem ei titulum attribueret (*lib.* II, *tit.* 6), vestigia premens juris romani, quod particularem formularum rigorem in hac parte exigebat. Concordatio articulorum qua sinit Codex ut lis contestetur, item facultas quam tribuit immutandae petitionis eam restringendo (*can.* 1729, 1731), superfluam reddunt tractationem de *plus petitione.*

Scholion ii. — Ex lege *de Enjuiciamiento civil,* litem contestatam sequitur scriptum quod nominatur *de réplica,* et alterum *de dúplica.* Primo actor impugnat ea quae in responsione scripta a reo dicta sunt, litem firmans novisque argumentis illustrans aut superius allegata amplificans. Altero reus actoris objectiones a se propulsat exceptionesque novis aut firmioribus rationibus roborat. Haec etiam in tribunalibus ecclesiasticis Hispaniae fieri solebant; sed opinamur his supersedendum ex doctrina canonum, quos diximus, 1729, 1731. Obligatoria certe minime illa sunt.

TITULUS VIII

De litis instantia

672. **Notio.** — I. Dicitur *instantia* complexus actuum judicialium ab incepta ad finitam litem, et nihil est aliud quam *actionis exercitium;* actio autem exercetur dum lis agitur coram judice qui

debet eam dirimere. Primus actus judicialis est litis contestatio (1) cui generatim definitiva sententia judicis finem affert, dummodo particulari aliqua causa non sit perempta. Quare cum causa ad tribunal appellationis transit, quia ex sententia appellatum sit, nova instantia incipit; hinc denominationes *primae*, *secundae* et *tertiae instantiae*.

II. Sed instantia praeterquam quod finitur per judicis sententiam, etiam finiri potest sive peremptoria exceptione a jure statuta, sive partium renuntiatione. Praeterea semper potest interrumpi, cum accedit aliquod impedimentum quod aliquamdiu ejus prosecutioni obstet (*can.* 1732).

673. **Instantiae interruptio.**—I. *Causa nondum conclusa*, instantia interrumpitur, si pars litigans mortua est aut statum mutavit aut cessavit ab officio cujus ratione agebat; interrumpitur vero donec heres defuncti aut successor litem instauret (*can.* 1733, 1.°). Ut manifestum est, interruptionis causa est necessitas qua aliquis ex litigantibus substituendus est; poterit autem evenire ut persona quae in actoris locum sufficitur instantiae renuntiet, vel cum actor sit idem, renuntiet instantiae prosequendae contra primi rei successorem, vel ut hic contra actorem exceptionem habeat quam substitutus non habuit aut qua non est usus; interea dum non decernit eam denuntiare, interrupta vel suspensa manet (2).

674.—**Causae** possunt esse: 1.ª mors actoris, donec heres instantiam instauret vel renovet; 2.ª in causis criminalibus mors rei, quae etsi perimit nullamque reddit actionem criminalem ad normam can. 1702, remanet tamen contra heredes actio contentiosa ad damna resarcienda ad normam can. 1704. Potiore jure suspensa solum, non autem perempta, manet instantia contra heredes in causis contentiosis; 3.ª mors aut cessatio in officio ejus qui refert personam moralem tam actorem quam conventum, donec alius in munere succedat; 4.ª mors aut cessatio in officio ejus qui litigat nomine personae physicae persona carentis ut nisi per alium adsit judicio; 5.ª mors aut revocatio procuratoris, etiam late sumpti; sed suspensio in hoc et superiore casu erit dumtaxat momentanea (*can.* 1735) (3).

---

(1) Notanda sunt observata sapienter a *Salazar* et *La Fuente* (Procedimientos eclesiásticos, *vol.* 2, *pag.* 336), de distinctione inter judicium et litem (*juicio* y *litigio*): «el *litigio* comienza, o queda formalizado el pleito, con la contestación del demandado, pues para que lo haya es necesario que haya controversia o disputa, uno que afirme y otro que niegue, uno que pida y otro que rehuse, y esta negación no existe hasta que el demandado se opone. El juicio existe desde que se presenta la demanda, que el juez como tal admite o rechaza, y antes de la litis contestación suelen preceder largos debates con motivo de las excepciones, y claro está que todas las actuaciones que por esta causa se ponen son judiciales y suponen comenzado el juicio.»

(2) Ut patet ex dictis, unius ab altero substitutio est vera quaestio incidens, quae instantiae cursum vel interrumpit vel suspendit. Cfr. *Lega,* l. c., *n.* 589; *Wernz,* l. c., *n.* 181 *seq.*

(3) Codicis praescriptum hac in re omnino cohaeret cum statutis Codicis qui dicitur

II. **Non interrumpitur**. — *Causa conclusa*, instantia non interrumpitur, sed judex procedere debet ad ulteriora, citato procuratore, si adsit, secus defuncti herede vel successore, qui dictis de causis absit. Nam causa declarata conclusa, colligitur partes ulterioribus probationibus renuntiasse, vel eas a jure non admitti, etiamsi allatae videantur ad normam can. 1860, 1861 (*can.* 1733, 2.°).

III. **Exceptio**. — Si controvertatur cuinam ex clericis litigantibus jus sit ad beneficium, v. gr., titulo praesentationis, et alter, lite pendente, moriatur, aut beneficio renuntiet, instantia non interrumpitur, sed contra superstitem eam prosequi debet promotor justitiae qui pro beneficii aut ecclesiae libertate dimicet. Verumtamen si beneficium est liberae collationis, Ordinarius cui haec competit, rem conficere poterit, causam ut victam superstiti adjudicando (*can.* 1734).

675. **Instantiae peremptio**. — I. Si nullus actus processualis, quin aliquod obstet impedimentum, ponatur in tribunali primae instantiae per biennium aut in gradu appellationis per annum, instantia perimitur; unde in altero casu sententia per appellationem oppugnata transit in rem judicatam (*can.* 1736) (1). Omissio impedimento non purgata jure habetur a lege ut instantiae abdicatio, qua pars negligens jus amittit.

II. Peremptio obtinet ipso jure sine partis instantia et judicis decreto, atque ex officio opponenda est seu excipi debet ei qui uti voluerit instantia inchoata et jam perempta; obtinet autem adversus minores aliosque minoribus aequiparatos, salvo jure regressus ad indemnitatem adversus tutores, administratores, procuratores qui culpa se caruisse non probaverint (*can.* 1737).

III. Quas quisque ex litigatoribus fecerit, has ipse feret expensas perempti judicii (*can.* 1739).

IV. Peremptio exstinguit actus judiciales qui comprehenduntur nomine *acta processus*, non vero eos qui dicuntur *acta causae*; immo haec vim habere possunt etiam in alia instantia, dummodo ea inter easdem personas et super eadem re intercedat; sed ad extraneos quod attinet, non aliam vim obtinent, nisi documentorum (*can.* 1738). Unde sequitur exstinctionem instantiae actionis exstinctionem secum non afferre. Vide legem hisp. de *Enjuiciamiento civil*, *art.* 417; *Lega*, l. c., *n.* 309 *seq.*; *Wernz*, l. c., *n.* 572 *seq.*

676. **Quid sonent «acta causae» et «acta processus»**.— *Acta causae* dicuntur et sunt omnes illi actus judiciales qui tendunt ad veritatem investigandam circa facta aut res quae sunt litis obje-

---

Gregorianus ad Status Pontificios, *art.* 903-909. Vera hujus Codicis inscriptio haec est: *Regolamento legislativo e giudiziario*. Vide etiam Codicem *de Enjuiciamiento civil, art.* 9.

(1) Cfr. legem hispanam *de Enjuiciamiento civil, art.* 411 *seq.*, in qua termini sunt duplo quam in Codice canonico longiores.

ctum, quatenus ea a judice definienda est; quales sunt testium depositiones, instrumenta, confessiones, aliaque id genus argumenta. *Acta processus* sunt omnes actus judiciales sive partium sive ipsius judicis qui ad ordinem judicialem sive ad ordinandum judicium referuntur secundum leges et ritus quibus proponendae, discutiendae et definiendae sunt petitiones coram tribunalibus deductae, ut sunt libellus petitionis, litis solemnis contestatio, dilationes et similia. Vide *Reiffenstuel, libr.* II, *tit.* 1, *n.* 185; *Lega,* De judic., *vol.* 1, *n.* 385 *seq.*

677. **De instantiae renuntiatione.** — I. In quovis judicii statu, gradu vel instantia potest actor instantiae renuntiare. Praeterea tum actor tum reus omnibus aut aliquibus processus actibus renuntiare possunt (*can.* 1740, § 1) (1).

II. Renuntiatio ut valeat, peragenda est in scriptis, et a parte vel ab ejus procuratore, speciali tamen mandato munito, debet subscribi, alteri parti communicari, ab eaque acceptari, vel saltem non impugnari, et a judice admitti (*Ibid.*, § 2).

III. Admissa renuntiatione, relate ad actus quibus renuntiatum est, eosdem parit effectus juridicos ac peremptio instantiae: et obligat renuntiantem ad solvendas expensas actorum (*can.* 1741).

Scholion. — Aliae sunt etiam causae, quibus potest instantia cessare, quae, etsi in hoc titulo non numerantur, suam vim servant, quia in ipsa rerum natura nituntur: 1.ª Juri proprio renuntiare de quo statuere possimus. 2.ª Transactio inter partes, quam ipse Codex, salvis nonnullis exceptionibus in quovis litis stadio permittit. (Vide can. 1925 et 1927). 3.ª Confusio personae actoris et rei in uno eodemque subjecto, si primus evadit heres secundi, atque hereditate id adipiscitur quod alio titulo postulabat. 4.ª Si perit res controversa, neque aequivalens quidem exigi potest, v. gr., quia fortuito periit et sine culpa possessoris bonae fidei. Vide *Lega*, l. c., *n.* 600.

TITULUS IX

De interrogationibus partibus in judicio faciendis

678. **Notio.** — Ut judex possit ex jure et cum cognitione causae controversiam definire, necesse est ut facta penitus cognoscat quae sunt objectum judicii ansamve ei praebuerunt. Ad hoc inserviunt argumenta a partibus allata, et ad haec illustranda *interro-*

---

(1) Hic nota: sicut instantiae peremptio neque jus neque actionem reddit nullam, ita neque renuntiatio. Variae rationes persuadere possunt ut instantiae renuntietur, quae tamen non includunt voluntatem juribus ipsis controversis neque actioni renuntiandi ut effectus obtinere possint in nova instantia instauranda. Sic potest aliquis ex cursu processus intelligere non se habere in promptu et jam disposita argumenta satis firma ut victor evadat in causa, quae tamen interea speret se posse colligere.

gationes quae fiunt ipsis partibus sive ad instantiam alicujus earum sive ex officio aut petitione promotoris fiscalis. Communiter spatium probatorium incipit partium examine, quod fit non judicis tantum interrogationibus, sed etiam *articulis* aut *positionibus* quas partibus afferri permittitur, ut secundum illas altera pars interrogetur. Sunt etiam hae partium positiones et articuli judicio brevius exsequendo. Vide *Wernz*, l. c., *n.* 379; *Gregorius XVI*, Regolamento giud., *n.* 733 *seq.*

679. **Judicis interrogatio.** — I. Judex ad eruendam veritatem facti quod publice interest ut extra dubium ponatur, debet partes interrogare (*can.* 1742, § 1). Hoc evenit saepe in causis matrimonialibus, maxime cum agitur de nullitate ob publica juris impedimenta.

II. In aliis casibus potest judex unum ex contendentibus interrogare non solum ad instantiam alterius partis, sed etiam ex officio, quoties agitur de illustranda probatione adducta (*Ibid.*, § 2); judicialis enim probatio consideranda est quatenus judicem convincat, a quo lis dirimenda est.

III. Interrogatio partium fieri a judice potest in quovis stadio judicii ante conclusionem in causa; post conclusionem in causa solum per modum exceptionis rationabilis ex praescripto can. 1861 (*Ibid.*, § 3).

680. **Obligatio respondendi.** — I. Judici legitime interroganti partes respondere tenentur et fateri veritatem, nisi agatur de delicto ab ipsis commisso (*can.* 1743, § 1). Haec obligatio dimanat a jurisdictione judicis, cujus praeceptis obtemperandum est, atque ex obligatione qua tenentur litigantes abstinendi ab artibus illicitis, a dolo et fraude ad eorum ficticia jura firmanda cum partis contrariae detrimento. De antiqua controversia utrum reus deberet crimen confiteri suum an non, vide *Lugo*, De justitia et jure, *disp.* 40; *Ballerini-Palmieri*, IV, *n.* 622 *seq.*; *Reiffenstuel*, *libr.* II, *tit.* 18, *n.* 156 *seq.*

II. Si pars legitime interrogata respondere renuit, quanti facienda sit haec recusatio, utrum justa sit, an confessioni aequiparanda, necne, judicis est aestimare (*can.* 1743, § 2).

III. Praeterea pars, quae respondere debet, si illegitime respondere recusaverit aut si postquam responderit mendax reperta erit, puniri potest ad tempus remotione ab actibus legitimis ecclesiasticis; et si ante responsionem jusjurandum de veritate dicenda praestiterit, laicus interdicto personali, clericus suspensione plectendus est (*Ibid.*, § 3).

681. **Delatio jurisjurandi.** — *a*) Jusjurandum de veritate dicenda in causis criminalibus nequit judex accusato deferre sive imponere; *b*) in contentiosis, quoties bonum publicum in causa est, ut in causis super valore matrimonii vel super matrimonio rato in ordine ad ejus dispensationem aut solutionem, debet illud a partibus exigere; *c*) in aliis potest pro sua prudentia (*can.* 1744).

682. **De positionibus sive articulis.** — I. Tum actor tum reus invicem possunt judici exhibere *articulos*, seu quaesita, super quibus pars interrogetur, quaeque vulgo *positiones* dicuntur (*can.* 1745, § 1).

Hae positiones non sunt proprie interrogationes quas una pars alteri proponit, sed partis alterius assertiones quas altera pars admittit rejicitve simpliciter: quae admittuntur, confessioni respondent, ex qua potest altera pars argumenta eruere ad probandam veritatem factorum quae adducuntur. Positiones ad judicem a singulis partibus afferuntur, qui debet a parte contraria responsum exigere. Vide Regulas servandas a R. Rota, *cap.* IV, apud *Wernz*, *vol.* 5, *tom.* II, *pag.* 195 *seq.*, et *Reiffenstuel*, *lib.* II, *tit.* 18, *n.* 285 *seq.*, 210 *seq.* (1).

II. *a*) Praeter positiones seu articulos a partibus allatos, possunt etiam *judici* proprios exhibere, in causis in quibus intersunt, promotor justitiae vinculique defensor (*can.* 1745, § 1), *b*) scil. ille praesertim in causis criminalibus, hic in matrimonialibus et in iis quae habentur de valore ordinationis et obligationibus quae ab illa enascuntur.

III. In positionibus exarandis, admittendis et parti proponendis regulae cum proportione servandae sunt quae in can. 1773-1781 ad auditionem et examen testium statutae sunt (*can.* 1745, § 2).

IV. Ad jusjurandum praestandum vel interrogationibus respondendum partes personaliter coram judice se sistere debent, exceptis testibus de quibus in can. 1770, § 2, 1.°, 2.° (*can.* 1746).

TITULUS X

De probationibus

CAPUT PRAEVIUM

NOTIONES ET DOCTRINA GENERALIS

683. **Notio.** — *Probatio* est ostensio sive comprobatio facti (2) dubii et in judicio controversi, facta argumentis legitimis sive a

---

(1) L. c. distinguit *Reiffenstuel interrogationes, articulos* et *positiones,* quae Codex habet ut synonyma cum dicit *articulos* **seu** *quaesita,* quae vulgo *positiones* dicuntur. Refert doctrinam hujus Decretalium interpretis videre eamque conferre cum Regulis, quas diximus, a R. Rota servandis.

(2) Probationes judiciales referuntur ad *facta,* non ad jus legale, si de jure commu-

jure statutis. Confunditur nonnunquam cum ipso probationis argumento sive medio; at re quidem vera distinguitur. *Probationis medium* est id quod gignit ostensionem illam aut comprobationem facti controversi. Sic probationis medium sunt testimonium, scriptura, etc. Vide *Wernz, vol.* 5, *n.* 594.

684. **Divisio.** — Relicta divisione probationis in *judicialem* et *extrajudicialem,* quae ad rem nihil attinet, probatio potest esse: 1.° **plena** et **semiplena.** *Plena* est quae, nullo relicto dubio, veritatem ostendit facti controversi, sufficienter judicem edocendo, ut vi illius sententiam ferre possit, certo cognita veritate. *Semiplena* illa est quae per se ipsa perspicue factum non declarat, dubio relicto de ejus veritate, ideoque judicem non satis edocet, sententiam ut ferre possit. Vide *Reiffenstuel, lib.* II, *tit.* 19, *n.* 11, *seq.; Santi, lib.* 2, *n.* 2 *seq.; Wernz,* l. c., *n.* 594; *Lega,* l. c., *n.* 437 *seq.* (1).

2.° Ratione modi quo probatio in judicio obtinetur et allegatur est **directa** et **indirecta**. *Directa* est ea quae oritur ex actu expresse ad probationem ordinato, i. e. vel ex actu posito in judicio ad probandum, vel ex actu extrajudiciali antecedenter ordinato ad faciendam probationem judicialem cum casus evenerit, ut fit cum instrumentis cumque informationibus *ad perpetuam rei memoriam.* Est *indirecta* ea quae oritur aut deducitur ex factis vel actibus non ordinatis a partibus ad probationem constituendam, ut evenit in praesumptionibus. Ex dictis constat esse *directas* probationes confessionem, testimonium, jusjurandum, instrumentum, peritiam et judicialem recognitionem. Vide *Lega,* l. c., *n.* 436.

685. **Probationis argumenta a Codice tradita**. — In Codice sub titulo *de probationibus* agitur de sequentibus argumentis: 1.° de partium confessione; 2.° de testium probatione; 3.° de judicio peritorum; 4.° de accessu et recognitione; 5.° de probatione instrumentali; 6.° de praesumptionibus; 7.° de partium jurejurando. Cum de his probationibus loquemur, de singularum vi probandi seu valore juridico dicetur.

686. I. **Quae non egeant probatione**. — Probationis non indigent: 1.° **Facta notoria** ad normam can. 2197, 2.°, 3.° (*can.* 1747, 1.°). Notorium factum dicitur, cum sic publice divulgatum est aut talibus adjunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque juris suffragio excusari possit; et haec est *notorietas facti.* Est etiam *juris,* post sententiam quae in rem judicatam transiit aut post confessionem delinquentis in judicio factam (*can.* 2197, 2.°).

---

ni agitur; nam *jura novit curia.* At jus particulare, sive scriptum sive consuetudinarium, ignorari potest a judice superiore, relate ad quem tale jus potius est factum allegandum et probandum; quod idem dicendum est de judice dioecesano relate ad morem alius dioecesis atque adeo de moribus et statutis localibus intra eandem dioecesim. Vide *Wernz,* l. c., *n.* 599.

(1) Cum judicis persuasio et certitudo sit aliquid objectivum, lex definire debet robur objectivum singulorum argumentorum saltem modo generali; et secundum hanc legis praescriptionem judicium debet judex formare; quod non obstat quominus ipsi certa amplitudo relinquatur ad probationum robur aestimandum. Quae cum ita sint, recte tamen et scienter inventa est probationum *plenarum* et *semiplenarum* divisio.

Factum notorium non potest esse judici dubium; unde minime probatio requiritur ut gignat in eo certitudinem.

2.° *Quae ab ipsa lege* **praesumuntur** (*can.* 1747, 2.°). De juridico valore praesumptionis in cap. VI hujus tituli dicetur.

3.° **Facta** *ab uno ex contendentibus* **asserta** et *ab altero admissa*, nisi a jure vel a judice probatio nihilominus exigatur (*Ibid.*, 3.°). Sic evenit ubi esse potest inter partes collusio, v. c., ad affirmandum matrimonium non esse consummatum, ut dispensatio rati obtineatur.

687. II. **Onus probandi cui incumbat.** — 1.° Onus probandi incumbit ei qui *asserit* rem aut factum, non ei qui negat (*can.* 1748, § 1) (1).

Negatio, quatenus talis, probationem *directam* nequit accipere (2), etsi indirectam admittit. Sic a Titio homicidium esse commissum probandum est ab eo qui affirmat, non ab eo qui negat: negatio commissi homicidii directam probationem non potest accipere, sed potest indirectam, si probetur *coarctata,* i. e., si probetur quo tempore dicitur admissum homicidium, Titium afuisse a loco ubi patratum est, et quidem remotissime.

Cum generatim *actor* sit qui affirmat, huic competit generatim probationes afferre. Reus tamen *exceptiones* probare debet, quia per illas factum affirmat, agitque vices actoris: *reus excipiendo fit actor* (3): potiore jure convento incumbit obligatio probandi actionem reconventionalem actori oppositam.

2.° Actore non probante, reus absolvitur (*can.* 1748, § 2).

688. III. **De termino probatorio.** — *Termino probatorio* intelligitur spatium temporis quod partibus judex tribuit ad suas probationes conficiendas. Sicut jure Decretalium terminus probatorius non definiebatur, ita neque jure Codicis, sed judicis arbitrio conceditur (4). Attamen judici obligatio imponitur rejiciendi pro-

---

(1) Idem docuit jurisconsultus *Paulus* in Digesto (XXII, 3) L. 2: *Ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat.*

(2) *Negantis factum per rerum naturam nulla est directa probatio. Cap.* 23, X, *de elect.,* I, 6; *cap.* 11, X, *de probat.,* II, 19.

(3) Animadvertendum est saepe negationem pro affirmatione valere; et ita exceptiones explicantur quae a canonistis allegari solent ad effatum limitandum. Unde 1.° qui negat alteri jus ad rem, cum agitur de iis quae communiter permittuntur, e. gr., Titium posse licite aut valide matrimonium contrahere, suam affirmationem probare debet; 2.° qui negat qualitatem quae naturaliter aut juris dispositione in aliqua re aut persona inest, e. gr., clericum idoneum esse ad beneficium, affirmat revera hanc ei qualitatem deesse, et debet hoc probare; 3.° si quis super negationem fundat suam intentionem, e. gr., vult impedire quominus vicinus parochus in certa domo jurisdictionem exerceat allegans ad ejus territorium aut jurisdictionem domum illam non pertinere, re quidem vera id affirmat, quod ei probandum est, se in ea domo jurisdictionem habere. Vide *Schmalzgrueber,* h. l., *n.* 23; *Reiffenstuel,* h. l., *n.* 43 *seq.; Wernz,* l. c., *nn.* 596, 597.

(4) Manifestum est hoc arbitrio comprehendi facultatem definiendi terminos probationibus accommodatos; at noluit jus nostrum judicem coërcere terminorum legalium complexu quem statuit Lex *de Enjuiciamiento civil,* sed libertatem tribuit ab eo sese expediendi.

bationum petitionem, cum illae ad moras judicio nectendas postulari videntur, ut esset examen testis longe dissiti, aut cujus domicilium nescitur, vel cognitio documenti quod cito haberi non potest; nisi hae probationes necessariae videatur quia ceterae deficiunt aut sufficientes non sunt (*can.* 1749).

CAPUT I

DE CONFESSIONE PARTIUM

689. **Notio.**—Nomine *confessionis* in re judiciali intelligitur asseveratio vel admissio facti inconvenientis, seu contrarii eam peragenti et adversario convenientis (*can.* 1750).

Divisio.—Potest esse: 1.° *judicialis* aut *extrajudicialis,* prout fit coram judice competenti et adstante adversario, aut sine his adjunctis (*Ibid.*).

2.° *Expressa, tacita, praesumpta. Expressa* fit clare prolatis aut scriptis verbis aliisve signis expressis. *Tacita* aperte ex facto deducitur. *Praesumpta* est quae conjicitur ex adjunctis quae illam comitari solent, v. gr., si quis recusat articulis aut positionibus respondere. (Vide *can.* 1743, § 2).

3.° *Simplex* aut *qualificata,* prout habet aut non clausulam restringentem aut modificantem id quod est objectum praecipuum confessionis. Si quis accusatus certum esse declarat homicidium se commisisse quod ei attribuitur, confessio *simplex* est; sin addit pro sua se defensione admisisse, confessio est *qualificata* (1).

4.° *Jurata* aut *non jurata,* si jurejurando confirmatur aut non confirmatur.

690. **Effectus confessionis judicialis.** — I. Si agatur de negotio aliquo privato et in causa non sit bonum publicum, confessio judicialis unius partis facta scriptis aut ore tenus, sive sponte, sive judice interrogante, cum est inconveniens eam peragenti, et conveniens contrariae, hanc relevat ab onere probandi, dummodo libere et considerate facta sit (*can.* 1751).

Non debet igitur esse vi aut metu gravi extorta, neque alia physica aut morali coactione, neque pollicitatione, dono vel fraude; nec debet errore aut deceptione esse facta.

---

(1) Cum hac connectitur confessionis divisio in *dividuam* et *individuam,* in quas subdividitur *qualificata.* Si circumstantia vel modificatio addita confessioni qualificatae sejungi potest a facto in quod recidit interrogatio, confessio dicitur *dividua,* et vim habet confessionis absolutae seu simplicis relate ad illud factum, nisi is qui confessionem peragit, probet circumstantiam modificationemve exsistere. Si vero circumstantia inseparabilis est a facto de quo interrogatur, confessio *individua* appellatur, quae non potest ab adversario in altera parte admitti, in altera rejici; qui, si ea uti vult, debet probare circumstantiam vel modificationem esse falsam. Vide *Schmalzgrueber, lib.* II, *tit.* 18, *n.* 34; *Wernz,* l. c., *n.* 587. Generatim confessio, quae fit uno actu et tota simul habenda est *indivisa;* quare nequit in altera parte admitti, in altera rejici.

Effectus, ut apparet, non est probare, sed alteram partem eximere a probationibus afferendis; unde illud dictum est: *partibus confitentibus, nihil probandum.* Attamen reapse efficacior est ceteris omnibus argumentis, quae reddit inutilia et superflua; unde inter probationis media recte potest recenseri.

II. Confessio judicialis non potest *revocari* nisi aut in continenti, aut probando confessionem ipsam vel carere conditionibus in can. 1750 expressis, vel errori *facti* esse adscribendam (*can.* 1752).

691. **Effectus confessionis extrajudicialis.** — Confessio *extrajudicialis* in judicium deducta, judicis est, perpensis omnibus rerum adjunctis, aestimare quanti facienda sit (*can.* 1753). Vide ea quae docent Decretalium interpretes apud *Reiffenstuel, lib.* II *tit.* 18, et brevius apud *Wernz*, l. c., *n.* 389 *seq.*

CAPUT II

DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS

ARTICULUS PRAEVIUS

NOTIONES ET PRINCIPIA GENERALIA

692. **Notio.** — *Probatio testimonialis* ea est quae fit testibus declarantibus. — *Testis* est persona idonea ad declarandum vocata de factorum quae disceptantur veritate aut falsitate.

Divisio. — Testes possunt esse: 1.° *publici* aut *privati.* Illi sunt personae publicae quae deponunt de actibus sui muneris, e. gr., parochus de administrato baptismo. Testes qui non sunt personae publicae, quique etiamsi sunt, de muneris sui actibus non deponunt, dicuntur privati.

2.° Testes *scientiae* et testes *credibilitatis.* Primi ex propria scientia testantur, i. e., sciunt aliquid evenisse, quia illud propriis sensibus perceperunt, ut visu vel auditu; haec enim est scientia quae in testibus requiritur. Alteri sunt qui testantur se credere rem esse hoc vel illo modo. His accensendi sunt qui testantur alius *credibilitatem,* ut saepe fit in causis matrimonialibus. Vide *Reiffenstuel, lib.* II, *tit.* 20, *n.* 342 *seq.*

3.° *Auriculares* aut *oculati. Auricularis* est qui de aliquo casu deponit, quem ex aliis audivit. *Oculatus* qui de aliquo casu cui interfuit.

4.° **Contestes** aut **singulares.** Dicuntur *contestes,* qui concordant in deponendo de eodem facto, et *singulares* qui discordant. *Singularitas* dicitur *obstativa* seu *adversativa,* si testimonia super eodem facto sunt inter se contraria aut repugnantia, v. gr., si unus testis affirmat Titium domi suae occisum esse, alter in templo; dicitur *adminiculativa* sive *cumulativa,* cum testes deponunt de factis quae, etsi diversa, sibi sunt mutuo auxilio ad probandam rem controversam, e. c., si unus affirmat se vidisse Cajum, cum gladium emeret, alter, cum Titium gladio feriret, tertius, cum gladium

cruentum manu teneret. Dicitur tandem *diversificativa,* cum testes deponunt de factis diversis quae, etiamsi contraria inter se aut repugnantia non sint, non mutuum auxilium sibi praestant, v. gr., si unus declarat Cajum Titio centum scuta tali die et tali loco commodasse, alter ducenta alio die et loco.

Singularitas obstativa testium fidem exstinguit, ut patet omnino; adminiculativa eorum testimonium roborat; diversificativa robur aut vim testimonii neque tollit neque auget. Vide *Reiffenstuel, lib.* II, *tit.* 20, *n.* 282, *seq.*

693. **Principia generalia.**—I. *Probatio per testes in quibuslibet causis* admittitur tam *contentiosis* quam *criminalibus,* sub judicis tamen moderatione, secundum modum praefinitum in canonibus (*can.* 1754).

694. II. **Testium officium**. — Testes *a*) judici legitime interroganti respondere et *b*) veritatem fateri debent (*can.* 1755, § 1).

Ab hac obligatione **eximuntur**: 1.° *a*) Parochi aliique sacerdotes, quod attinet ad ea quae ipsis manifestata sunt ratione sacri ministerii extra sacramentalem confessionem (multo magis omnes confessarii, quod attinet ad ea quae ad sigillum sacramentale pertinent, etsi a vinculo sigilli soluti sint a poenitente ad normam can. 1757, § 3, 2.°); *b*) Item civitatum magistratus, medici, obstetrices, advocati, notarii aliique qui ad secretum officii etiam ratione praestiti consilii tenentur, quod attinet ad negotia huic secreto obnoxia (*can.* 1755, § 2, 1.°).

2.° Qui ex testificatione sua *sibi* vel *consanguineis* vel *affinibus in quolibet gradu lineae rectae* et in *primo* gradu lineae *collateralis,* infamiam, periculosas vexationes, aliave mala valde gravia obventura timent (*Ibid.*, 2.°).

III. **Testes falsi aut veritatem celantes.** — *a*) Testes judici legitime interroganti scienter falsum affirmantes aut verum occultantes puniendi sunt remotione ab actibus legitimis; si autem perjuri sunt, laicus interdicto personali, clericus suspensione plectendus est (*Ibid.*, § 3).

b) Eadem poena multandi sunt omnes, qui testem vel peritum donis, pollicitationibus aut alio quovis modo inducere praesumpserint ad falsum testimonium dicendum aut ad veritatem occultandam (*Ibid.*).

ARTICULUS I

QUI TESTES ESSE POSSINT

695. **Principium generale**. — Omnes *possunt esse testes,* nisi expresse a jure repellantur vel in totum vel ex parte (*can.* 1756).

Codex excludit aliquos ut *non idoneos,* alios ut *suspectos,* tanquam *incapaces* alios. *a*) *Privatio idoneitatis* supponit defectum cognitionis saltem

perfectae, quae unum est ex testimonii fundamentis, et in qua vis ejus probativa innititur; neque dubitandum est quin possit in aliquibus casibus ex jure naturali dimanare, ut in amentibus et infantibus, in aliis ex jure positivo quo magis determinatur ac per extensionem describitur jus naturale, ut in impuberibus. —*b*) Tanquam *suspecti* excluduntur ii quibus deest *probitas,* quae est secunda qualitas testis fide digni et alterum fundamentum roboris quod probatio per testes obtinet. — *c*) Denique *ob incapacitatem* excluduntur qui facile in alteram partem *inclinare* possunt, ut testes, alioqui idonei et probi, quorum directe aut indirecte interesse potest veritatem testimonio adulterare. Haec autem tertia testis qualitas est, scil. ne in alterutram partem inclinet; est etiam roboris testimonii tertium fundamentum.

696. I. **Testes non idonei.** — Ut non idonei repelluntur a testimonio ferendo impuberes et mente debiles (*can.* 1757, § 1). Haec, ut dictum est, est praescriptio positiva juris naturalis, quae ratione carentes excludit.

II. **Testes suspecti.** — Repelluntur ut suspecti: 1.° Excommunicati, perjuri, infames, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

2.° Qui ita abjectis sunt moribus ut fide digni non habeantur, cum facile muneribus corrumpi possint.

3.° Publici gravesque partis inimici, contra quam in judicium vocantur (*Ibid.*, § 2) (1).

III. **Testes incapaces.** — Tales habentur ob praesumptionem quod partium studio ducantur:

1.° Qui partes sunt in causa, aut partium vice funguntur, veluti tutor in causa pupilli, Superior aut administrator in causa suae communitatis aut piae causae, cujus nomine in judicio consistit, judex ejusve assistentes, advocatus aliique qui partibus in eadem causa assistunt vel astiterunt (*Ibid.*, § 3, 1.°).

2.° Conjux in causa sui conjugis, consanguineus et affinis in causa consanguinei vel affinis in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu collateralis, nisi agatur de causis quae ad statum civilem aut religiosum personae spectant, cujus notitia aliunde haberi nequeat, et bonum publicum exigat ut habeatur, uti sunt ortus et defunctio, status matrimonii aut religionis, etc. Ita in causis matrimonialibus admitti praeferrique solent propinquorum declarationes, nisi in casibus particularibus, in quibus suspecti haberi possent (*Ibid.*, § 3, 3.°) (2).

3.° Non ob partium studium, sed ob gravissima reipublicae incommoda quae aliter oriri possent, excipiuntur ut incapaces,

---

(1) Quod *publici* inimici excludantur intelligendum est respectu exclusionis ex officio factae; bene tamen intelligitur inimicitias non publicas jus tribuere parti contra quam affertur testimonium inimici ut illud rejiciat; hoc enim aequitatis est naturalis. At partium exceptiones contra testes ab alia allatae solent generatim examinari postquam partes declararunt. Vide *Lega,* l. c., *n.* 473, et *can.* 1764, § 5.

(2) Vide *art.* 418 *seq.* Codicis *de Enjuiciamiento criminal.*

sacerdotes, quod attinet ad ea omnia quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint; immo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt (*Ibid.*, § 3, 2.°) (1).

697. **Testium admissio.** — Cum testimonium sit probationis argumentum jure approbatum, generatim a judice est admittendum, quando ipsum jus testes non repellit ut non idoneos, suspectos aut incapaces. Non idonei et suspecti audiri poterunt ex decreto judicis, quo id expedire declaretur; sed eorum testimonium valebit tantummodo ut indicium et probationis adminiculum; et generatim injurati audiendi sunt (*can.* 1758).

ARTICULUS II

A QUIBUS, QUOMODO, ET QUOT TESTES INDUCI ET QUI EXCLUDI POTERUNT

698. **Quis testes inducit.** — 1.° Testes a **partibus** generatim inducuntur (*can.* 1759, § 1), quae probationem in judicio debent peragere. Judex robur probationum a partibus adductarum accipit, perpendit et aestimat; at ipse in causis contentiosis probare non debet. *Inductio testium* est petitio ab uno litigantium judici allata, ut hic declarationes audiat unius pluriumve testium qui nominantur, ad suam actionem aut exceptionem iis declarationibus probandam.

2.° Possunt quoque induci a **promotore justitiae** et **defensore vinculi**, si id ad causam intersit (*Ibid.*, § 2). Promotori competit hoc munus in causis criminalibus; non enim reus proprium crimen probare debet, sed judex, fiscale adjuvante; defensori vinculi competit, e. gr., in causis matrimonialibus, bonum publicum tueri, necessariis testibus inductis.

3.° Sed ipse **judex** non modo in causis criminalibus verum etiam in contentiosis, quoties agitur de minoribus aliisve qui minoribus aequiparantur, et generatim quoties publicum bonum id exigit, potest testes ex officio inducere, ut in causis matrimonialibus, ordinationis, etc., communiter (*Ibid.*, § 3).

699. **Renuntiatio testis inducti**. — Pars, quae testem induxit, potest ejus examini seu declarationi renuntiare; sed adversarius postulare potest ut, hac non obstante renuntiatione, testis audiatur (*Ibid.*, § 4).

---

(1) Articulus 417 Codicis *de Enjuiciamiento criminal* statuit: «No podrán ser obligados a declarar como testigos: 1.° Los eclesiásticos y ministros de los cultos disidentes sobre los hechos que les fueren revelados en el ejercicio de las funciones de su ministerio».

700. **Testis spontaneus**. — Judex poterit admittere vel repellere, prout expedire censuerit, *illius* testimonium qui sponte compareat testificandi gratia (*can.* 1760, § 1). Debet autem testem, qui se sponte obtulerit, repellere cum comparere sibi videatur moras judicio nectendi causa vel justitiae et veritati quoquo modo officiendi (*Ibid.*, § 2). Testes voluntarii generatim habentur suspecti. Vide *Reiffenstuel*, *lib.* II, *tit.* 20, *n.* 412.

701. **Modus testes inducendi.** — I. Cum probatio per testes postulatur, eorum nomina et domicilium tribunali indicanda sunt; praeterea exhibendae *positiones* seu *articuli* argumentorum super quibus testes sint *interrogandi* (*can.* 1761, § 1) (1). Interrogandi autem sunt per capita quae res utiles comprehendant, de iis quae conducunt ad investigationem factorum de quibus in judicio controversia est. Praeter capita a partibus allata, solent testes etiam de *generalibus legis* interrogari, hoc est, de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, conditione, domicilio; quae ipsis cum partibus sit necessitudo aut inimicitia; num alicujus earum sint consanguinei et affines, et in quo gradu; num eorum directe aut indirecte in lite intersit. Vide can. 1774.

II. Judex debet **tempus** praefinire *intra quod testes inducendi* et interrogationes afferendae. Si ne intra diem quidem peremptorium a judice praestitutum, obtemperatum erit, postulatio deserta potest ab illo declarari (*can.* 1761, § 2).

III. Partes debent sibi invicem nota facere in scriptis testium nomina antequam eorum examen inchoetur, aut, si id, prudenti judicis existimatione, fieri sine gravi difficultate nequeat, saltem ante testificationum publicationem (*can.* 1763). Finis hujus praescriptionis est ut locus sit testibus rejiciendis aut minuendis, antequam judicium praeveniatur declarationibus testis qui sit forte repellendus.

702. **Testium numerus.** — Litigantes tot testibus uti possunt, quot necessarios existimaverint; sed judici jus et obligatio est nimiam eorum multitudinem refrenandi (*can.* 1762).

703. **De exclusione testium.** — 1.° Testes debent ex officio

---

(1) Usu periti interrogationes distinguebant, ex diverso modo interrogandi, in *positiones, articulos, capita. Positione* intelligebatur propositio brevis et categorica qua factum affirmabatur et cujus finis erat necessitatem facti probandi vitare; reus enim nihil aliud facere poterat quam affirmare vel negare; si affirmabat seu factum confitebatur, relevabat adversarium qui positionem induxerat a necessitate factum probandi; si negabat, positio in articulum mutabatur. Erat *articulus* propositio minus categorica, quam interrogans probare paratus erat; *capitulum* vero conjunctio positionis et articuli in brevi affirmatione, quam qui ponebat eam probare paratus erat. Haec autem distinctio non fit in Codice neque examussim in foro ecclesiastico servabatur. Vide *Lega,* De judiciis, *vol.* 1, *n.* 418; *vol.* 4, *nn.* 204, 252, et Instruct. S. C. C. *Cum maneat glossa, a.* 1840.

De *positionibus* loquitur Clementina 2, *saepe contingit* V, 9, *de verb. signif.;* de *capitibus* summarium *cap.* 24, X *de accusat.* V, 1, ubi de processu criminali sermo est, usurpanturque *capita* pro *accusationibus.*

excludi, si judici liquido constet eos a testimonio ferendo jure prohiberi, salvo praescripto can. 1758, cum necessarium duxerit eorum declarationes audire (*can.* 1764, § 1).

2.° Etiam ab adversario testes excludi possunt, si justa exclusionis causa demonstretur; quae exclusio dicitur a Codice *reprobatio personae testis* (*Ibid.*, § 2).

3.° Pars nequit reprobare personam testis quem ipsa induxit, nisi nova reprobationis causa supervenerit, etsi potest ejus dicta reprobare aut declarationes impugnare (*Ibid.*, § 3). Testis productio continet ejus idoneitatis approbationem ex parte producentis.

4.° Reprobatio testis fieri debet intra triduum postquam testium nomina cum parte communicata sunt; ut postea possit admitti, a parte demonstrandum est, vel saltem juramento affirmandum, defectum testis antea sibi notum non esse (*Ibid.*, § 4).

5.° Reprobationis discussio in finem litis reservari potest, nisi contra testem stet praesumptio juris, aut defectus propter quem ejus exclusio petatur sit notorius, vel statim ac facile probari possit, vel postea probari nequeat (*Ibid.*, § 5). Cfr. *Reiffenstuel*, *lib.* II, *tit.* 20, *n.* 541 *seq.*

704. **Citatio testium.** — Etsi a partibus testes producuntur, citatio eorum fit ministerio judicis, decreto interveniente; intimanda est autem ad normam can. 1715-1723 (*can.* 1765).

Obligatio comparendi. — Testis rite citatus obedire debet aut causam suae absentiae judici notam facere. Testis inobediens, qui nempe sine legitima causa non comparuit, aut, etsi comparuit, renuit respondere vel jusjurandum praestare vel attestationi subscribere, a judice potest congruis poenis coërceri et insuper mulctari pro rata damni quod ex ejus inobedientia partibus obveniat (*can.* 1766) (1).

ARTICULUS III

DE JUREJURANDO TESTIUM

705. **Obligatio juramenti praestandi.** — I. Testis, antequam testimonium edat, jusjurandum generatim praestare debet de tota ac sola veritate dicenda. Excipitur casus in quo testes sint non idonei aut suspecti, et tamen ex decreto judicis ad declarandum admittendi (*can.* 1767, § 1).

II. Partes earumve procuratores praestationi jurisjurandi testium assistere possunt, nisi eorum praesentia gravem difficultatem afferat ad normam can. 1763 (*can.* 1767, § 2).

---

(1) Testis officium publicum est, in quo nititur etiam obligatio comparendi. Vide *Reiffenstuel, lib.* II, *tit.* 21; *Schmalzgrueber, lib.* II, *tit.* 21; *Wernz*, l. c., *n.* 622.

Testes, praeter jusjurandum praestitum de *veritate dicenda*, poterunt nihilominus pro prudenti judicis arbitrio, absoluto examine, adigi ad jusjurandum de *veritate dictorum* sive circa omnes positionum articulos sive circa aliquos tantum, quoties gravitas negotii et editae testificationis adjuncta id postulare judici videbuntur (*can.* 1768).

706. **Jurisjurandi remissio.**—Cum de jure partium mere privato agitur, potest jusjurandum, utraque parte consentiente, testibus remitti (*can.* 1767, § 3); at non potest in causis ubi agitur de bono tertii aut publico, ut in causis vinculi, beneficiorum aliisque gravioribus sive criminalibus, sive contentiosis. Ratio est, quia cum agitur de jure privato, jusjurandum fit praecipue partium commodo, cui hae renuntiare possunt; contra est in aliis. Vide *Schmalzgrueber*, *lib.* II, *tit.* 20, *n.* 90, 91; *Reiffenstuel*, *lib.* II, *tit.* 20, *n.* 480 *seq.*; *Wernz*, l. c., *n.* 615; *Lega*, l. c., *n.* 476.

Sed etiam cum jusjurandum a teste non exigitur, judex testem debet commonefacere gravis obligationis, qua semper tenetur, veritatem dicendi (*can.* 1767, § 4).

707. **Jusjurandum secreti servandi.** — Testes adigi etiam jurejurando possunt ad secretum servandum circa propositas interrogationes dataque interrogationibus responsa, usque dum acta et allegata publici juris fiant; immo etiam in perpetuum in casibus de quibus canon 1623, § 3 (*can.* 1769).

ARTICULUS IV

DE TESTIUM EXAMINE

708. **Locus examinis.** — Testes sunt examini subjiciendi in ipsa tribunalis sede (*can.* 1770, § 1).

Exceptiones. — Ab hac regula excipiuntur: 1.° S. R. E. Cardinales, Episcopi et personae illustres tam ecclesiasticae quam laicae, quae suae civitatis jure eximuntur ab obligatione comparendi coram judice testificandi causa: ii omnes eligere ipsi possunt locum ubi testificentur, de quo judicem certiorem facere debent (*Ibid.*, § 2, 1.°) (1).

---

(1) Jus **hispanum** (Código de Enjuiciamiento criminal, *tit.* V, *cap.* 5) statuit: «Art. 410. Todos los que residen en territorio español, nacionales o extranjeros, que no estén impedidos, tendrán obligación de concurrir al llamamiento judicial para declarar cuanto supieren sobre lo que les fuere preguntado, si para ello se les cita con las formalidades prescritas en la ley.

»Art. 411. Se exceptúan de lo dispuesto en el artículo anterior el Rey, su consorte, el Príncipe heredero y el Regente del Reino.

»Art. 412. Estarán exentos de concurrir al llamamiento del juez, pero no de declarar:

2.° Qui morbo aliove corporis vel animi impedimento aut conditione vitae, uti moniales, tribunalis sedem adire nequeunt; ii domi audiendi sunt (*Ibid.*, 2.°).

3.° Qui extra dioecesim degentes, in dioecesim reverti et ad tribunalis sedem accedere sine gravi incommodo nequeunt; ii audiendi sunt a tribunali loci in quo commorantur; quem ad finem exhortum ad illud tribunal mittetur clauso fasciculo secundum interrogationes et instructiones a causae judice admissas, vel ab ipso judice, promotore justitiae aut vinculi defensore propositas (*Ibid.*, 3.°).

4.° Qui in dioecesi quidem commorantur, sed in locis ita dissitis a tribunalis sede, ut sine gravibus impensis neque ipsi judicem adire, neque a judice adiri possint. Hoc in casu judex debet propiorem aliquem sacerdotem dignum et idoneum deputare, ut examen horum testium perficiat, transmissis pariter eidem interrogationibus faciendis, datisque opportunis instructionibus (*Ibid.*, 4.°).

709. **Praesentia partium in examine.** — Examini testium partes assistere nequeunt, nisi judex eas admittendas censuerit (*can.* 1771). Hoc praescriptum aequissimum est: nam partium praesentia saepissime libertatem testium posset, maxime in causis criminalibus, coërcere. Vide *can.* 1943, 1957.

710. **Quomodo testes examinandi.** — *a*) Testes seorsim singuli examinandi sunt (*can.* 1772, § 1).

b) Examen faciendum est a judice vel ab ejus delegato aut auditore, cui assistat oportet notarius. Judex aut ejus vicarius testem interrogare debet primum de generalibus personae adjunctis, hoc est, de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, conditione, domicilio, deinde quae ipsi cum partibus in causa sit necessitudo, amicitia aut cum aliqua parte bonorum communio; post deferendae sunt interrogationes quae causam ipsam respiciunt et sciscitandum unde et quomodo ea quae asserit, habeat cognita. Quare si examini adsunt partes vel fiscalis aut vinculi defensor, et horum aliquis quavis de causa, v. gr., propter testis responsum, aliquid aliud interrogare debuerit, non id per se, sed per judicem vel per ejus vices gerentem facere debet (*can.* 1773, 1774) (1).

1.° Las demás personas Reales. 2.° Los Ministros de la Corona. 3.° Los presidentes del Senado y del Congreso de los diputados. 4.° El presidente del Consejo de Estado. 5.° Las autoridades judiciales de categoría superior a la del que recibe la declaración. 6.° El gobernador civil y delegado de Hacienda de la provincia, el capitán general del distrito y el gobernador militar en cuyo territorio se hubiere de recibir la declaración. 7.° Los embajadores y demás representantes diplomáticos acreditados cerca del Gobierno español. 8.° Los capitanes generales del Ejército y Armada. 9.° Los arzobispos y obispos.»

Videantur articuli sequentes de ratione declarationes ab exceptis accipiendi.

(1) Valde refert ut in actis constet de distinctione inter factas *ex officio* interrogationes et eas quae continentur in examine a partibus allato proptereaque ad instantiam

c) Interrogationes breves esse debent, non plura simul complectentes, quarum singulae speciale responsum exigant; non captiosae, non subdolae, non suggerentes responsionem neque verbis quibus fiant neque vocis modulatione aut inflexione, remotae a cujusvis offensione et pertinentes ad causam quae agitur (*can.* 1775).

d) Interrogationes non sunt cum testibus antea communicandae. Attamen si ea quae testificanda sunt ita a memoria sint remota, ut nisi prius recolantur, certo affirmari nequeant, poterit judex nonnulla testem praemonere, si id sine periculo fieri posse censebit (*can.* 1776).

711. **Quomodo a testibus respondendum.** — Testes ore tenus debent testimonium dicere, neque scriptum legere, nisi de calculo et rationibus agatur; tunc enim adnotationes, quas secum attulerunt, poterunt consulere (*can.* 1777).

712. **Depositio in acta referenda.** — *a)* Interrogatio et responsio ex continenti ab actuario aut notario scripto redigendae sunt, eodem quo habentur ordine. — *b)* Responsio scribenda est non solum quod attinet ad substantiam, sed etiam ad ipsam editi testimonii verba, — *c)* nisi judex, attenta causae exiguitate, satis habeat unam depositionis substantiam referri, ipso verba dictante (*can.* 1778). — *d)* Etiam est in actis mentio facienda de praestito, *remisso* aut *recusato* a testibus *jurejurando,* de partium aliorumque praesentia, de interrogationibus ex officio additis et generatim de omnibus memoria dignis quae forte acciderint, cum testes excutiebantur, v. gr., si intermissae sunt interrogationes et in alia sessione continuatae, si testis in respondendo haesitavit, aut responsum retractavit, etc. (*can.* 1779).

713. **Lectio et subscriptio testimonii.** — Testi, antequam ab auditorio discedat, debent legi quae actuarius de iis quae ipse viva voce testatus est, scripto redegit, data eidem testi facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi. Denique actui subscribere debent testis, judex et notarius (*can.* 1780).

714. **Novum examen ejusdem testis.** — Testes, quamvis jam excussi, poterunt, parte postulante aut ex officio, antequam acta seu testificationes publici juris fiant, denuo ad examen vocari, si judex id necessarium vel utile ducet, dummodo tamen omnis collusionis vel corruptelae absit periculum (*can.* 1781).

Haec nova testis productio fit potissimum in causis matrimonialibus, quae nunquam transeunt in rem judicatam. Vide *Lega,* l. c., *n.* 484 *seq.*

715. **Testium collatio.** — Testium collatio, vulgo *confrontatio* (*careo*), sive inter se, sive cum parte, aut in causis criminalibus cum reo, a foro ecclesiastico non est aliena. Vide *Lega,* De judiciis, *vol.* 4, *n.* 240 *seq.*; 329 *seq.* Quae permittitur a Codice, tanquam via *extraordinaria* probationes legitimandi, prudenti judicis arbitrio relicta. Cum igitur medium extraordinarium sit, ideo judicis

---

partium peracto. Sic fieri solet in tribunalibus ecclesiasticis. Quod de hac distinctione in actis constet, esse utile potest ad judicandum de agendi ratione judicis in examinibus, immo ad appellandum ex ejus sententia, si cui ex partibus faveret. Vide Codicem Gregorianum, *art.* 657, 658.

arbitrium Codex limitibus constrixit, ita ut tantum fieri poterit, si haec omnia simul concurrent: 1.° si testes inter se aut cum parte in re *gravi* et *causae substantiam* attingente dissenserint; 2.° si nulla alia facilior ad veritatem detegendam suppetit via; 3.° si scandali vel dissidiorum periculum non erit ex collatione pertimescendum (*can.* 1772, §§ 2, 3).

ARTICULUS V

DE TESTIMONIORUM EVULGATIONE EORUMQUE REPROBATIONE

716. **Quando et quibus in casibus evulgatio locum habeat.**— Testimoniorum evulgatio locum habet, cum partes aut earum procuratores examini testium non interfuerunt. Fit autem judicis peculiari mandato aut decreto. Hoc dari poterit statim post absolutum omnium testium examen; nisi satius duxerit judex differre testimoniorum evulgationem in tempus quo cetera probationum capitula sint absoluta (*can.* 1782).

717. **Evulgationis effectus.** — I. Post testificationum evulgationem cessat facultas reprobandi testis personam (*can.* 1783, 1.°), nisi a parte demonstretur vel saltem jurejurando affirmetur defectum testis antea sibi notum non esse ad normam can. 1764, § 4. In casu alio pars quae nullo defectu testem notavit juri suo putatur renuntiasse. Vide *Reiffenstuel*, l. c., *n.* 537 *seq.*

II. Post evulgatas testificationes, testes jam auditi denuo super iisdem articulis non sunt interrogandi, neque novi testes admittendi, nisi caute et ex *gravi* ratione in causis quae nunquam transeunt in rem judicatam; ex *gravissima* ratione in ceteris; et in quolibet casu omne fraudis et subornationis periculum removendum est a testibus sive examini subjectis sive subjiciendis, altera pars est audienda, et requirendum votum promotoris justitiae vel defensoris vinculi, si hi judicio intersint; quae omnia judex decreto suo definire debet (*can.* 1786).

718. **Exceptiones contra testificationes.** — I. Evulgatis testificationibus, est jus partibus proponendi exceptiones sive quod attinet ad modum examinis, cum scilicet objiciuntur regulae juris in examine peragendo neglectae, sive quod attinet ad testificationes ipsas, cum nempe testimonia impugnantur de falso aut de variatione, contradictione, obscuritate, defectu scientiae et similibus (*can.* 1783, 2.°). Vide *Reiffenstuel*, l. c., *n.* 552 *seq.*

II. Judicis est exceptiones admittere et brevem terminum parti postulanti praestituere ad probandam reprobationem aut rejiciendam, si eam futili fundamento inniti aut ad retardandum judicium factam animadvertit (*can.* 1784, 1785).

III. Exceptionum admissio aut recusatio est causa *incidens*, brevi definienda ad normam can. 1837 *seq.*

ARTICULUS VI

DE INDEMNITATE TESTIUM

719.—I. Testis jus habet ad petendam compensationem impensarum, quas sustinuerit ratione itineris et commorationis in loco judicii, et ad congruam indemnitatem pro interruptione sui negotii vel operis (*can.* 1787, § 1).

Haec compensatio jure facienda ei est qui testes induxit. Etenim, etsi testis officium, ut diximus, quadantenus publicum est, eo quod in justitiae et inde in reipublicae commodum redundat, proxime tamen in favorem litigantis exercetur sine ulla erga eum particulari obligatione.

II. Judicis est, auditis parte ac teste, et, si opus erit, etiam peritis, taxare indemnitatem et impensas testi solvendas (*Ibid.*, § 2).

III. Ad compensationem securam reddendam, potest judex a litigatore qui testes inducit exigere ut congruam pecuniae quantitatem deponat, et terminum peremptorium praestituere ad eam deponendam. Si intra peremptorium terminum quantitas deposita non est, ille testium examini renuntiasse est censendus (*can.* 1788). Vide etiam *can.* 1909.

ARTICULUS VII

DE TESTIMONIORUM FIDE SEU VI PROBATORIA

720. **Notio.** — Haec materia probationis testimonialis difficillima est. Rei forensis scriptores nostra aetate fere propensi sunt ad vim et robur hujus probationis minuendum, in nonnullisque Codicibus recentioribus ultimam sedem tenet inter argumenta probantia (1). In nostro Codice primum locum occupat post confessionem, quae proprie non est probatio sed probationis relevatio. Et certe ipsa instrumentalis probatio saepius testimoniali probationi subjicienda est, atque ab ipsa nulla reddenda, scil. cum periti ac testes authentiam aut falsitatem instrumenti publici agnoscunt. Ceterum Codex hoc loco in Evangelio innititur (Matth., XVIII, 16) et in pristino Ecclesiae more. (Vide *Devoti,* Institutiones canonic., *lib.* III, *tit.* IX, 5, 8, 9; *Reiffenstuel,* II, 22, *n.* 282 *seq.*

721.— *Vis probatoria* testationum testium sustentatur scientia, probitate et aequitate ipsorum, firmaturque numero ac modo ipso declarationis faciendae, maxime si fit jurejurando. Humanum testimonium, accedentibus debitis conditionibus, est fons et origo veritatis.

Sicut litigantium est testes reprobare, ita etiam est judicis aestimare vim testimoniorum, sicut et aliarum probationum.

---

(1) Sic in Codice hispano *de Enjuiciamiento civil.*

722. **Quae habenda prae oculis in testimoniis aestimandis.**— In aestimandis testimoniis judex prae oculis habere debet: 1.° Quae conditio sit personae, quaeve honestas, et num aliqua dignitate testis praefulgeat.

2.° Utrum de scientia propria, praesertim de visu et auditu proprio testificetur, an de credulitate, de fama, aut de auditu ab aliis. Vide *Reiffenstuel*, hoc titulo, *n*. 342 *seq*., 384 *seq*.

3.° Utrum testis constans sit et firmiter sibi cohaereat; an varius, incertus, vel vacillans. Vide *Reiffenstuel*, hoc tit., *n*. 282 *seq*.

4.° Denique utrum testis sit singularis et quo singularitatis genere, scilicet obstativae, diversificativae, adminiculativae; an testimonii contestes habeat (*can*. 1789, 1790) (1). Vide *Reiffenstuel*, l. c., *n*. 313 *seq*.

723. **Vis testificationum.** — I. Unius testis depositio *plenam fidem* non facit, nisi sit testis *qualificatus* qui deponat de rebus ex officio gestis (*can*. 1791, § 1).

II. Si sub juramenti fide duae vel tres personae, *omni exceptione majores*, *sibi firmiter cohaerentes*, de aliqua re vel facto in judicio testificentur de scientia propria, *plenam fidem faciunt plenamque probationem* efficiunt (2). Attamen in aliqua causa judex ob maximam negotii gravitatem, vel ob indicia quae aliquod dubium de veritate rei assertae ingerunt, necessariam censere pleniorem probationem poterit (*Ibid*., § 2).

CAPUT III

DE JUDICIO PERITORUM

724. **Notio**. — Dicuntur *periti* ii qui in aliqua scientia, arte vel officio usu docti aut versati sunt; *judicium* vero *peritorum* vocatur dictamen, quod vulgo dicitur, ab illis emissum de facto aliquo eorum examini recensionique subjecto. Evenire facile potest ut in causa litigiosa definienda opus sit cognitionibus ad certas disciplinas spectantibus; hinc necessitas peritos adeundi eorumque judicium in probationibus numerandi (3).

---

(1) Quod spectat ad vim quae cuivis adjunctorum tribuenda est, neque potest Codex esse longus, neque est Institutionum illam explicare; sed sunt adeundi praeclari Decretalium interpretes. In hoc titulo (*lib*. 2, *tit*. 20) praesertim fuse et scite *Reiffenstuel*.

(2) Vide *Wernz*, l. c., *n*. 621.

(3) Quamquam aliqui auctores probationem, quam *peritialem* dicunt, inter testimoniales recensuerunt, magis est logicum eam habere ab illis diversam, ut Codex facit. Periti quidem aliqua ratione testes sunt, at ab his differunt, quod minime simplici depositione super factis quatenus sensu perceptis circumscribuntur, sed progrediuntur ulterius, scil. de eorum natura effectibusque judicant juxta suam scientiam vel *peritiam* usu vel studio acquisitam, quo testium qualitati aliam praestantiorem addunt qua quo-

725. **Judicii peritorum necessitas**. — Peritorum opera utendum est quoties ex juris vel judicis praescripto eorum examen et votum requiritur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicujus rei naturam de qua in judicio disceptatur dignoscendam (*can.* 1792).

726. **Electio peritorum**. — I. Judicis est communiter peritos eligere vel designare (*can.* 1793, § 1); qui, attentis iis quae a litigantibus forte deducantur, omnia et singula capita decreto suo definiet circa quae periti opera versari debeat. Definiet etiam, si necessarium vel opportunum ipsi videbitur, tempus intra quod examen perficiendum est et votum proferendum; quod tempus poterit, auditis partibus, prorogari (*can.* 1799).

II. Peritorum designationem in causis mere privatis judex facere potest rogatu utriusque partis vel etiam alterutrius, altera tamen consentiente; in causis vero bonum publicum respicientibus, audito, ubi adest, promotore justitiae aut vinculi defensore (*can.* 1793, § 2).

III. Extra casum in quo lex ipsa *numerum* peritorum praefinit, peritos eligere pro causae natura et rei difficultate judicis est (*Ibid.*, § 3).

727. **Conditiones ut quis periti munus gerere possit**. — I. Ad periti munus, ceteris paribus, in foro ecclesiastico deligendi sunt qui competentis magistratus auctoritate idonei sint comprobati ad rem de qua judicium est ferendum (*can.* 1795, § 1). Cum vero ars aut disciplina legibus vel magistratibus non subjicitur, non solet titulus exigi, sed satis est ut periti sint in illa disciplina aut arte versati.

II. Qui a testimonio ferendo excluduntur ad normam can. 1757, ne ad peritorum quidem officium assumi possunt (*can.* 1795, § 2).

728. **Recusatio**. — Possunt periti easdem ob causas quibus testes recusari (*can.* 1796, § 1). Quae recusatio fit maxime cum agitur de testibus a judice designatis; pars enim nequit merito peritum a se delectum recusare, nisi ob causam quae designationem consequatur. Judex peculiari decreto debet edicere utrum sit admittenda recusatio, necne, et recusatione admissa, in locum periti recusati alium sufficere (*Ibid.*, § 2).

729. **Num adsit obligatio ad munus periti**. — Nulla est obligatio fungendi munere periti (1); at hi demandatum munus susci-

---

dammodo *judicibus facti* aequiparantur. Vide *Manresa y Navarro*, Ley de Enjuiciamiento civil, *vol.* 2, *pag.* 331 *seq.*

In foro ecclesiastico causae frequentiores quae peritorum judicio subjiciuntur hae sunt: novi operis nuntiatio, item nuntiatio veteris operis aut damni remotionis, controversia de paroeciae vel dioecesis limitibus earumque divisione, causae matrimoniales de impotentia et non consummatione, tandem nonnullae criminales.

(1) Vide *Lega*, l. c., *n.* 501, ubi affertur, tanquam ratio, intrinseca congruentia desumpta ex discrimine inter testem et peritum.

pere censentur praestatione jurisjurandi de munere fideliter implendo (*can.* 1797, § 1). Quare si, post jusjurandum praestitum, intra praefinitum tempus mandato non paruerint aut sine justa causa exsecutionem defugiant, tenentur damnorum (*can.* 1798).

Partes non solum interesse possunt jurisjurandi praestationi, sed etiam exsecutioni muneris perito demandati, nisi aliud rei natura vel honestas exigat aut lex vel judex statuat (*can.* 1797, § 2).

730. **Quomodo demandatum munus peritis explendum.** — I. Peritorum est peritiam suam ad veritatis et justitiae leges exigere, neque falsum affirmando neque verum occultando; in quo si deliquerint, puniendi erunt ad normam can. 1743, § 3, ubi de puniendis testibus (*can.* 1794).

II. Periti votum suum vel in scriptis proferre possunt, vel ore tenus coram judice; sed si ore proferatur, statim in scriptis redigi debet a notario et a peritis subscribi (*can.* 1801, § 1).

III. Peritus autem, praesertim si sententiam suam in scriptis protulerit, accersiri potest a judice ut explicationes, quae ulterius necessariae videantur, suppeditet (*Ibid.*, § 2). Mos est in foro ecclesiastico, ut judicium tum scripto tum prolatis verbis, praesertim in causis de matrimonio rato, exigatur. Vide *Lega*, De judic., *vol.* 1, *n.* 500, ubi Instructio S. C. Concilii allegatur, a. 1840.

IV. Periti suam quisque relationem singulatim conficere debent. At, lege non contradicente, judex jubere poterit ut una ab omnibus subscribenda fiat; quod si fiet, sententiarum discrimina, si qua fuerint, diligenter adnotanda erunt (*can.* 1802). In foro ecclesiastico mos invaluit in causis potissimum matrimonialibus, ut separatim periti judicium proferant.

V. Periti debent etiam indicare perspicue qua via et ratione processerint in explendo munere sibi demandato, et quibus potissimum argumentis sententia ab ipsis prolata nitatur (*can.* 1801, § 3).

731. **Periti in scripturarum collatione.** — Scripturae a peritis inter sese comparandae sunt, cum pars laesa authentiam privati documenti negat, vel de ea dubitat. Idem faciendum est, cum agitur de publico documento quod matrice caret, neque a magistratu qui illud expedierit possit agnosci.

I. Qui scripturarum comparationem postulat, documentum vel documenta certa, quibus sit facienda collatio, designabit; judex autem ea tradet peritis una cum scriptura quaestioni obnoxia (*can.* 1800, § 1).

II. Si de scripturis, quae sint inter se comparandae, partes dissentiant, judex seliget, comparationis gratia, eas, quas pars cui praejudicium infertur ut indubitatas recognovit, aut seliget aliquod publicum instrumentum ab ipso qui accusatur scriptum et in

archivis aut alio publico tabulario custoditum, aut ejus subscriptiones seliget quas ex fide notarii vel personae publicae constet ab eo ipso exaratas esse, cui scriptura comparanda tribuitur (*Ibid.*, § 2)

III. Quod si scripturae a partibus et a judice pro comparatione designatae, peritorum judicio investigationi non sufficiant, et is cui scriptura controversa tribuitur, in vivis sit, judex ad instantiam partis aut etiam ex officio eum citabit, ut manu propria coram judice vel ejus delegato scribat quidquid periti, judex ipse, ejusve delegatus dictaturi sint. Recusatio scribendi, non probata legitima recusationis causa, habetur ut confessio genuinitatis scripturae controversae in praejudicium recusantis (*Ibid.*, §§ 3, 4).

732. **Quomodo vis probatoria judicii peritorum aestimanda.** — I. Si periti inter se discrepent, licet judici aut *peritioris* suffragium super relatis a primis peritis exquirere, aut novos de integro peritos adhibere. Eadem facultas eligendi novos peritos judici est, quoties ii post electionem in suspicionem inciderunt, vel impares atque non idonei muneri perspecti sunt (*can.* 1803). Utrumque in causis matrimonialibus frequens est.

II. Judicis est vim probatoriam judicii peritorum aestimare, ad cujus aestimationem non peritorum tantum conclusiones, etsi concordes, sed etiam firmitatem aut constantiam in suis conclusionibus exponendis, et cetera quoque causae adjuncta attente perpendere debet; non enim subest judicio peritorum (*can.* 1804, § 1) (1).

Cum reddit rationes decidendi, exprimere debet quibus motus argumentis peritorum conclusiones aut admiserit aut rejecerit (*Ibid.*, § 2).

733. **Honoraria peritorum.** — Peritorum expensas et honoraria judex, receptam uniuscujusque loci consuetudinem prae oculis habens, ex bono et aequo taxare debet, salvo jure recursus ad normam can. 1913, § 1 (*can.* 1805).

CAPUT IV

DE ACCESSU ET RECOGNITIONE JUDICIALI

734. **Notio.** — *Recognitio* sive *accessus judicialis*, quae in antiquo jure etiam *inspectio* et *conspectus ocularis* dicebatur, est inspectio sive examen

---

(1) Ut fiat illustre quare probatio peritorum saepe sine adminiculo aliarum probationum aeque non possit aestimari, satis est animum advertere quam haud raro per se ipsa infirma sit. Quod attinet, e. c., ad privatarum scripturarum collationem, nemo nescit pulsum venarum, calami differentiam atque alia sexcenta adjuncta efficere saepe ut quae ab eodem scripta sunt diversae manus videantur, neque minus constat de facilitate et perfectione qua multi omne genus litterarum, subscriptionum, immo privatorum sigillorum imitentur. Vide *Reiffenstuel*, II, 22, *n.* 165 *seq.*

quod vel per se vel per judicem a se delegatum peragit judex de re disceptata ad veritatem factorum quae sunt in controversia illustrandam et cognoscendam.

Generatim recognitio versatur circa facta de quibus in lite constat, quae tamen particularibus adjunctis sunt praedita in quaestionem influentibus et non facile aestimandis, nisi judex per se ipse rei controversae statum et conditionem inquirat et perpendat. *Lega,* De judic., *vol.* 1, *n.* 502; *Wernz,* l. c., *n.* 356, *adnot.* 35.

735. **Quando facienda**. — Judicis est decreto id praestituere, auditis partibus et accedente causa necessaria aut convenienti ad ipsam rem controversam inspiciendam et ad facta aestimanda (*can.* 1806).

Sed recognitionem peragere potest vel ipse per se vel per auditorem aut judicem delegatum (*can.* 1807).

736. **Praesentia peritorum atque partium.** — I. Etsi aliquando facta quae judici inspicienda committuntur, sunt talis naturae, ut sola recognitio judicialis ad judicium de illis efficiendum sufficiat, nonnunquam tamen peritos adhibere debet, quorum judicio dirigatur, opera juvetur (*can.* 1808, § 1). Codex judici facultatem tribuit ut in examine oculato peritis utatur, cum eorum judicio opus est. Quod si periti adhibebuntur, erunt servanda, quantum fieri poterit, quae praescripta sunt can. 1793-1805 (*Ibid.,* § 2). Quo fit ut duae probationes simul adhibeantur: judicialis recognitio judiciumque peritorum.

II. Partes et earum advocati inspectioni judiciali adesse possunt, et illa judici declarare quae declaranda videantur ad factorum veritatem illustrandam; sed tamen adesse non coguntur, persapienterque in Codice tacetur de obligatione, praevia citatione, adeundi, ne scil. recognitionis effectus, quod fieri potest, eludantur, neve, ut est in vetere proverbio, opera et oleum perdatur. Simili ratione integrum est judici ut, si jurgii vel perturbationis periculum pertimescendum videatur, possit ipse prohibere ne partes vel earum advocati judiciali recognitioni intersint (*can.* 1809).

737. **Testium praesentia et examen**. — Etsi non opus est praesentia testium ad judicialem recognitionem, sed sufficit judicis auctoritas et notarii fides publica, maxime partibus adstantibus; possunt tamen vel ex officio acciri vel a partibus ante recognitionem rite produci. Quod si fiet, eos judex potest in ipso judiciali accessu examini subjicere, si id expedire videbitur ad pleniorem probationem aut ad removenda dubia ob quae recognitio decerni debuit (*can.* 1810).

Recognitio in acta referenda. — Notarius diligenter curabit ut constet ex actis quo die et hora recognitio facta sit, quae personae interfuerint, quae, recognitione durante, aut dicta aut peracta aut a judice decreta sint. Peractae recognitionis instrumenta tum judex tum notarius subscribent (*can.* 1811).

CAPUT V

DE PROBATIONE PER INSTRUMENTA

ARTICULUS I

DE NATURA ET FIDE INSTRUMENTORUM

738. **Notio.** — *Documentum, instrumentum, scriptura* stricte sumpta sonant scripta ex quibus factum comprobari potest, seu in quibus constat

de aliquo facto vel actu, cujus memoriam oblivio non deleat eique fides haberi possit, cum oportebit. *Fiunt scripturae* (inquit Gajus in Digesto XXII, 4, L. 4) *ut quod actum est per eas facilius probari possit.* Itaque nihil mirum, si instrumenta locum valde praecipuum tenent in probationibus, et si probatio instrumentalis dicta est ab interpretibus *probatio probata, evidens, manifesta.*

739. **Divisio.** — Instrumenta possunt esse *publica* et *privata*. *Publica* sunt ea quae a persona sive manu publica, v. gr., a notario vel a judice, cum debitis juris solemnitatibus confecta sunt. *Privata* dicuntur quae a persona sive manu privata, aut a persona publica, sed non ratione officii publici, composita sunt.

In publicis instrumentis dicitur *protocollum* sive *originale* (escritura matriz, registro) scriptura originalis sive *authentica* quam notarius aut persona publica redigere debet de contractu vel actu auctoritati suae subjecto; dicuntur autem *copiae* translata sive transumpta protocolli. Protocollum etiam dicitur instrumentum *authenticum,* quia vel scriptum vel subscriptum est ab eadem persona cui tribuitur; quamquam hoc sensu etiam authentica dici possunt documenta privata quae hac qualitate praedita sunt.

Aliqui auctores *protocollum* appellant primam scripturam quae breviter summam rei gestae continet, memoriae causa factam, ex qua postea instrumentum in solemnem formam extenditur et redigitur, quod illi *transumptum* vocant. *Lega,* l. c., *n.* 508.

Aliquando hoc differt inter *protocollum, originale, transumptum* et *testimonium,* quod *protocollum* (quod etiam *matrix* et *registrum* dicitur) est liber in quo a notario aut magistratu publico ordine chronologico et convenienti numeratione omnes scripturae fidem facientes describuntur sive extenduntur, quas ipse cum partibus aut testibus subscribit, si hae subscriptiones a lege exiguntur. Dicitur *originale* prima transcriptio quae ad litteram e protocollo sive scriptura matrice desumitur, quaeque ab eo qui gerit officium publicum petenti tradenda est (at haec denominatio est impropria, nam verum originale protocollum est). — Vocatur *transumptum* transcriptio secunda, itemque aliae quae e protocollo describuntur, neque formam originalium induunt. Tandem *testimonium* dicitur litteralis transcriptio totius expedientis sive alicujus partis, aut quorumvis actuum judicialium ceterorumque instrumentorum publicorum. Cfr. *Reiffenstuel,* II, 22, *n.* 34 *seq.*

740. — **Praecipua documenta publica ecclesiastica** haec sunt: 1.° Acta Summi Pontificis et Curiae Romanae et Ordinariorum in exercitio suorum munerum authentica forma exarata, itemque attestationes authenticae de iisdem actibus datae ab illis vel eorum notariis;

2.° Instrumenta a notariis ecclesiasticis confecta;

3.° Acta judicialia ecclesiastica omnis generis;

4.° Inscriptiones baptismi, confirmationis, ordinationis, professionis religiosae, matrimonii, mortis, quae habentur in regestis Curiae vel paroeciae, vel religionis, item transcriptiones et attestationes scriptae ex iisdem desumptae et a parochis vel Ordinariis, vel notariis ecclesiasticis confectae aut earum exemplaria authentica (*can.* 1813, § 1).

741. — **Documenta publica civilia** ea sunt quae secundum uniuscujusque loci leges talia jure censentur (*Ibid.,* § 2).

Ex jure hispano, art. 596 Legis de *Enjuiciamiento civil* instrumenta publica et solemnia sunt:

1.° Las escrituras públicas otorgadas con arreglo a derecho;

2.° Las certificaciones expedidas por los agentes de Bolsa y corredores de comercio, con referencia al libro registro de sus respectivas operaciones, en los términos y con las solemnidades que prescriben el art. 64 del Código de Comercio y leyes especiales.

3.° Los documentos expedidos por los funcionarios públicos que estén autorizados para ello, en lo que se refiere al ejercicio de sus funciones;

4.º Los libros de actos, estatutos, ordenanzas, registros, catastros y demás documentos que se hallen en los archivos públicos o dependientes del Estado, de las provincias o de los pueblos, y las copias sacadas y autorizadas por los secretarios y archiveros por mandato de la autoridad competente;

5.º Las Ordenanzas, estatutos y reglamentos de sociedades, comunidades o asociaciones, siempre que estuvieren aprobadas por la autoridad pública; y las copias autorizadas en la forma prevenida en el número anterior;

6.º Las partidas o certificaciones de nacimiento, de matrimonio y de defunción, dadas con arreglo a los libros por los párrocos, o por los que tengan a su cargo el registro civil;

7.º Las ejecutorias y actuaciones judiciales de toda especie.

742. **Instrumenta privata**. —Litterae, contractus, transactiones, testamenta et scripta quaelibet a privatis confecta, privatorum documentorum numero habentur (*can.* 1813, § 3) (1).

743. **Probatio per documenta**. —I. In quolibet judicii ecclesiastici genere admittitur probatio per documenta tum publica tum privata (*can.* 1812).

II. Recognitio aut impugnatio scripturae, v. c. testamenti, proponi potest in judicio tum incidenter, tum ad instar causae principalis (*can.* 1815).

III. Documenta publica sive ecclesiastica sive civilia genuina praesumuntur, donec contrarium evidentibus argumentis evincatur (*can.* 1814) (2).

In probatione instrumentali magnum interest discrimen inter publica et privata instrumenta. Qui pro se instrumentum publicum allegat, minime cogitur ad probandam illius veritatem, sed pars a qua rejicitur ipsius falsitatem probare debet. Contra qui privatum documentum affert, ad ejus veritatem probandam tenetur, si haec a parte conventa negatur. Nam cum non sit major fides danda ei qui documenti veritatem affirmat, quam ei qui negat, standum est generali principio quo actor obligatur ut suam actionem probet: *ei incumbit probatio qui dicit, non qui negat.* Ergo publicum instrumentum probat, privatum refert; quamobrem *probationis probatae* primum, alterum *probationis articulatae* dicitur.

744. **Quid instrumenta probent.** —I. Documenta *publica* fidem faciunt de iis quae directe et principaliter in eisdem affirmantur (*can.* 1816).

II. Documentum *privatum,* sive agnitum a parte sive recognitum a judice, probat adversus auctorem vel subscriptorem et causam ab eis habentes; sed per se non habet vim probandi adversus extraneos (*can.* 1817). Vide *Reiffenstuel,* II, 22, *n.* 170 *seq.* (3).

III. Si abrasa, correcta, interpolata aliove vitio documenta infecta demonstrentur, judicis est aestimare num et quanti hujusmodi documenta facienda sint (*can.* 1818). Vide *Reiffenstuel,* II. 22, *n.* 327 *seq.*

Super hac materia consulendi Decretalium interpretes, qui de ea fuse in commentar. tit. 22 libr. II, v. c., *Reiffenstuel.* Vide etiam *Wernz,* l. c., *n.* 629 *seq.*

---

(1) Vide *Reiffenstuel,* II, 22. *n.* 129 *seq.,* ubi de diversis scripturis privatis sermo est.

(2) Qua ratione probetur documentum genuinum esse vide ap. *Lega,* l. c., *n.* 514 *seq.*

(3) Ratio eorum quae in hoc canone praescribuntur haec est: qui producit instrumentum a se subscriptum, agnoscit implicite aut fatetur veritatem factorum quae ad rem controversam referuntur, confessio autem valet contra eum qui illud conficit. Eodem pacto qui non rejicit tanquam non genuinum documentum a se subscriptum exhibitumque ab adversario, si admittit ejus subscriptionem, implicite quod in documento continetur atque intentionem adversarii admittit. *Card. De Luca,* De judic. disc., 29, *n.* 20. Contra qui documentum privatum a se subscriptum et suae causae conveniens exhibet, nihil probat, donec probet illud esse genuinum aut adversario probetur; qui enim factum affirmat quod ei favet, probare illud debet nisi a parte contraria admittatur. *Lega,* l. c., *n.* 513.

ARTICULUS II

DE PRODUCTIONE DOCUMENTORUM ET ACTIONE AD EXHIBENDUM

745. **Notio.** — Instrumentum *producere* est illud tradere, ut cum actis conjungatur. Documentum *exhibere* est illud judici aut partibus ostendere, ut de ejus argumento edoceantur, vel integre aut ex parte de illo acta testificentur.

Actio ad exhibendum. — Ea est quae illi competit qui aliquid postulaturus, vult illud ipsum sibi exhiberi, vel documentum quo fundat jus suum ostendi (v. gr. testamentum) ut certior fiat num sit illud revera quod sibi competere existimat, vel ut investiget utrum sibi, necne, competat (Vide *Serafini-Trías,* Instituciones de derecho romano, *vol.* 2, *pag.* 227).

746. **Documentorum productio**. — Documenta vim probandi in judicio non habent, nisi originalia sint aut in exemplari authentico exhibita et penes tribunalis cancellariam deposita, exceptis documentis quae publici juris sunt, ut leges rite promulgatae (*can.* 1819) (1).

Documenta in forma authentica sunt exhibenda et in judicio deponenda, ut a judice et ab adversario examinari possint (*can.* 1820) (2).

747. **Collatio documentorum.** — Si dubium excitetur utrum fideliter exscriptum sit exemplar, an non, judex ad instantiam partis vel etiam ex officio decernere potest, ut ipsum documentum exhibeatur, unde exemplar est desumptum. Si id fieri aut minime aut valde difficulter possit, judex potest auditorem delegare aut loci Ordinarium rogare pro examine et collatione documenti, praescribens quibus de articulis et quemadmodum fieri debeat collatio; collationi vero utraque pars assistere potest (*can.* 1821).

748. **Ea exhibendi obligatio.** — Obligatio exhibendi inde enascitur quod lex alteri parti jus tribuit ut ab altera documentum quod est penes eam exigat, aut inde etiam quod judex jus habet ut exhibeatur, quippe qui debeat sententiam, causa penitus perspecta, proferre.

I. Documenta communia quaeve de communi agunt negotio, v. gr., instrumenta quae respiciunt successiones, bonorum partitiones, contractus aliaque hujusmodi de quibus lis est inter partes, quilibet ex litigantibus potest postulare ut in jure exhibeantur ab ea parte quae illa possidere dicitur (*can.* 1822).

Instrumenta esse possunt *communia:* 1.° *titulo proprietatis,* v. g., quia communibus sumptibus confecta sunt, aut alio ex capite, nempe hereditatis, donationis, etc., utrique parti legitime acquisita. Cum sint communia utriusque partis, quodammodo propria sunt, unde jus exigendi eorum exhibitionem; 2.° *ratione materiae* quam continent, ut sunt testamenta inter heredes aut legatarios; 3.° *ratione negotii* quod natura sua publicis instrumentis consignatur, ut sunt acta judicii quae cuilibet interesse habenti debent exhiberi, notarii publici protocollum, etc. *Reiffenstuel,* II, 22, *n.* 245 *seq.*; *Lega,* l. c., *n.* 518; *Wernz,* l. c., *n.* 634.

---

(1) Super recursu qui remanet ei qui petitionem in documento amisso fundat vide *Schmalzgrueber*, *lib.* II, *tit.* 22, *n.* 89 *seq; Reiffenstuel,* II, 22, *n.* 331 *seq.*

(2) Generatim instrumenta in quibus pars, cujus interest, jus fundat, cum actione vel contestatione intra spatium probatorium conjungenda sunt; post enim conclusionem in causa, sicuti novae probationes inhibentur, sic non admittitur documentorum inductio, nisi agitur de instrumentis nunc primum repertis, aut quae, si jam antea reperta sunt, ob legitimum impedimentum tempore utili induci non potuerunt, vel nisi pars cujus interest a se antea non esse cognita jurejurando affirmat. Ceterum in causis quae nunquam transeunt in rem judicatam, posterior inductio non prohibetur. Vide *can.* 1861.

II. Nemo tamen exhibere tenetur documenta, etsi communia, quae communicari nequeunt sine periculo violationis secreti servandi, aut sine periculo damni aut infamiae propriae vel consanguineorum vel affinium in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu lineae collateralis (*can.* 1823, § 1).

Attamen etiam in hoc casu judex decernere potest ut exhibeatur documenti particula, quam produci intersit, si exhiberi sine memoratis incommodis potest (*Ibid.,* § 2).

III. Si pars exhibere recuset documentum de jure producendum, quod ipsa fertur possidere, judex, altera parte postulante, auditoque promotore justitiae vel vinculi defensore, interlocutoria sententia statuet utrum et quomodo ejusdem documenti exhibitio facienda sit (*can.* 1824, § 1).

Judicis est aestimare quanti haec recusatio facienda sit et qua ratione agendum cum parte parere recusanti (*Ibid.,* § 2).

Quod si pars documentum apud se esse negaverit, judex poterit eam examini subjicere et ad jusjurandum de ea re praestandum adigere (*Ibid.,* § 3).

CAPUT VI

DE PRAESUMPTIONIBUS

749. **Notio.** — **Praesumptio** in genere est rei incertae probabilis conjectura (*can.* 1825, § 1). Technice sumpta est conclusio rationabilis a lege aut magistratu ex facto cognito deducta ad facti incogniti aut dubii veritatem cognoscendam.

750. **Divisio.** — Ex quibus constat duplicem esse praesumptionem: primam a lege constitutam, quae *legalis* sive *juris* dicitur (1); alteram a judice habitam ex antecedentibus, consequentibus aut subsequentibus praecipuum factum quod ab ipso investigatur, quaeque in jure vocatur *praesumptio hominis*, possetque *logica* appellari.

I. Praesumptio *legalis* sive *juris* bifariam dividitur. Altera tanta vi et efficacia pollet ut contra eam non admittatur probatio *directa*, sed tantum *indirecta*, ea scil. quae conatur factum evertere, in quo probatio nititur. Et haec praesumptio dicitur *juris et de jure*. Altera solum certa existimatur, donec contrarium probetur; quare contra eam probatio tum directa tum indirecta admittitur. Et haec dicitur praesumptio *juris* simpliciter (*can.* 1826).

Jus quod praesumptio *juris* constituit esse potest sive *naturale* sive *positivum*. Est juris naturalis ea quae emanat ex illo effato: *qui vult antecedens vult etiam consequens;* igitur qui connubio jungitur suscipit omnia onera matrimonio adnexa. Est juris *posi-*

(1) Cave confundas *praesumptionem legalem* cum *legali fictione*. Vide *Reiffenstuel,* II, 22, *n.* 27; *Schmalzgrueber,* eod., *n.* 3; *Lega,* l. c., *n.* 527.

tivi ea qua externa legis violatio facta cum dolo praesumitur (*can.* 2200, § 2); *juris* vero *et de jure* illa qua habetur vera et justa sententia quae transiit in rem judicatam (*can.* 1904, § 1).

II. Praesumptio *hominis* quam judex logice deducit, solet distingui in *vehementem* seu *violentam*, *probabilem* et *levem* secundum majorem minoremve probabilitatis gradum. *Reiffenstuel*, II, 23, *n.* 8 *seq.*, 28 *seq.*; *Wernz*, l. c., *n.* 655.

751. **Praesumptionis efficacia.** — Qui habet pro se *juris* praesumptionem, liberatur ab onere probandi, quod in casu recidit in partem adversam; quae si jus suum probare nequit, sententia ferri debet in favorem partis pro qua stat praesumptio (*can.* 1827).

In praesumptione *hominis* judex inniti non potest nisi in facto certo et determinato quod cum eo, de quo controversia est, directe cohaereat (*can.* 1828).

De diversarum praesumptionum concursu, item quae cui praevalere debeat, vide *Reiffenstuel*, II, 23, *n.* 75 *seq.*

CAPUT VII

DE JUREJURANDO PARTIUM

752. **Notio.**—*Jusjurandum* est divini Nominis invocatio in testimonium alicujus veritatis aut promissi, prout agitur de roboranda per illud aut alicujus affirmationis veritate aut fidei datae factaeque promissionis sinceritate.

Jusjurandum est vinculum omnium fortissimum quo potest homo se devincire ad veritatem dicendam vel ad fidem praestandam, nam qui illud violat non solum injuriam facit cui sese devinxit, verum etiam ipsi Deo, qui testis sinceritatis promissi aut asseverationis invocatus est.

In re judiciali, quod ad probationes attinet, agitur de jurejurando *assertorio,* de quo jurisconsultus *Gajus* (L. 1, O. *de jurejurando,* XII, 2): *maximum remedium,* inquit, *expediendarum litium in usum venit jurisjurandi religio.* Et certe est in judiciis utile dupliciter: vel ad alias probationes roborandas (1), vel ut verum probationis argumentum, cum alia desunt vel sunt expertu difficilia, maxime vero cum agitur de actibus vel factis internis declarandis (2).

753. **Divisio.** — 1.° Jusjurandum est *judiciale,* si in judicio pronuntiatur; secus *extrajudiciale.*

2.° Maximi est momenti divisio jurisjurandi partium in *suppletorium, aestimatorium* et *decisorium. Suppletorium* illud est quod a parte praestatur tanquam probationis supplementum, ut judex de re perfecte et absolute

(1) In re judiciaria suus etiam locus est jurijurando *promissorio,* quod exigitur a judice et officialibus tribunalis atque etiam ab advocatis et partium procuratoribus ut rite munere suo fungantur.

(2) In probationibus confirmandis suum etiam locum obtinet jusjurandum de veritate declaranda quod praestant partes cum interrogantur, de quo ante dictum est. Agitur in hoc capite de jurejurando *partium* quatenus refertur ad controversiam definiendam.

judicare possit. *Aestimatorium* (*juramentum in litem* aut decisorium *in lite*) illud est quod praestatur de valore aut aestimatione rei quae postulatur, vel de damno accepto, ad definiendam pecuniae summam qua reus damnandus est (1). *Decisorium* (decisorium *litis*) illud est quo quaestio negotiumque praecipuum dirimitur.

3.° Superiori affinis est divisio in jusjurandum *voluntarium, judiciale* et *necessarium.* Est *voluntarium* id quo, partibus convenientibus, sine judicis interventu vel approbatione, pars una alteri assentitur seu in judicio defert, sese obligans ad standum eo quod jurarit, sive jusjurandum ante litem inceptam proponitur, sive defertur lite jam incepta, quo renuntietur ejus prosecutioni ad molestias et sumptus probationum vitandos. Quodammodo autem tria genera superioris divisionis possunt esse juramenta voluntaria, quatenus partibus consentientibus praestari possunt; at denominatio *voluntarii* jurijurando illi tribuitur, in quo pars cui defertur ad jusjurandum non obligatur, nisi quatenus voluntarie adversarii propositionem accipit. Alii hoc jusjurandum *extrajudiciale* vocant (*Lega,* l. c., *n.* 456); et reapse hoc charactere signatur. —*Judiciale* (specifice sumptum) est *decisorium* quod fit judicis auctoritate, cum una pars pertaesa inceptae litis molestiis, aut sufficientibus probationibus carens, invocat judicis auctoritatem ad jusjurandum alteri parti deferendum sub ea conditione ut, si jurare audeat, jusjurandum pro veritate habeatur, et jurans suam intentionem sine alio processu assequatur; et est aliquo modo voluntarium, quia ille cui defertur non *absolute* obligatur ad illud praestandum, suis autem effectibus convenit cum voluntario (*Lega,* l. c., *n.* 458). — *Necessarium* est, illud *suppletorium* quod judex *partibus* imponit, actori ad actionis, convento ad exceptionis probationem complendam seu confirmandam; denominatio autem *necessarii* ei, judicis impositione obvenit.

754. I. **Jusjurandum suppletorium.**—Ut dictum est, *jubetur* a judice aut saltem ab eo *admittitur*, si ad illud praestandum pars offertur. Quae *admissio jussioni* aequivalet juridice; judicis enim est *decreto* definire num et quando adjuncta concurrant cur deferri debeat; atque ipse sua jurisdictione defert (*can.* 1829, 1830, § 5).

a) **Conditio ad jusjurandum deferendum.** — I. Necesse est ut semiplena probatio praecedat in favorem litigantis cui jusjurandum defertur, et ut non possit aliis probationibus compleri (*can.* 1829). Plena probatione exsistente, non est necessarium; et cum nihil probatum est, reus est absolvendus. *Reiffenstuel*, II, 24, *n.* 171 *seq.*

II. Huic jurijurando vel maxime locus est cum adjuncta, quae civilem vel religiosum personae statum respiciunt, aliter comperiri nequeunt (*can.* 1830, § 1), v. gr., mors conjugis, legitimitas, etc.

III. Sed eodem abstinere debet judex tum in causis criminalibus, tum in contentiosis in quibus de juribus vel rebus magni pretii agitur aut de factis nimii momenti, aut si jura, res, facta non sint propria personae cui jusjurandum esset deferendum (*Ibid.*, § 2). In causis criminalibus ad reum damnandum probatio plena

---

(1) Subdividi ab usu peritis solet in jusjurandum de *aestimatione reali rei,* de *affectione* et *praejudicio.*

requiritur; in contentiosis autem quae sunt de re magni pretii, jurare aliquis posset avaritia motus.

IV. Deferri autem hoc jusjurandum potest sive ex officio, sive ad instantiam alterius partis, vel promotoris justitiae, vel defensoris vinculi, si judicio intersint (*Ibid.*, § 3).

b) **Cui deferendum sit.** — Regulariter ei qui pleniores habet probationes (*Ibid.*, § 4).

Innixi cap. postremo (*lib.* II, *tit.* 24) notant juris Decretalium interpretes jusjurandum suppletorium in *favorem* fieri, cumque major reo quam actori favor debeatur (Reg. 11 Juris in Sexto), ceteris paribus reo deferendum est; quod si adjuncta non sunt aequalia, quia reus suspectus est aut parum honestus, vel fortiores probationes actor habet, huic est deferendum. Vide *Reiffenstuel,* II, 24, *n.* 191 *seq.*; *Lega,* l. c., *n.* 461; *Wernz,* l. c., *n.* 647.

c) **Ejus recusatio, relatio atque impugnatio.**—I. Pars cui jusjurandum suppletorium defertur in rebus quae ad ejus statum civilem vel religiosum non pertinent, potest ex justa causa illud *recusare* vel in adversarium *referre* (*can.* 1831, § 1). Potest recusare, nam fieri potest, ut certior non sit facta aut careat cognitione *certa* de facto controverso; jusjurandum autem ut sit honestum, debet esse verum, rectum et justum. Quod si in adversarium *refertur* aut ei defertur, videbit ipse num possit honeste praestare. In jure superiore Doctores sentiebant generatim jusjurandum suppletorium neque recusari posse, neque *referri*, ex cap. 30 tit. *de jurejurando* (II, 24). *Lega*, l. c., *n.* 460; *Wernz*, l. c., *n.* 647.

Item ab una parte praestitum potest ab altera *impugnari* (*Ibid.*, § 3), sive ob conditiones personae quae fide non est digna, sive ob adjuncta et modum illius praestandi.

Quanti autem haec recusatio facienda sit, utrum justa sit, an potius confessioni aequiparanda, judicis est aestimare (*Ibid.*, § 2).

755.—II. **Jusjurandum aestimatorium** versatur, ut dictum est, circa aestimationem rerum injuste surreptarum perditarumve dolo malo alterius, aut communiter circa damnum rebus actoris a reo illatum; et a judice est deferendum parti quae damnum passa est, cum damni quantitas aliter aestimari certe non potest (*can.* 1832).

Modus illud deferendi.— In deferendo jurejurando aestimatorio, judex debet a parte, quae damnum passa est, petere ut sub jurisjurandi sanctitate designet res sibi ablatas vel dolo alterius perditas, earumque pretium et valorem secundum probabilem suam aestimationem exprimat (*can.* 1833, 1.°). Nonnunquam quantitas taxationis praescribitur et definitur, attenta personae qualitate adjunctisque negotii; quae quantitas si praefixis limitibus non est major, huic sententia conformanda est. Sed haec taxatio necessaria non est.

Si taxatio judici nimia videbitur, ad aequitatem reducenda est,

prae oculis habendo omnia indicia et argumenta usu comprobata, adhibitis etiam, si opus sit, peritis, quo magis veritati et justitiae consulatur (*Ibid.*, 2.°).

756. III. **Jusjurandum decisorium.** — *a*) *Quando potest adhiberi:* 1.° Ante initam litem partes convenire possunt extra judicium et sine interventione, ut controversia per jusjurandum ab alterutra praestandum transigendo dirimatur ea conditione, ut quaestio secundum jusjurandum decisa habeatur (*can.* 1834, § 1). Jusjurandum *decisorium*, ut patet, est *voluntarium* sive *conventionale*, vimque habet *transactionis privatae*, ad evitandam litem peractae.

2.° Pendente quoque lite et in quolibet ejus momento et statu altera pars potest, *judice probante*, alteri jusjurandum deferre, ea itidem conditione ut ex jurejurando quaestio definiatur (*Ibid.*). Hoc est jusjurandum decisorium *judiciale*, quod vi pollet *transactionis judicialis*.

b) **Conditiones ad ejus delationem**. — Cum in jurejurando decisorio transactio includatur, in transactione *cessio;* ut hoc jusjurandum deferri possit, opus est: 1.° ut lis sit de re, in qua cessio et transactio prohibita non est (*can.* 1835, 1.°), sicut prohibetur in dissolutione matrimonii, in titulo beneficii.

2.° Ut partes cedere aut transigere legitime possint (*Ibid.*, 2.°).

3.° Ut non deferatur ei qui pro se non habeat plenam probationem; tunc enim secundum hanc probationem a judice sententia ferenda est (*Ibid.*, 3.°).

4.° Ut non deferatur de facto quod proprium sit illius cui jusjurandum defertur, aut de facto alieno de quo ipse debeat respondere, v. gr., heredi de debito vel solutione pecuniae aliove defuncti facto, in quo casu jusjurandum non versatur circa factum ipsum, sed circa notitiam vel cognitionem de eo habitam, quia haec cognitio est personalis vel ei competit; in casu enim proposito cognoscere potuit factum, solutionem vel debitum ex ipso causante, aut potuit invenire inter ejus documenta adnotationem, adscriptionem, summarium aut commentarium unde solutio vel debitum constet (*Ibid.*, 4.°).

757. *c*) **Ejus revocatio, recusatio aut relatio**. — I. Hoc jusjurandum potest a parte, a qua delatum est, *revocari* antequam praestitum sit a parte cui delatum est (*can.* 1836, § 1). Haec revocatio delationem nullam reddit.

II. Ab altera parte, scil. cui delatum est, potest acceptari et *praestari*, vel non, scil. *recusari*, aut *referri* in adversarium, scil. in partem a qua delatum est, ut ab hac praestetur (*Ibid.*). In postremo casu, scil. si in adversarium refertur, hic debet illud praestare, secus causa cadit (*Ibid.*, § 4). Sed ut in adversarium referri possit, eaedem illae concurrant conditiones necesse est, quae ad illud deferendum requiruntur, atque intercedat judicis ministerium (*Ibid.*, § 5). Quare referri non potest, cum factum circa quod versatur est mere personale relate ad partem cui delatum fuerat.

III. Praestito jurejurando, delato aut *relato*, quaestio secundum juratam formulam finita est, perinde ac si cessio aut transactio judicialis intercessisset (*Ibid.*, § 2).

IV. Judicis est aestimare quanti facienda sit recusatio juramenti uni parti delati et ab ea non relati ad partem quae illud detulit: utrum confessioni sit aequiparanda, an e contra recusatio justis innitatur causis (*Ibid.*, § 3), v. gr., quia jusjurandum non est ad causam pertinens.

Admonitio. Codex eandem vim tribuit jurijurando decisorio *voluntario* sive *conventionali* quam *judiciali;* utrumque transit in *rem judicatam.* (Vide *can.* 1902 et 1880) (1).

TITULUS XI

De incidentibus sive causis incidentalibus

758. **Notio.**—*Incidens* (ab *incido* = *cado in, cado supra,* i. e., succedo, supervenio, ex inopinato venio) ex etymo est id quod negotio accedit aut materiae praecipuae accessorie supervenit. Unde in re judiciali *causa incidens* dicitur quaestio quae, incepto saltem per citationem judicio et actione principali currente, ab una ex partibus aut a promotore justitiae vel vinculi defensore proponitur, neque libello, quo lis introducitur, continetur expresse, sed nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem (*can.* 1837). Ita sese opponere ad litem contestandam, persona actori aut judici competentia negata, petere declarationem nullitatis nonnullorum actuum, quia substantialiter vitiati, etc., supponunt substantiationem quaestionis accessoriae et a principali diversae.

Codex regulas generales ad incidentia in genere tradit, deinde gradum facit ad tractandum de aliquibus praecipuis, de quibus nihil est in superioribus titulis praeceptum.

759. **Regulae generales. Modus incidentis proponendi.** — Causa incidens proponitur vel ore tenus vel potius per libellum, indicato nexu qui intercedit inter ipsam et causam principalem, et servatis, quoad ejus fieri poterit, regulis can. 1706-1725 ad libelli oblationem et citationem statutis (*can.* 1838).

760. **Admissio aut rejectio.** — I. Judex, libello vel petitione

---

(1) De hoc jurejurando sic *Ulpianus* in Digesto (XLIV, 5. L. 1): *Jusjurandum vicem rei judicatae obtinet, non immerito; cum ipse quis judicem adversarium suum de causa sua fecerit, deferendo ei jusjurandum.*

verbali recepta, auditis partibus et, si opus erit, promotore justitiae vel vinculi defensore, alteri parti transumptum tradet, secumque deliberabit utrum causa incidens futilis sit et ad retardandum principale judicium unice excitata; an vero tali nexu cum causa principali cohaereat, ut ante eam resolvi debeat (1). In primo casu libellum vel instantiam rejiciet ex officio; in secundo admittet, suo decreto utrobique interposito (*can.* 1839).

II. Utrum incidens quaestio admissa definienda sit judicii forma servata, an mero decreto, attenta rei qualitate et gravitate, judicis est aestimare (*can.* 1740, § 1).

Judex in decreto quo vel rejicit vel definit quaestionem incidentem, rationes quibus innititur, in jure et in facto breviter debet exponere (*Ibid.*, § 3).

761. **Substantiatio.** — Si causa incidens sit judicialiter definienda, regulae, quoad ejus fieri poterit, servandae sunt, quae in ordinariis judiciis obtinent; hoc tamen discrimine, ut dilationum termini sint quam maxime breves (*Ibid.*, § 2) (2).

762. **Sententia interlocutoria**. — Per hanc sententiam definitur incidens quaestio in cujus substantiatione formae judiciales servandae sunt, ipsamque judex, antequam finiatur causa principalis, potest, justa intercedente causa, corrigere aut revocare sive ex se, auditis partibus, sive ad instantiam unius partis audita altera parte, et requisito semper voto promotoris justitiae aut defensoris vinculi, si judicio adsint (*can.* 1841).

CAPUT I

DE CONTUMACIA SIVE PERVICACIA

763. **Notio.** — *Contumacia* aut *pervicacia*, sumpta generatim, est neglectio mandati judicis sive inobedientia ejus praecepto. Hic autem sonat rei vel actoris pertinaciam non comparendi in judicio aut aliquibus actibus intra terminum citationis vel factae a judice convocationis.

---

(1) Ex hoc canone colligitur esse repellenda ex officio incidentia, quae, etiamsi non sint futilia, sunt tamen aliena a re principali, sed ita ut is a quo proposita sunt minime impediatur quominus postulet alia ratione quod fuerit illorum objectum, v. gr., poterit petitionem suam tanquam praecipuam actionem ad judicium opportunum afferre.

(2) Codex non decernit utrum incidentia sint in ipsis actis definienda, supenso cursu actionis praecipuae, an scriptum ad eorum definitionem sit separatim conficiendum; quod videtur pendere ab impedimento opposito aut non opposito prosecutioni causae principalis.

764. **Divisio.** — 1.° Contumacia est *vera,* cum reus legitime citatus, sine justa causa excusante non comparet in judicio; est *praesumpta,* cum praesumendum est citationem ad reum pervenisse, hic autem ad tribunal non venit.

2.° Potest esse *culpabilis* aut *dolosa;* per primam contemnitur facta citatio, per secundam impeditur quominus fieri possit.

3.° *Generalis* est aut *particularis,* prout totam causam vel judicium respicit, aut aliquos tantum actus.

Reus conventus constituitur *contumax,* cum sine justa causa excusante judicio non adest, cum impedit ne citatio fiat, cum dolose se abscondit, cum non libello actoris aut ejus positionibus respondet aut respondet obscure, postquam jussus est aperte et categorice respondere. — *Actor* fit contumax, si, edita actione aut lite contestata, causam non prosequitur, reo instante. *Uterque litigator* censetur contumax, si non paret mandato judicis in iis quae ad actuum exsecutionem referuntur (*Wernz,* l. c., *n.* 537. Vide etiam *Reiffenstuel*, II, 14, *n.* 45 *seq.*). Cum varii actus contumaciae aliis canonibus attingantur, hic agitur de contumacia non comparendi.

ARTICULUS I

DE CONTUMACIA REI CONVENTI

765. **Contumaciae declaratio.** —I. Reus legitime citatus qui sine justa causa nec ipse per se nec per procuratorem comparet, contumax declarari potest (*can.* 1842). Declaratio contumaciae fit ad instantiam partis vel promotoris justitiae vel vinculi defensoris, si judicio intersunt (*can.* 1844, § 1).

II. **Quae conditiones requirantur.** —Non potest tamen judex reum contumacem declarare, nisi prius constiterit: 1.° Citationem tempore utili ad rei notitiam pervenisse aut saltem pervenire debuisse; 2.° reum absentiae excusationem afferre neglexisse aut non justam attulisse (*can.* 1843, § 1).

Haec comprobari possunt sive per novam citationem reo factam ut contumaciam suam, si possit, excuset, sive alio modo (*Ibid.*, § 2).

766. **Effectus.** — Contumacia declarata, procedi potest, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam ejusque exsecutionem (*can.* 1844, § 1). Si prae contumacia lis non est contestata, sententia respicere tantum debet petita in libello; si contestata est, ipsum contestationis objectum (*Ibid.,* § 2). In hoc casu non viget canonis 1725 principium: *lite pendente, nihil innovetur.*

Sed potest quoque judex ad frangendam rei contumaciam comminari ecclesiasticas poenas (*can.* 1845, § 1). Quod si facere velit, iteranda est rei citatio, cum comminatione poenarum; nec jam tunc licet aut contumaciam declarare aut, ea declarata, poenas irrogare, nisi probetur hanc quoque secundam citationem suo effectu caruisse (*Ibid.,* § 2).

767. **Qua ratione contumacia purgetur et cesset.** — I. *Purgatur* contumacia, cum reus se in judicio sistit, et plane probat impeditum se fuisse quominus adesset a citatione huc usque, neque antea potuisse tribunal de hoc edocere. — *Cessat* vero contumacia, cum reus se sistit, nulla allata absentiae superioris ratione admittenda.

II. In quocumque litis gradu simul ac reus compareat, a contumacia recedens, admittendus erit ut pars, unaque cum eo in causae substantiatione procedendum est, et defensionis media possunt adhiberi quae lex concedit non contumacibus, neque judicium retrograditur. Si vero ante sententiam definitivam comparebit, uti poterit conclusionibus probationibusque, si quas afferat; cavebit autem judex ne mala fide in longiores et non necessarias moras judicium protrahatur (*can.* 1846). Contumacia semper in foro ecclesiastico habita est tanquam inobedientia juriumque propriorum renuntiatio (*Lega,* l. c., *n.* 565). Quare a reo sibi culpae vertendum est quod ejus malitiae non cedatur, neque ordinarii tramites et consueti termini in ejus juribus defendendis permittantur.

III. Quod si reus comparet post latam sententiam definitivam, a qua non potest appellari ad normam can. 1880, reo non est alia facultas nisi beneficium restitutionis in integrum petendi. Petendum autem est ab ipso judice qui sententiam tulit, non ultra tamen trimestre ab ipsius sententiae intimatione, nisi agatur de causis quae non transeunt in rem judicatam (*can.* 1847).

IV. Regulis superius traditis etiam tum locus est, proportione servata, cum reus, etsi primae citationi obtemperaverit, fit tamen postea progressu judicii contumax (*can.* 1848),

ARTICULUS II

DE CONTUMACIA ACTORIS

768. — Contumacia magis actori nocet quam reo; actor enim judicium sponte provocavit, reus autem ad illud defertur invitus. Vide *Lega*, l. c., *n.* 567.

769. **Contumaciae declaratio.** — I. Declarationi contumaciae contra actorem locus est in sequentibus adjunctis: 1.° cum die et hora qua reus secundum citationis praescriptum coram judice primum se sistit, actor non adest, nullamque vel insufficientem excusationem affert; 2.° cum judex eum ad instantiam rei conventi citat iterum, ille autem novae citationi non paret, aut cum pareat, judicium inchoare vel inchoatum prosequi negligit, judice jubente.

II. His adjunctis accedentibus, instante reo convento vel promotore justitiae aut defensore vinculi, contumax a judice declarandus est, iisdem servatis regulis quae supra traditae sunt pro rei contumacia (*can.* 1849).

770. **Effectus.** — 1.° Actoris contumacia a judice declarata perimit ejusdem actoris jus ad suam instantiam prosequendam.

2.° Permittitur tamen promotori justitiae vel vinculi defensori instantiam facere suam eamque prosequi, quoties publicum bonum id videtur postulare. Ut jam antea dictum est, in his causis necessaria est fiscalis aut defensoris interventio ad normam can. 1589.

3.° Reus autem exinde jus habet petendi ut vel libere possit a judicio abire, vel nulla habeantur omnia eo usque gesta, vel definitive ipse absolvatur a petitione actoris, vel judicium, absente quoque actore, ad finem adducatur (*can.* 1850).

Ex effectibus quos contumacia in actore gignit, apparet subjici hunc pejoribus conditionibus quam quibus reus subjicitur ut aequitas postulat.

ARTICULUS III

DE CONTUMACIA UTRIUSQUE LITIGANTIS

771. — Qui contumax declaratus contumaciam suam non purgaverit, sive actor est sive reus, condemnandus est tum ad litis expensas quae ob suam contumaciam factae sunt, tum etiam, si opus sit, ad indemnitatem alteri parti praestandam (*can.* 1851, § 1).

Si tum actor tum reus sunt contumaces, ad expensas litis tenentur in solidum (*Ibid.*, § 2).

CAPUT II

DE INTERVENTU TERTII IN CAUSA

772. **Notio.** — Dicitur *interventus tertii* (tercería) oppositio vel actio instituta a tertio qui in causa intervenit, tum ut faveat juri alteriusutrius e partibus, tum maxime ut proprio consulat, vel ut si heres *ab intestato* impugnet valorem testamenti in alterius favorem facti, legatarius tertius est cujus refert testamentum validum declarari; aut qui habet patronatum passivum, impugnat collationem beneficii de quo alii duo contendunt. Cfr. *Wernz,* l. c., *n.* 175 *seq.*

Casus particularis interventionis tertii occurrit in judiciis exsecutivis, cum tertius intervenit in actis exsecutivis contra aliquem habitis, totis viribus curans ut in solutione crediti exsecutori praeferatur, vel allegans sua esse bona exsecutioni mandata aut jus habere ad illa; vocatur hic *tertius oppositor*. Sed de hoc in tit. XIV, cap. III.

773. **Admissio interventus.** — I. Tertius oppositor admitti potest ad interveniendum in causa in qualibet litis instantia. Sed ut admittatur, debet ante conclusionem in causa libellum judici exhibere, in quo breviter de jure interveniendi ipsum edoceat (*can.* 1852, §§ 1, 2).

II. Oppositione admissa, is cujus interest interveniet in eo statu in quo causa reperitur, assignato eidem brevi ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas, si causa ad periodum probatoriam pervenerit (*Ibid.*, § 3).

III. Si tertii interventus appareat necessarius, judex ad instantiam partis vel etiam ex officio debet interventum in causa jubere (*can.* 1853). Hic interventus *necessarius* dicitur. Vide *Wernz,* l. c., *Lega,* l. c.; *n.* 556.

774. **Adnotatio.**—Sequitur inde *interventum tertii* esse valde diversum a *litis consortio,* quae denominatio ei competit qui pariter cum alio in eadem causa litigat, ut ex utroque pars una fiat sive actoris sive rei conventi. Vide *Wernz,* l. c., *n.* 173; *Lega,* l. c., *n.* 553. In *litis consortio* non est verus interventus sive *tertius veniens in causa,* sed tertius unam veluti partem constituit cum actore aut reo, ob commune interesse in eodem jure aut officio, ut patet ex dictis.

CAPUT III

DE ATTENTATIS LITE PENDENTE

775. **Notio.** — *Attentare* in materia judiciali est facere aliquid contra *inhibitionem*. Haec inhibitio fieri potest a *jure* vel a *judice*, quae si fit a judice, etiam jus jubet ut ne oppugnetur; ex ea autem oritur jus in litigantibus quod ab ipsis partibus et a jure violari potest.

776. **Divisio.** — I. Inhibitio generalis *juris* est quae continetur in can. 1725: *lite pendente, nihil innovetur,* et jam recognoscitur a jure Decretalium, in *Rubrica,* cum vi legis, tit. 16 libri II. Altera generalis inhibitio *juris* quae in superiorem refunditur, continetur in can. 1889 relate ad *exsecutionem prohibitam* sententiae appellatae cum effectu *suspensivo,* quae appellatio *litis pendentiam* prorogat. Aliquando vox *attentatum* sumitur sensu specifico, intelligiturque in hoc casu illud quod judex committit, cum vult mandare exsecutioni causam in qua jurisdictionem amisit ob appellationem interpositam cum effectu suspensivo. Vide *Wernz,* l. c., *n.* 697.

Inhibitio *hominis* sive *judicis* ea est quae oritur ex terminis a judice concessis ad actus judiciales in quovis trium stadiorum: instructione, definitione aut exsecutione causae.

II. Attentatum igitur a judice et a partibus committi potest.

Apparet, ex iis quae dicta sunt, *attentatum* esse speciem *spolii* sensu latissimo; per hoc enim alter de tranquilla quasi-possessione sui juris deturbatur. Vide *Lega,* l. c., *n.* 560 *seq.*

777. **Principium generale.** — *Attentatum* est quidquid, lite pendente, aut altera pars adversus alteram aut ipse judex adversus alterutram vel utramque partem innovat (1), parte cui praejudicium infertur dissentiente; quae innovatio fieri potest sive in terminis a jure vel a judice partibus assignatis ad ponendos certos actus judiciales, sive in materia vel objecto litis, salvo tamen praescripto can. 1672, 1673 de sequestro aut inhibitione (*can.* 1854).

778. **Attentatum consequentia.** — 1.° Attentata sunt ipso jure nulla.

2.° Idcirco parti ex attentato laesae competit actio ad obtinendam declarationem nullitatis et ad res in pristinum statum reponendas (*can.* 1855, §§ 1, 2).

779. **Incidentis promoti substantiatio.** — I. Actio rescissoria ad attentati annullationem instituenda est coram ipso judice causae principalis; quod si ob attentatum pars laesa judicem suspectum habeat, v. gr., quia ipse judex attentati fuit auctor, exceptionem suspicionis potest opponere, in qua procedendum est ad normam can. 1615 (*can.* 1855, § 3).

II. Pendente quaestione de attentato, cursus causae principalis regulariter suspenditur, nisi judici opportunius videatur, quaestionem de attentato una cum causa principali pertractari et resolvi (*can.* 1856, § 1).

III. Incidens de attentato expeditissime pertractandum est et decreto judicis definiendum, auditis partibus et promotore justitiae vel defensore vinculi, si hi judicio intersint (*Ibid.,* § 2).

---

(1) De variis praejudiciis quae ex innovatione in diversis causis oriri possunt vide *Reiffenstuel,* II, 16, *n.* 10 *seq.,* 37 *seq.,* 42 *seq.; Lega,* l. c., *vol.* 1, *n.* 563.

TITULUS XII

De processus sive actorum publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione

ARTICULUS I

DE ACTORUM PUBLICATIONE

780. **Notio.** — *Actorum publicatio* hunc sibi finem praestitutum habet, ut partes earumque fautores probe edoceri possint de probationibus ab utraque parte allegatis, quibus rite perpensis uti possit si faveant, si sint contraria infirmare. Quamobrem ante causae discussionem et multo magis ante sententiam omnes probationes quae sunt in actis et quae adhuc secretae permanserunt, sunt publicandae (*can.* 1858).

Concessa partibus earumque advocatis facultate acta processualia inspiciendi petendique eorum exemplar, intelligitur facta *publicatio* processus (*can.* 1859).

ARTICULUS II

DE CONCLUSIONE IN CAUSA

781. **Notio.** — *Conclusio* in causa hunc duplicem finem sibi proponit: accurate definire tempus utile ad probationes producendas atque ita partium diligentiam excitare et fraudem impedire, removendo a litigantibus modum litis indefinite protrahendae sententiaeque impediendae. Itaque constituta est in favorem partis diligentis, defensionisque justitiae legalis ergo; impedit enim quominus ejus cursus retardetur (1).

Substantialiter *conclusio* in causa limes est spatii probatorii, quae fert secum tacitam jurgantium renuntiationem ulterioribus probationibus, etiamsi eam non expresse peregerint (2).

---

(1) *Jurgantium controversias celeri sententia terminare et aequitati procul dubio convenit et rigori. Cap.* 2, X. de sent. II, 27.

(2) Notio tradita de conclusione in causa nonnihil ab ea differt quam Decretalium interpretes proponebant. Senserunt illi eam esse postremum actum processualem partium, judicis sententiae decisione causae subjecta. Vide *Schmalzgrueber*, II, 27, *n.* 1 *seq.; Reiffenstuel,* II, 27, *n.* 45 *seq.* Antiqui enim auctores, quos interpretes secuti sunt, conclusionem in causa proxime ante sententiam collocabant, speciali titulo praeeunte *de allegationibus,* ubi de discussione causae agebatur per allegata advocatorum (Cfr. *Pillius,* de ordine judic., P. III, § 15, *de alleg.*; *Tancredo,* P. III, *tit.* 15, eod.; *Gratia,* P. II, *tit.* 8,

782.—Haec *conclusio* habetur quoties aut partes a judice interrogatae declarant se nihil aliud deducendum habere, aut utile proponendis probationibus tempus a judice praestitutum elapsum est, aut judex declarat se satis instructam causam habere. De peracta conclusione in causa, quocumque modo ea acciderit, judex decretum fert (*can.* 1860), quod videtur formam juridicam induere. Modum R. Rotae peragendi conclusionem in causa vide in can. 27 *Legis propriae* apud *Ferreres*, La Curia Romana, *pag.* XXXVII.

783. **Conclusionis effectus**. —I. Post conclusionem in causa novae probationes inhibentur, nisi agatur de causis quae nunquam transeunt in rem judicatam aut de documentis nunc primum repertis, aut de testibus qui antea ob legitimum impedimentum tempore utili induci non potuerunt (*can.* 1861, § 1). In his causis bonum publicum a promotore fiscali vel a defensore vinculi defensum, v. gr., in causis nullitatis matrimonii, efficit ut ultima causae illustratio et dilucidatio his magistratibus sit reservanda. Vide can. 1849. Judex semper post conclusionem potest quamcumque probationem ex officio accipere, ut aequius et scientius possit decidere; ei enim ad litem aditus patet usque ad prolatam sententiam.

II. Si novas probationes admittendas censeat, id decernet judex, audita altera parte, cui congruum tempus concedere debet ut novas probationes cognoscere et se defendere possit; aliter judicium nullius est momenti (*can.* 1861, § 2).

ARTICULUS III

DE CAUSAE DISCUSSIONE SIVE INSPECTIONE

784. **Notio**. —Discussio consistit in defensione sui juris a partibus sive per se sive per advocatum probationibus exhibenda. Ad hanc defensionem judex pro suo prudenti arbitrio partibus congruum temporis spatium praestituere debet; quod prorogari a judice potest instante una parte, audita altera; vel etiam coarctari, utraque consentiente (*can.* 1862, § 1, 2).

785. **Defensio scripta**. —I. Defensio stricte dicta in scriptis est conficienda, et exemplar singulis judicibus, promotori justitiae et defensori vinculi alterique parti tradendum. Tribunalis praeses, quoties pro suo prudenti arbitrio necessarium censeat, et sine

---

eod.), expressiusque a *Durant.*, Speculum judiciale, post titulum *de disputationibus et allegationibus advocatorum* ponitur titulus specialis *de renuntiatione et conclusione*. Sed Codex habet conclusionem in causa tanquam limitem temporis probatorii; post illam vero collocat discussionem quae nostra aetate dicitur inspectio (*vista*). Vide *Wernz*, l. c., *n.* 660, 661 et *adnot.* 41.

nimio partium gravamine fieri animadvertat, mandare potest ut defensio typis imprimatur una cum documentis principalibus in fasciculo conjungendis, qui actorum et documentorum summarium continet. Quo in casu jubere debet ne quidquam imprimatur nisi prius exhibito manuscripto et venia illud publicandi obtenta; praeterea debet sedulo cavere de secreto, si quod sit in causa servandum (*can.* 1863). Hic est mos in Congregationibus et Curiae Romanae tribunalibus regulariter adhibitus, in quibus ad secretum quod attinet valde coarctatum est. Cfr. *Lex propria* R. Rotae, *can.* 25, 26.

II. Judicis et in tribunali collegiali praesidis est moderari, pro sua prudentia, nimiam defensionum extensionem, numerum pagellarum definiendo, nisi de hoc peculiari tribunalis lege sit cautum (*can.* 1864).

Sic *Lex propria* R. Rotae, *can.* 29, viginti folii romani pagellas defensionibus concedit, defensionum responsionibus pagellas decem attribuit cum facultate earum augendarum.

786. **Responsa defensionibus.** — Intra breve tempus a judice praestitutum servatisque regulis in defensione traditis, licet utrique parti responsiones scriptas contra adversarii defensionem exhibere. Hoc jus semel tantum conceditur, nisi judici gravi de causa iterum videatur concedendum; tunc autem concessio uni parti facta, alteri quoque data censetur (*can.* 1865).

787. **Informatio oralis**. — *Informationes*, uti vocant, *orales* in tribunali ecclesiastico prohibentur. Admittitur tamen moderata disputatio coram judice ad aliquid illustrandum, si, alterutra vel utraque parte postulante, judex eam utilem censet atque admittit. Ad disputationem obtinendam partes exhibere debent in scriptis quaestionum capita discutienda, paucis verbis expressa, ut judex ea possit cum partibus hinc inde communicare, ac diem et horam disputationi assignare et disputationem ipsam moderari. Disputationi assistet unus ex notariis tribunalis ad hoc ut, si judex praecipiat aut pars postulet et judex consentiat, possit de disceptatis, confessis aut conclusis, scripto ad tramitem juris ex continenti referre (*can.* 1866). Praescriptiones similes canone 30 *Legis propriae* R. Rotae comprehenduntur.

Adnotatio. In causis contentiosis, si partes parare sibi tempore utili defensionem negligunt, aut se remittunt judicis scientiae et conscientiae, judex, si ex actis et probatis rem habeat plane perspectam, poterit statim sententiam pronuntiare (*can.* 1867), modo ex allegatis et probatis sit de causa satis edoctus (1).

---

(1) De utilitate quam affert ratio defensionis a Codice praescripta, inspectionibus quae fiunt in tribunalibus civilibus multo praeferenda, cfr. *Salazar* et *La Fuente,* Procedimientos eclesiásticos, *vol.* 2, *pag.* 461 *seq.*

TITULUS XIII

De sententia

788. **Notio.** — Sententia est legitima judicis definitio de causa in ejus tribunali judiciario modo pertractata.

789. **Partitio.** — 1.° Sententia duplex est: *interlocutoria* et *definitiva*. *Interlocutoria* dicitur ea quae a judice pronuntiatur lite pendente, causae incidentis dirimendae gratia. *Definitiva* illa est quae causam principalem dirimit rei seu conventi absolutione aut damnatione.

Interlocutoria dicitur *simplex*, cum causam principalem nihil attingit, v. gr., quae novum spatium ad probationem intra terminum probatorium concedit. *Mixta* sive cum *vi definitivae* ea est quae, etsi circa incidens versatur, causam principalem praevenit periculoque committit; ut est, v. gr., ea quam judex pronuntiat, se incompetentem declarando, aut negando probationem quae facienda proponitur.

Quodcumque actum continens judicis pronuntiationem partibus intimatam neque notione sententiae definitivae vel interlocutoriae comprehensum, *decretum* vocatur (*can.* 1868).

2.° Sententia definitiva *absolutoria* aut *damnatoria* esse potest.

3.° In causis criminalibus sententiae *damnatoria* et *declaratoria* distinguuntur. Per primam a judice reo ob delictum probatum poena debita ex legibus imponitur. Per secundam juridice declaratur reum in poenam incurrisse, in quam ex legis dispositione erat incurrendum velut in poenam *latae sententiae*.

790. **Quando ferenda.** — Sententia ferenda est, expleta causae disceptatione; quod si causa est implicatior et contentionum vel documentorum mole difficilior, interponi potest congruum temporis intervallum (*can.* 1870).

791. **Quae in judice requirantur.** — Praeter *competentiam* et *non recusationem* sive admissionem legitimam secundum regulas in titulo II et III traditas, ad pronuntiationem cujuslibet sententiae requiritur in judicis animo *moralis certitudo* circa rem sententia definiendam. Hanc certitudinem judex haurire debet ex actis et probatis. Probationes autem aestimare judex debet ex sua conscientia, nisi lex aliquid expresse statuat de efficacia alicujus probationis (*can.* 1869, § 1-3).

I. Judex qui *moralem certitudinem* formare sibi non potuit, pronuntiare debet non constare de jure actoris et reum dimittere.

Excipitur causa favorabilis, in qua pro ipsa pronuntiandum est (*Ibid.*, § 4); ex hac vero exceptione excluditur casus judicii possessorii cum de possessore dubitatur, in quo, ad normam can. 1697, § 2, utrique parti *pro indiviso* possessio adjudicanda est.

Adnotatio. — Singulas causas favorabiles Codex non numerat. In cap. fin. *de sent.* et *re judic.*, II, 27, recensentur *matrimonium, libertas, dos, testamentum.* Juris Decretalium interpretes, alios textus secuti, causas alimentorum, viduarum, pupillorum ceterasque pias illis adjungebant. Cfr. *Reiffenstuel,* II. 12, *n.* 46, II, 19, *n.* 83, in reg. jur. 11, *n.* 10, 11; *Schmalzgrueber,* II, 27, *n.* 30; *Wernz,* Jus Decret., *vol.* 3, *nn.* 251. Ceterum in causis criminalibus reus cujus *delictum* non probatur, est, ut patet, absolvendus.

792. — II. Sententiam exarare et pronuntiare est unici judicis in tribunali unipersonali; in collegiali sententia pronuntiatur secundum majorem suffragiorum numerum redigiturque a ponente vel a judice quem praeses in suum locum suffecit (*can.* 1872, 1577, 1584).

III. In tribunali collegiali, quo die et hora judices ad deliberandum conveniant, collegii praeses constituere debet; et nisi peculiaris causa aliud suadeat, in ipsa tribunalis sede conventus habendus est. Assignato conventui die, singuli judices scriptas afferent conclusiones suas in merito causae, et rationes tam in facto quam in jure, quibus ad conclusionem suam venerint: quae conclusiones actis causae adjungendae sunt et secreto servandae. Prolatis ex ordine singulorum conclusionibus, secundum praecedentiam, ita tamen ut semper a causae ponente seu relatore initium fiat, habebitur moderata discussio sub tribunalis praesidis ductu, praesertim ut constabiliatur quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae. In discussione autem fas unicuique est a pristina sua conclusione recedere. Quod si judices in prima discussione ad hanc sententiam devenire aut nolint aut nequeant, differri poterit decisio ad novum conventum; qui tamen ultra hebdomadam protrahi non debet (*can.* 1871).

793. **Quid sententia definiendum.** — I. Sententia debet definire controversiam coram tribunali agitatam; hoc est, reum absolvere vel condemnare quod attinet ad singulos articulos qui in lite contestata aut in scripta accusatione continentur. Est generale principium, sententiam liti respondere debere eodem modo, quo instituta sit in litis contestatione (*can.* 1873, § 1, 1.°).

II. Debet determinare, saltem quatenus fas sit et materia patiatur, quid pars damnata dare, facere, praestare, aut pati debeat, aut a quo abstinere; itemque quo modo, loco vel tempore obligatio a sententia imposita implenda sit (*Ibid.*, 2.°).

III. Debet continere rationes tam in facto quam in jure quibus dispositiva sententiae pars innititur (*Ibid.*, 3.°).

IV. Statuere de litis expensis (*Ibid.*, 4.°).

V. In tribunali collegiali motiva ab extensore desumenda sunt ex iis quae singuli judicesin discussione attulerunt, nisi collegialiter praefinitum erit ab ipso tribunali quaenam sint motiva proferenda (*Ibid.*, § 2).

794. **Formulae externae sententiarum.** — Sententia ferri debet, divino Nomine ab initio semper invocato; dein exprimat oportet ex ordine qui sit judex aut tribunal; qui sit actor, reus, procurator, nominibus et domicilio rite designatis; promotor justitiae, defensor vinculi, si partem in judicio habuerint; referre postea debet breviter facti speciem cum partium conclusionibus. Hisce subsequitur pars dispositiva sententiae, praemissis rationibus quibus innititur. Sententia est claudenda cum indicatione diei et loci in quibus exarata est, et cum subscriptione judicis, vel judicum, et notarii (*can.* 1874).

Quae sententiae regulis superioribus subjiciantur. — Regulae superius positae locum habent potissimum in proferenda sententia definitiva; sed applicantur etiam, quantum diversa res patitur, in proferenda interlocutoria (*can.* 1875).

Adnotatio. — Sententias redigere per fundamenta juris et facti, sive per articulos qui vulgo dicuntur *resultandos* et *considerandos,* ut hactenus in Hispania ex processus civilis imitatione, factum est, opinamur neque esse commendandum, neque perspicuitati prodesse. Ratio a Codice instituta ea videtur esse quae a Rota Romana adhibetur, in qua tam in facto quam in jure juridica argumentatione proceditur. Juridice argumentando, formulis rejectis, facilius est vim argumenti ejusve debilitatem perspicere. Argumentatio est rerum complexus, qui non facile comprehenditur, si tum facta tum juris rationes dissipata sive disjuncta sunt per *resultandos* et *considerandos*.

795. **Sententiae publicatio.** — I. Sententia, hac ratione redacta, quamprimum publicanda est sive partibus intimanda (*can.* 1876).

II. Publicatio necessaria est, ut sententiae judiciali firmitas tribuatur, si partes consentiant; vel ut hae ad tribunal superius appellare possint.

III. Publicatio sententiae fieri potest tribus modis: 1.° vel citando partes ad audiendam sententiae lectionem solemniter factam a judice; 2.° vel partibus denuntiando sententiam esse penes cancellariam tribunalis, simulque facultatem ipsis fieri eandem legendi et ejusdem exemplar petendi; 3.° vel tandem, ubi usus viget, sententiae exemplar transmittendo ad partes per publicos tabellarios (*can.* 1877).

TITULUS XIV

De juris remediis contra sententiam

796. — I. Sententia, cum pronuntiata atque intimata est, jus facit inter partes; at hoc jus haud firmum et irrevocabile est, si expresse aut tacite non est acceptum, eo quod partes non sint usae mediis judicialibus eam impugnandi aut illius efficaciam impediendi.

II. *Remedia* juris contra sententiam ad illud conspirant, ut adversus injusta damna, quae sive a judice sive ab adversario sive a proprio errore et imperitia oriantur, litigantes protegant. Sunt haec remedia: *appellatio* sive provocatio, recursus nullitatis, oppositio tertii cui praejudicium est illatum, tandem restitutio *in integrum*, quod est remedium extraordinarium.

797. **Principium generale.** — I. Sententiae a judice inferiore pronuntiatae sunt *irrevocabiles* ab ipso qui eas pronuntiavit, nisi *vitio nullitatis* laborent; tunc enim retractari aut corrigi ab ipso judice possunt, si facultate gaudet emendandi vitium unde nata nullitas est (*can.* 1897).

Non potest sententia revocari, quia, in causa ejus decisioni subjecta, est postremus actus jurisdictionis judicialis, quo posito, *functus* est munere suo quod ad causam attinet. Jam vero si ultimus hic actus esset revocabilis, decisio controversiarum judicis volubilitati esset obnoxia, quo justitiae administratio derideretur. Si judex injustam sententiam pronuntiavit, det ipse poenas suae stultitiae, ignorantiae aut levitatis, partibus consulatur jure illius sententiae impugnandae. At vero ubi haec nulla pleno jure fuerit, nondum judex postremum actum exercuit; actus enim nullus est tanquam si non fuisset; potest igitur sententia nulla retractari cum aliaque valida commutari, vitio correcto a quo nullitas orta est. Cfr. *Schmalzgrueber,* II, 27, *nn.* 78, 79; *Wernz,* l. c., *n.* 680.

II. Errorem materialem qui inciderit vel in transcribenda parte dispositiva sententiae vel in referendis factis aut partium petitionibus aut in ponendis calculis, corrigere potest ipse judex. Qui ad hanc correctionem deveniet edito decreto ad instantiam partis, nisi pars altera refragetur. Quod si eveniet, quaestio incidens ad normam can. 1840, § 3, decreto definienda est; et decretum ad calcem sententiae correctae referendum (*can.* 1878).

CAPUT I

DE APPELLATIONE

798. **Notio**. — *Appellatio* est recursus ad judicem aut tribunal superius immediatum, ut decretum sive sententiam judicis vel tribunalis inferioris revocet reddatve inefficacem.

Cur inducta sit. — Quamquam appellatio in *antiquo* jure romano nunquam formaliter extitit, quatenus significat recursum ad judicem *superiorem* ut injuria ab inferiore illata compensetur (vide *Serafini*, Institut, juris romani, *vol.* 1, §§ 41, 44), nostra aetate invenitur in omnibus codicibus populorum ad civilem cultum deductorum. Tribus praecipue rationibus nititur: 1.ª ad reparandum nocumentum injuste oppressis illatum; 2.ª ad inferioris judicis ignorantiam malitiamve corrigendam; 3.ª ut litigantes qui sunt laesi ob propriam imperitiam, ignorantiam aut negligentiam excusabilem, possint hos defectus corrigere et in secunda instantia justitiam adipisci (1).

799. **Divisio.** — Partitio quam communiter Decretalium explanatores eorum verbis adhaerentes offerebant (*cap.* 5, X, *de appellat.* II, 28), in *judicialem* et *extrajudicialem*, videtur repudianda, attenta notione appellationis quam canon 1879 tradit. Quae dicebatur *extrajudicialis* appellatio, potius *recursus* erit dicendus. Vide can. 2145, § 1, 2153, § 1, etc.

Sed admitti potest appellatio *in suspensivo* et *devolutivo*. Illa sententiam judicis suspendit et reddit inefficacem dum expeditur appellatio; haec obligat ut acta ad Superiorem mittantur, non autem sine exsecutione sententia relinquitur, in quo casu admitti appellatio dicitur *in uno effectu*, scil. *devolutivo;* si etiam in suspensivo admittitur, dicitur *in utroque effectu* admissa.

Appellatio *legitima* dicitur, si in lege nititur et justa de causa interponitur; *frivola*, si inducitur sine ratione levibusve de causis; *frustratoria*, si nihil aliud sibi proponit quam negotio moras nectere.

800. **Quinam possint appellare.** — Jus habent a sententia appellandi: 1.° pars quae hac se gravatam putat, litigans victus aut damnatus, si se injuria affectum existimat, itemque litigans victor qui non omnia quae jure postulabat est consecutus; etiam tertius damnum perpessus, quae appellatio *oppositio* tertii dicitur.

2.° Promotor justitiae et defensor vinculi in causis in quibus interfuerunt (*can.* 1879).

---

(1) Hinc colligi potest quo sensu dicendum sit appellationem esse juris naturalis. Cfr. *Lega*, l. c., *n.* 619, 620; *Wernz*, l. c., *n.* 691.

801. **Quibus in causis non admittatur.** — Non est locus appellationi: 1.° A sententia Summi Pontificis vel Signaturae Apostolicae. Sed a R. Pontifice peti potest *beneficium novae audientiae.*

2.° A sententia judicis qui a Sancta Sede delegatus est ad videndam causam cum clausula «*appellatione remota*».

3.° A sententia vitio nullitatis infecta, contra quam pro appellatione datur recursus nullitatis.

4.° A sententia quae in rem judicatam transiit.

5.° A sententia definitiva quae vi jurisjurandi *decisorii* prolata est, quo pars quae illud detulit et quae accepit se obstrinxerunt ipsius effectibus stare; quare sententia illo innixa sententiae cui assensum est aequivalet.

6.° A judicis decreto vel a sententia interlocutoria, quae non habeat vim definitivae, nisi cumuletur cum appellatione a sententia definitiva.

7.° A sententia in causa pro qua jus cavet expeditissime rem esse definiendam.

8.° A sententia contra contumacem, qui a contumacia se non purgaverit.

9.° A sententia lata contra eum qui in scriptis expresse professus est se appellationi renuntiare (*can.* 1880).

802. **Quomodo interponenda.** — I. Appellatio interponitur coram judice *a quo* sententia prolata est, provocando ad judicem *ad quem* (*can.* 1881).

II. Appellatio fieri potest *ore tenus* coram judice qui sententiam pronuntiavit, si partes adsunt solemni ejusdem pronuntiationi in tribunali factae; ad quod sufficit dicere *appello* vel aliquid aequivalens quod voluntatem appellandi declaret. Haec appellatio statim ab actuario scriptis redigenda est. — Quae si non fiet inter sententiam legendam sive solemniter pronuntiandam, facienda est in scriptis, nisi appellans scribere aut nescit aut non potest, quo in casu servandum est praescriptum can. 1707 (*can.* 1882).

803. **Terminus ad appellandum.** — I. Appellatio est interponenda intra *decem dies* a notitia publicationis sententiae (*can.* 1881). Dies sententiae pronuntiatae ad normam can. 34, § 3, 3.° (cfr. *vol.* 1, *n.* 175, III) non computatur, dies autem decimus integer habilis est, qui dies est ultimus appellationis. Tempus est *utile*, non vero *continuum;* nam ad actus legales exercendos *tempus non currit legitime impedito;* at in durationis decursu fit *continuum*, quatenus dies feriati intercedentes numerantur (vide *Schmalzgrueber*, II, 28, *n.* 72). Attamen, si decimus feriatus est, habilis habendus videtur undecimus ad normam can. 1635. Terminus decem dierum prorogari non potest, et peremptorius est (*can.* 1634).

II. Si pars litigans, quae jus habet ad appellandum, intra terminum appellationi concessum moritur, aut statum mutat, aut

cessat ab officio, sententia debet iis quorum interest (ut sunt heredes, causam habentes aut successores, etc.) denuntiari, eisque concessus intelligitur terminus decem dierum, a die denuntiationis computandus. Si casus contigerit postquam erit appellatum, appellatio interposita eisdem quorum interest denuntiabitur, in quorum favorem a die denuntiationis denuo currere incipit tempus utile ad appellationem prosequendam (*can.* 1885).

804. **Terminus ad appellationem interponendam.**— I. Appellatio prosequenda est coram judice *ad quem* dirigitur intra *mensem* ab ejus interpositione, nisi judex *a quo* longius tempus ad eam prosequendam appellanti praestituerit (*can.* 1883).

II. Appellatio habetur interposita, si pars ministerium invocat judicis superioris ad impugnatae sententiae emendationem aut revocationem, adjuncto exemplari hujus sententiae et libelli appellatorii (*can.* 1884, § 1). Generatim haec petitio fit etiam per scriptum quo appellans breviter rationes exponit contra sententiam appellatam, cujus emendatio aut revocatio petitur: hoc autem scriptum dicitur petitio sive actio *injuriarum.*

III. Quod si appellans exemplar impugnatae sententiae intra utile tempus a tribunali *a quo* obtinere nequeat, interim termini non decurrunt et impedimentum significandum est judici appellationis, qui judicem *a quo* praecepto obstringat officio suo quamprimum satisfaciendi (*Ibid.*, § 2).

IV. Etiam nequit prorogari et est peremptorius terminus ad appellationem prosequendam, sed cum allata explicatione. Cfr. *n.* 804, I.

805. **Appellatio deserta.** — Elapsis fatalibus appellationis seu terminis ad appellationem interponendam vel prosequendam sine requisitis praescriptis sive coram judice *a quo*, sive coram judice *ad quem*, vel ab ea interposita desistitur, *deserta* censetur appellatio (*can.* 1886).

806. **Quibus prosit appellatio.** — 1.° Appellatio facta ab actore prodest etiam reo, et vicissim (*can.* 1887, § 1).

2.° Si sententia plura capita complectitur, et appellans quaedam tantummodo capita impugnat, cetera exclusa habentur; si nullum determinavit caput, appellatio praesumitur facta contra omnia capita (*Ibid.*, § 3).

3.° In eadem hypothesi, impugnato a parte aliquo sententiae capite, pars adversa potest super aliis capitibus incidenter appellare, etsi fatalia appellationis erunt transacta. Hanc appellationem facere potest etiam sub conditione ab ea recedendi, si appellans ab appellationis instantia recesserit (*Ibid.*, § 2).

4.° Cum partes plures sunt, scil. plures actores aut correi, si unus ex his sive actoribus sive correis appellat, appellatio censetur ab omnibus facta, quoties res petita sit *individua* aut *obligatio*

solidalis; expensas vero judiciales ille tantum sustinere debet qui appellavit, si judex appellationis primam sententiam confirmaverit (*can.* 1888).

Dicitur obligatio *solidalis*, illa cujus exsecutio seu adimpletio in solidum exigi potest a singulis creditoribus aut debitoribus.

807. **Appellationis effectus.** — I. Omnis appellatio, si jus expresse aliud non statuit, est in *utroque effectu*, devolutivo et *suspensivo* (*can.* 1889, § 2).

II. Appellatio in *devolutivo* tantum, non suspendit exsecutionem sententiae, licet lis adhuc pendeat (*Ibid.*, § 1).

III. Si appellatio est etiam in *suspensivo*, exsecutionem appellatae sententiae suspendit, ac propterea in suo robore permanet principium: *lite pendente nihil innovetur* (*Ibid.*).

At in casibus de quibus can. 1917, § 2, exsecutio *provisoria* non prohibetur (*can.* 1889, § 2).

IV. Interposita appellatione, tribunal *a quo* debet ad judicem *ad quem*, sive ad tribunal appellationis, actorum causae authenticum exemplar vel ipsamet originalia acta causae transmittere ad normam can. 1644 (*can.* 1890).

808. **Substantiatio appellationis.**—In gradu appellationis non potest admitti nova petitio, ne per modum quidem *cumulationis;* haec enim cumulatio perturbationem confusionemque gigneret, cum actio principalis in secundo gradu esset, addita vero per cumulationem in primo.

Ideo litis contestatio in eo tantum versari potest, ut prior sententia vel confirmetur, vel reformetur sive ex toto sive ex parte (*can.* 1891, § 1).

Sed novis exhibitis documentis et novis probationibus poterit causa instrui, servatis regulis traditis in can. 1786, 1861 (*can.* 1891, § 2), jam expositis.

CAPUT II

DE QUERELA SIVE RECURSU NULLITATIS CONTRA SENTENTIAM

809. — Contra sententiam etiam recursus nullitatis institui potest.

Vitia nullitatis alia sunt sanabilia, alia insanabilia.

810. **Nullitas absoluta.**—I. Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat: 1.° quando lata est *a*) a judice absolute incompetente; *b*) vel in tribunali collegiali a non legitimo judicum numero contra praescriptum can. 1576, § 1 (vide *n.* 542); 2.° quando lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam standi

in judicio; 3.° quando quis nomine alterius egit sine legitimo mandato (*can.* 1892).

II. Haec nullitas insanabilis **opponi potest** *a*) per modum exceptionis *in perpetuum; b*) per modum vero actionis coram judice qui sententiam tulit intra *triginta annos* a die publicationis sententiae (*can.* 1893).

811. **Nullitas sanabilis.** — I. Sententia vitio sanabilis nullitatis laborat: 1.° quando legitima defuit citatio; 2.° quando motivis seu rationibus decidendi est destituta, nisi agitur de sententiis Signaturae Apostolicae (vide *n.* 566); 3.° si subscriptionibus caret jure praescriptis, aut non refert indicationem anni, mensis, diei et loci quo prolata est (*can.* 1894).

II. Querela nullitatis, his de causis sanabilis, proponi potest: *a*) vel una cum appellatione intra *decendium; b*) vel seorsim et unice tamquam querela intra *tres menses* a die publicationis sententiae et coram judice qui sententiam tulit (*can.* 1895).

812. — Si pars quae recursum interponit vereatur ne judex, qui sententiam querela nullitatis impugnatam tulit, praeoccupatum animum habeat, et proinde eum suspectum merito existimet, exigere potest ut alius judex, sed in eadem judicii sede, in ejus locum subrogetur ad normam can. 1615 (*can.* 1896). Vide *n.* 569.

813. **Querelam nullitatis qui possint interponere.**—*a*) Non modo partes quae se gravatas putant, sed etiam *b*) *promotor justitiae* aut *defensor vinculi*, quoties judicio interfuerunt; *c*) immo ipse judex potest ex officio sententiam nullam a se latam retractare et emendare intra terminos ad agendum supra ad actionem statutos (*can.* 1897).

CAPUT III

DE OPPOSITIONE TERTII (1)

814. — I. Si sententia definitiva jura aliorum, qui partes non sunt, offendit, hi habent remedium extraordinarium quod *oppositio tertii* dicitur, vi cujus qui ex sententia suorum jurium laesionem verentur, possunt sententiam ipsam ante ejus exsecutionem impugnare eique se opponere (*can.* 1898) Vide *n.* 772.

II. Haec oppositio dupliciter fieri potest ad recurrentis arbitrium: *a*) sive postulando revisionem sententiae ab ipso judice qui eam tulit, *b*) sive appellando ad judicem superiorem (*can.* 1899, § 1).

---

(1) Hispane *tercería;* quae vox dicitur tum de oppositione vel actione quam tertia persona deducit, tum de judicio quod vi hujus oppositionis consequitur; quod qui promovet *tertius oppositor* appellatur. Cfr. super hoc Lex *de Enjuiciamiento civil, art.* 488, 739, 1532-1543.

815. — In utroque casu oppositor **probare debet** jus suum revera esse laesum aut probabiliter laesum iri (*Ibid.*, § 2).

816.—**Laesio autem juris oriri debet ex ipsa sententia**, quatenus aut ipsa sit causa laesionis, aut, si exsecutioni mandetur, oppositorem gravi praejudicio sit affectura (*Ibid.*, § 3); (v. gr., si constituta est sequestratio bonorum rei pro actore, cum tertii oppositoris jus in ea bona sit praeferendum). Si neutrum probabitur, judex, non obstante tertii oppositione, sententiae exsecutionem decernet (*Ibid.*, § 4).

817. **Processus.** — Admissa instantia, si tertius oppositor agere velit: *a*) in gradu appellationis, tenetur legibus pro appellatione statutis; *b*) si coram ipso judice qui sententiam tulit, regulae servandae sunt pro causis incidentibus datae (*can.* 1900).

Effectus sententiae faventis. — Causa ab oppositore victa, sententia antea lata mutanda est a judice, secundum oppositoris instantiam (*can.* 1901).

TITULUS XV

De re judicata et de restitutione in integrum

818. **Notio.** — Dicitur *res judicata* controversia in judicio disceptata et definita per sententiam quae litem penitus dirimat, vel ex consentione partium, vel quia sententia nullum admittit recursum.

819. **Firmae sententiae.** — Sententiae firmae sunt, seu in rem judicatam transeunt: 1.° si duplex est sententia conformis; 2.° sententia intra utile tempus non appellata, aut quae, licet appellata coram judice *a quo*, deserta est coram judice *ad quem;* 3.° sententia definitiva unica, a qua non datur appellatio ad normam can. 1880 (*can.* 1902). Cfr. *n.* 801.

820. **Quae sententiae nunquam transeant in rem judicatam.** — I. Sententiae de *statu personarum* (validitate aut nullitate matrimonii, ordinationis, religiosae professionis) (*can.* 1903).

II. Attamen ex duplici sententia conformi in his causis consequitur, ut ulterior propositio non debeat admitti, nisi *novis* prolatis *iisdemque gravibus* argumentis vel documentis (*Ibid.*).

821. **Robur rei judicatae.** — Res judicata praesumptione *juris et de jure* habetur vera et justa, et idcirco impugnari directe non potest. Facit jus inter partes et dat exceptionem ad impediendam novam ejusdem causae introductionem (*can.* 1904).

822. **Restitutio in integrum.** — Adversus sententiam contra

quam non suppetat *ordinarium* remedium appellationis aut querelae nullitatis, datur remedium *extraordinarium* restitutionis *in integrum* intra fines can. 1687, 1688 (vide *nn.* 622, 623), dummodo de evidenti injustitia rei judicatae manifesto constet (*can.* 1905, § 1).

De injustitia autem manifesto constare non censetur, nisi: 1.° sententia documentis innitatur, quae postea sint falsa deprehensa; 2.° aut postea detecta sint documenta, quae facta nova et contrariam decisionem exigentia peremptorie probent; 3.° vel sententia ex dolo partis prolata sit in damnum alterius; 4.° vel legis praescriptum evidenter neglectum sit (*Ibid.*, § 2).

823. **Quis competens ad eam concedendam.** — Ad restitutionem in integrum concedendam competens est judex qui sententiam tulit. Excipitur cum ea petitur ex neglecto a judice praescripto legis; quo in casu eam concedit tribunal appellationis (*can.* 1906).

824. **Effectus.** — 1.° Petitio restitutionis *in integrum* sententiae exsecutionem nondum inceptam suspendit (*can.* 1907, § 1).

2.° Si tamen suspicio sit ex probabilibus indiciis petitionem factam esse ad moras exsecutioni nectendas, judex decernere potest ut sententia exsecutioni demandetur, assignata tamen restitutionem petenti idonea cautione ut, si restituatur in integrum, indemnis fiat (*Ibid.*, § 2).

TITULUS XVI

De expensis judicialibus et gratuito patrocinio

CAPUT I

DE EXPENSIS JUDICIALIBUS

825. **Expensae.** — I. *Expensae judiciales* vocantur honorariorum solutio, sigillorum et jurium taxarum ex actibus judicialibus provenientium.

II. In causis contentiosis possunt partes adigi ad aliquid solvendum titulo expensarum judicialium, nisi ab hoc onere eximantur ad normam can. 1914-1916 (*can.* 1908).

Consentaneum est, ut litigantes expensas solvant, cum justitia pro illis eorumque causa praecipue administretur.

826. **Cui competit taxas judiciales statuere.** — 1.° Sancta Se-

des taxas judiciales pro suis tribunalibus jam habet praefinitas. Pro tribunalibus quae sunt extra Romam, Concilii provincialis vel conventus Episcoporum est eas pro suis provinciis (vel regionibus) statuere (*can.* 1909, § 1).

2.° In his taxarum regulis definiendum est quae sit retributio pro advocatorum et procuratorum opera a partibus solvenda; quae mercedis mensura pro versionibus et transcriptionibus; pro his examinandis et fide facienda de earum fidelitate; itemque pro exscribendis ex archivo documentis (*Ibid.*).

827. **Cautio.** — Potest autem judex pro suo prudenti arbitrio exigere ut pecunia pro judicialibus expensis, pro indemnitate testium, pro honorariis peritorum debita, a parte quae petit, vel, si judex ex officio agat, ab actore, antea deponatur penes tribunalis cancellariam, aut saltem congrua cautio praestetur pecuniam deinde solutum iri (*Ibid.*, § 2).

828. **Expensas qui solvere debeat.** — In Codice valet fere hoc principium, expensas esse quasi poenam adversus temerarium litigantem, praesumiturque causam legitimam ad litigandum victo defuisse; quare hic expensas debet solvere, cum ejus sit vel culpae vel errori litigium imputandum. Sed haec *praesumptio* probationibus contrariis potest dissolvi; unde causae oriuntur quibus illud principium circumscribitur.

829. — I. Victus victori judiciales expensas regulariter reficere tenetur tum in causa principali tum in incidenti (*can.* 1910, § 1).

II. Si actor vel reus temere litigaverit, etiam ad damnorum refectionem damnari debet (*Ibid.*, § 2).

III. Sed potest judex pro suo prudenti arbitrio ex toto vel ex parte inter litigantes expensas compensare: *a*) si actor vel reus partialiter tantum succubuit; *b*) si lis agitata est inter consanguineos vel affines, aut de quaestione valde ardua actum est; *c*) quacumque alia justa et gravi de causa (*can.* 1911).

IV. Id si fecerit, debet exprimere in ipso sententiae tenore (*Ibid.*).

V. Si plures sunt in causa qui condemnationem ad expensas mereantur, judex eos damnare debet *a*) *in solidum*, si agitur de obligatione *solidali; b*) aliter pro rata (*can.* 1912).

830. **Appellatio.** — I. Adversus sententiam circa expensas non datur distincta appellatio; sed pars quae se gravatam putat, oppositionem intra *decem dies* facere potest coram eodem judice; qui de hac re cognoscere denuo poterit, et taxationem emendare aut moderari (*can.* 1913, § 1).

II. Appellatio a sententia circa causam principalem secum fert appellationem a pronuntiatione circa expensas (*Ibid.*, § 2).

CAPUT II

DE GRATUITO PATROCINIO, AUT EXPENSARUM JUDICIALIUM DEMINUTIONE

831.—Pauperes, si in totum impares sint expensis judicialibus sustinendis, jus habent ad gratuitum patrocinium; si ex parte tantum, ad expensarum deminutionem (*can.* 1914).

832. —I. Qui exemptionem ab expensis vel earum deminutionem assequi vult, eam a judice postulare debet, dato supplici libello, allatisque documentis quibus quae conditio sit postulantis quaeve ejus rei familiaris copia demonstret; praeterea probare debet se non futilem neque temerariam causam agere (*can.* 1915, § 1).

II. Ut judex postulationem admittere vel rejicere possit, debet: 1.° requirere, si opus est, notitias etiam secretas, quibus statum rei familiaris postulantis compertum habere possit; 2.° justitiae promotorem audire. Immo concessum beneficium gratuitum sive paupertatis potest revocare, si in decursu processus fictam esse paupertatem compererit (*Ibid.*, § 2.)

III. Ad gratuitum pauperum patrocinium judex in singulis causis eligere debet aliquem ex advocatis in suo foro approbatum; qui ab hoc munere explendo, nisi ex causa judici probata, sese subducere nequit; secus a judice congrua poena, etiam suspensionis ab officio, plecti potest (*can.* 1916, § 1).

IV. Deficientibus advocatis, judex Ordinarium loci rogabit ut aliam idoneam personam, si opus sit, designet ad pauperis patrocinium suscipiendum (*Ibid.*, § 2).

TITULUS XVII

De exsecutione sententiae

833. —I. Sententia firma, seu quae transiit in rem judicatam, exsecutioni mandari potest (*can.* 1917, § 1). Generatim haec sola potest.

II. Judex tamen potest sententiae, quae nondum transiit in rem judicatam, **provisoriam exsecutionem** jubere: 1.° Si agitur de *provisionibus* seu praestationibus ad necessariam sustentationem

ordinatis; 2.° si alia gravis urget necessitas, ita tamen ut, concessa provisoria exsecutione, per cautiones, fideijussiones aut pignora satis consultum sit indemnitati alterius partis casu quo exsecutio revocanda sit (*Ibid.*, § 2).

834. **Exsecutionis decretum.** — I. Exsecutioni sententiae locus esse non potest antequam exsecutorium judicis decretum habeatur, quo scil. edicatur sententiam exsecutioni esse mandandam. Quod decretum pro diversa causarum natura vel in ipso sententiae tenore includendum est (v. c., cum sententia talis est, ut adversus eam nullus detur recursus neque ordinarius neque extraordinarius), vel separatim edendum (ut si locus erat appellationi contra sententiam, quae tamen, partibus consentientibus, in rem judicatam transiit) (*can.* 1918).

II. Si sententiae exsecutio praeviam *rationum redditionem* exigit, **causa incidens** habetur, ab illo ipso judice, servatis de jure servandis, decidenda, qui tulit sententiam exsecutioni mandandam (*can.* 1919).

835. **A quibus sententia exsecutioni mandanda.** — I. Sententiam exsecutioni mandare debet per se, vel per alium, *Ordinarius loci in quo sententia primi gradus lata est* (*can.* 1920, § 1).

II. Quod si hic facere renuit vel negligit, parte cujus interest instante vel etiam ex officio, exsecutio spectat *ad judicem appellationis* (*Ibid.*, § 2).

III. Inter **religiosos** exsecutio sententiae spectat ad Superiorem qui definitivam sententiam tulit aut judicem delegavit (*Ibid.*, § 3).

836. **Officia exsecutoris.** — I. Exsecutor, nisi quid ejus arbitrio in ipso sententiae tenore erit permissum, debet sententiam ipsam secundum obvium verborum sensum exsecutioni mandare (*can.* 1921, § 1).

II. Licet ei videre de exceptionibus circa modum et vim exsecutionis, non autem de merito causae (*Ibid.*, § 2).

III. Quod si habet aliunde compertum sententiam esse manifeste injustam, debet abstinere ab exsecutione, et partem ad eum qui exsecutionem commissit, remittere (*Ibid.*).

837. **Tempus exsecutionis.** — I. Quod attinet ad *reales actiones*, adjudicata actori re aliqua (vide *n.* 600, *a.*), haec actori tradenda est statim ac res firma seu judicata habetur (*can.* 1922, § 1).

II. Quod vero attinet ad *actiones personales* (*n.* 600, *b*), *a*) cum reus damnatus est ad rem mobilem praestandam, vel ad solvendam pecuniam, vel ad aliud dandum aut faciendum, *quadrimestre* conceditur pro implenda obligatione (*Ibid.*, § 2). *b*) Judex potest terminum praescriptum vel reducere vel protrahere, ita tamen ut neque infra *bimestre* coarctetur, neque *semestre* excedat (*Ibid.*, § 3).

838. **Exsecutionis modus.** — I. In exsecutione peragenda exsecutor cavere debet ut quam minimum damnato noceatur. Igitur si sequestrum faciendum est, exsecutionem incipere debet a distrahendis rebus quae minus ei necessariae sunt, salvis semper quae ejus victui vel industriae deserviunt. Si agitur de clerico, semper ei relinquenda sunt necessaria ad hone-

stam sustentationem ex *beneficio competentiae* ad normam can. 122 (*can.* 1923, § 1), de quo in *vol.* 1, *nn.* 273, 274.

II. Ad exsecutionem privationis beneficii judex nequit procedere contra clericum qui Sanctam Sedem adierit; sed si agitur de beneficio, cui adnexa sit animarum cura, Ordinarius providebit per designationem vicarii substituti (*Ibid.,* § 2). Cfr. *vol.* 1, *n.* 769.

III. Si condemnatus sententiam exsequi reluctatur, debet exsecutor prius monitis et praeceptis uti; ad poenas autem spirituales et ad ipsas censuras devenire poterit, verum ex necessitate solum et gradatim (*can.* 1924).

SECTIO II

DE PECULIARIBUS NORMIS IN CERTIS QUIBUSDAM JUDICIIS SERVANDIS

839. **Methodi ratio.** — Cum sectio prima sit totius libri IV capitalior, multo fusius quam in Institutionibus solet eam pertractavimus.

In hac vero secunda ne limites ab initio propositos neque Institutionum proprios transgrediamur, tantum ob earum peculiarem characterem agemus de causis matrimonialibus iisque quae ad Sacram Ordinationem referuntur, proposito prius judicii críminalis compendio, quia hoc judicium est cum materia libri V valde connexum.

TITULUS XIX

De judicio criminali

840.—**Cadunt sub criminali judicio** solum delicta publica, iis exceptis quae canonibus 2168-2194 subjiciuntur (*can.* 1933, §§ 1, 2). In delictis *mixti* fori regulariter non est procedendum cum reus laicus est, et civilis magistratus in reum satis animadvertit (*Ibid.*, § 3); vitanda enim est ob unum delictum duplex punitio.

N. B. Poenitentia (canonica), remedium poenale, excommunicatio, suspensio, interdictum (cfr. *lib.* V), dummodo delictum *certum* sit, infligi possunt etiam per modum *praecepti extra judicium* (*Ibid.*, § 4).

841.—**Accusatio** *criminalis* uni promotori justitiae reservatur. **Denuntiatio** potest, immo debet aliquando, a fidelibus fieri sive scriptis subsignatis, sive ore tenus seu viva voce coram Ordinario, cancellario, vicario foraneo aut parocho (*can.* 1935, 1936).

Inquisitio. — I. Si delictum *nec notorium* est *nec* omnino *certum*, sed innotuit sive ex rumore et publica fama, sive ex denuntiatione, etc., antequam quis citetur ad respondendum de delicto

inquisitio specialis est praemittenda, ut constet quo fundamento innitatur imputatio (*can.* 1939, § 1).

Huic regulae locus est, sive agitur de irroganda poena *vindicativa* vel *censura*, sive de ferenda sententia declaratoria poenae vel censurae in quam quis inciderit (*Ibid.*, § 2), earum scilicet quae dicuntur *latae sententiae*. Vide *n.* 789, 3.°, et inferius, *nn.* 968, 993-997.

II. Inquisitio *a*) fieri potest ab Ordinario; satius tamen est, ut alius in singulis causis designetur; *b*) secreta esse debet, ne bonum cujusquam nomen in discrimen vocetur (*can.* 1943).

III. Si ex inquisitione apparet denuntiationem, etc., solido fundamento esse destitutam, aut solum indicia criminis habentur, sed nondum sufficientia, utrumque declarandum est in actis quae in secreto Curiae archivo reponenda sunt; et in secundo casu invigilandum est moribus imputati, qui pro prudenti Ordinarii judicio erit audiendus, et si res ferat, monendus ad normam can. 2307 (*can.* 1946).

IV. Si argumenta sufficientia praesto sunt, citandus reus est, et ad ulteriora procedendum (*Ibid.*).

842. **Correptio judicialis.** — I. Si reus interrogatus delictum confitetur, loco criminalis judicii, utendum est *correptione* judiciali, si eidem locus erit (*can.* 1947). Vide infra *n.* 1077, *seq.*

II. Correptio judicialis locum non habet: 1.° In delictis quae poenam secum ferunt excommunicationis *specialissimo* vel *speciali modo* Sede Apostolicae reservatae, aut privationis beneficii, infamiae, depositionis aut degradationis (vide infra *nn.* 998, 1058, 1064 *seq.*, 1069, 1074); sed tunc hae poenae sunt applicandae; 2.° quando agitur de ferenda sententia *declaratoria* poenae vindicativae vel censurae in quam quis inciderit; 3.° quando correptio non sufficit reparationi scandali et restitutioni justitiae (*can.* 1948).

III. Potest correptio adhiberi non solum antequam gradus fiat ad formale judicium, sed etiam eo incepto ante conclusionem in causa. Ac tunc quidem judicium suspenditur, nisi tamen prosequendum idcirco sit quia correptio in irritum cesserit (*can.* 1950).

IV. Correptioni locus esse potest semel et iterum, non autem tertio contra eundem reum. Quare si post alteram correptionem reus idem delictum commiserit, criminale judicium instrui debet (*can.* 1949).

V. Correptio judicialis, praeter monita salutaria, debet plerumque conjuncta habere quaedam opportuna remedia, aut *poenitentiarum* vel piorum operum praescriptionem, quae valeant ad publicam reparationem laesae justitiae aut scandali; sint tamen mitiora et leviora iis, quae in criminali judicio per sententiam condemnatoriam ipsi infligi possent et deberent (*can.* 1952). Correptio censetur inutiliter adhibita, si reus remedia, poenitentias et pia opera sibi praescripta non acceptat aut acceptata non exsequitur (*can.* 1953).

843. **Instructio processus.** —I. Si correptio judicialis vel insufficiens est ad reparationem scandali et restitutionem justitiae, vel adhiberi nequit quia reus delictum denegat, vel inutiliter adhibita est, Episcopus, aut officialis de ejus speciali mandato, praecipere debet ut promotor justitiae accusationem ad judicem deferat (*can.* 1954, 1955), ut contra reum criminaliter procedatur.

II. In *delictis gravioribus*, *a*) si Ordinarius censet cum fidelium offensione imputatum ministrare sacris aut officio aliquo spirituali ecclesiastico vel pio fungi aut ad sacram Synaxim publice accedere, potest, audito promotore justitiae, eum a sacro ministerio, ab illorum officiorum exercitio, vel etiam a publica sacrae Synaxis participatione prohibere (*can.* 1956).

b) Si timetur ne accusatus justitiae cursum impedire possit, (v. c., testibus metum incutiendo eosve subornando sive corrumpendo) judex potest (audito promotore justitiae), mandare ut ille ad tempus oppidum aut paroeciam deserat, vel etiam ut secedat in praefinitum locum, ibique sub peculiari vigilantia maneat (*can.* 1957).

Decreta de quibus in *a*) et *b*) solum ferri possunt post reum citatum et comparentem vel contumacem, sive postea in decursu processus. Contra eadem non datur juris remedium seu ullus recursus (*can.* 1958).

N. B. In reliquis servandae sunt regulae in sectione prima hujus IV libri traditae, et in inflictione poenarum sanctiones in libro quinto statutae (*can.* 1959).

TITULUS XX

De causis matrimonialibus

CAPUT I

DE FORO COMPETENTI

844. — I. Causae matrimoniales inter baptizatos jure proprio et exclusivo ad judicem ecclesiasticum spectant (*can.* 1960). Ratio haec est, quia, ut est in canone 1012, Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos, quos inter non potest esse matrimonium sine sacramento. Jam vero potestatem in sacramenta sola Ecclesia habet.

II. Causae de effectibus matrimonii mere civilibus, si princi-

paliter aguntur, pertinent ad civilem magistratum ad normam can. 1016 (1); sed si incidenter et accessorie, possunt etiam a judice ecclesiastico ex propria potestate cognosci ac definiri (*can.* 1961).

III. *a*) Causas matrimoniales ad eos spectantes qui tenent supremum populorum principatum horumque filiorum ac filiarum eorumque quibus jus est proxime succedendi in principatum, illa Sacra Congregatio vel illud Tribunal aut specialis ea Commissio exclusive cognoscit, cui eas toties quoties Summus Pontifex delegavit; *b*) causas dispensationis super matrimonio rato et non consummato, Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum; *c*) causas vero quae referuntur ad privilegium Paulinum, Sacra Congregatio S. Officii (*can.* 1962). Cfr. *vol.* 1, *n.* 492. *d*) Quare nullus judex inferior potest processum in causis dispensationis super *rato* et *non consummato* instruere, nisi Sedes Apostolica facultatem eidem fecerit (*can.* 1963, § 1).

Causae super matrimonio *rato*, i. e., valide celebrato, sed nondum consummato, in eo fundamentum habent quod hoc matrimonium privilegio divino potest a Sede Apostolica dissolvi (*can.* 1119). At matrimonium validum jam consummatum est omnino indissolubile, neque a Summo Pontifice neque ab alia humana potestate potest in illo dispensari (*can.* 1118). Matrimonium consummatur, cum primum, matrimonio jam rato, conjuges actum exercent ad generationem necessarium.

e) Sed poterit evenire, ut inferiore judice competenti judicium peragente de nullitate matrimonii ex capite impotentiae emergat ex actis non impotentia, sed inconsummatio matrimonii. In hoc casu omnia acta ad S. Sacramentorum Congregationem sunt transmittenda, quae iis uti poterit ad sententiam super rato et non consummato ferendam (*can.* 1963, § 2).

845. — **Impotentia** matrimonii celebrationem *praecedens* et *perpetua* (sive *absoluta*, sive *relativa*) secum fert nullitatem, quia deest objectum principale contractus matrimonii, i. e., mutuum dominium, quod attinet ad actus suapte natura aptos ad generationem. Cum hi actus exerceri nequeunt, vel cum vir non potest elementa generandi aut efficere aut emittere, etc., impotentia est.

In aliis causis matrimonialibus, scil. iis quae non spectant ad eos qui supremum imperium tenent, etc., item in diversis a causis matrimonii rati et non consummati et ab iis quae ad privilegium Paulinum referuntur, judex competens est judex loci in quo matrimonium celebratum est aut in quo pars conventa vel, si una est

---

(1) Hic canon sic se habet: Baptizatorum matrimonium regitur jure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles ejusdem matrimonii effectus.

acatholica, pars catholica domicilium vel quasi-domicilium habet (*can.* 1964). De domicilio, etc., cfr. *vol.* 1, *n.* 161.

846. **Consensus.** — Si matrimonium accusatur *a*) *ex defectu consensus*, debet ante omnia judex curare ut monitionibus opportunis partem, cujus consensus deesse affirmatur, ad consensum renovandum inducat; *b*) si *ex defectu formae substantialis* (1) vel ex impedimento dirimenti quod dispensari potest et solet, partes inducere studeat ad consensum in forma legitima renovandum vel ad dispensationem petendam (*can.* 1965).

Cum matrimonium contractu nitatur, vel cum sit ipse contractus ad sacramentum elevatus, omnis autem contractus mutuum consensum contrahentium supponat; si deest consensus alteriusutrius vel utriusque contrahentium, matrimonium essentialiter nullum est (*can.* 1081).

CAPUT II

DE TRIBUNALI CONSTITUENDO

847. — I. Tribunal tres judices constituunt, ut est dictum in can. 1576, § 1, 1.° (vide *n.* 542); sed judex *instructor* in inquisitione pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato unicus debet esse (*can.* 1966).

II. Citari debet *defensor vinculi matrimonialis* sive agitur de nullitate matrimonii, sive de probanda inconsummatione et causis ad dispensandum super rato (*can.* 1967). Super vinculi defensore vide *can.* 1586 et *n.* 549.

848. **Defensoris vinculi munus.** — Defensor vinculi debet: 1.° *a*) examini partium, testium et peritorum adesse; *b*) exhibere judici interrogatoria clausa et obsignata, in actu examinis a judice aperienda, et partibus aut testibus proponenda; *c*) novas interrogationes, ab examine emergentes, judici suggerere. 2.° *a*) Articulos a partibus propositos perpendere, eisque, quatenus opus sit, contradicere; *b*) documenta a partibus exhibita recognoscere. 3.° Animadversiones contra matrimonii nullitatem ac probationes pro validitate aut pro consummatione matrimonii scribere et allegare, eaque omnia deducere, quae ad ejus validitatem tuendam utilia censuerit (*can.* 1968).

---

(1) Forma substantialis consistit in celebratione peracta coram parocho vel Ordinario loci in quo matrimonium contrahitur, (vel coram sacerdote ab alterutro delegato), et duobus saltem testibus (*can.* 1094). In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus, si tempus deest ut celebretur coram parocho, Ordinario aut sacerdote delegato; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam (*can.* 1098, 1.°).

849. **Jura.** — 1.° Semper et quolibet causae momento potest acta processus, etsi nondum publicati, invisere; novos terminos ad scripta perficienda flagitare, prudenti judicis arbitrio prorogandos. 2.° De omnibus probationibus vel allegationibus ita certior fieri debet, ut contradicendi facultate uti possit. 3.° Petere potest ut alii testes inducantur, vel iidem iterum examini subjiciantur, processu etiam absoluto vel publicato, novasque animadversiones edere. 4.° Exigere ut alia acta, quae ipse suggesserit, conficiantur, nisi tribunal *unanimi suffragio* dissentiat (*can.* 1969). Non igitur sufficit denegatio a plerisque facta, sed unius solius judicis ad hanc denegationem oppositio pro defensoris vinculi petitione satis est ut tribunal nova acta debeat conscribere.

CAPUT III

DE JURE DENUNTIANDI MATRIMONIUM ET POSTULANDI DISPENSATIONEM SUPER RATO

850. — I. Tribunal collegiale nullam causam matrimonialem cognoscere vel definire potest, nisi regularis accusatio vel jure facta petitio praecesserit (*can.* 1970).

II. Habiles ad accusandum matrimonium sunt tantummodo: 1.° Conjuges in omnibus causis separationis et nullitatis, nisi ipsi fuerint impedimenti causa.

2.° Promotor justitiae in impedimentis natura sua publicis.

3.° Reliqui omnes, etsi consanguinei, non habent jus matrimonia accusandi, sed tantummodo nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori justitiae denuntiandi (*can.* 1971).

III. Matrimonium quod, *utroque conjuge* vivente, non erit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque conjugis ita praesumetur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi incidenter oriatur quaestio (*can.* 1972). Est praesumptio *juris et de jure.* Cfr. *nn.* 749-751.

IV. Soli conjuges jus habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato (*can.* 1973).

CAPUT IV

DE PROBATIONIBUS

ARTICULUS I

DE TESTIBUS

851. — I. Consanguinei et affines qui ad normam can. 1757, § 3, 3.°, excluduntur, habentur testes habiles in causis suorum propinquorum (*can.* 1974). Vide *n.* 696, III. Solent enim magis has causas cognoscere, ut in ipsis possint declarare.

II. In causis *impotentiae* vel *inconsummationis*, nisi de impotentia vel inconsummatione aliunde certo constet, debet uterque conjux testes, qui *septimae manus* vocantur, inducere sanguine aut affinitate sibi conjunctos; sin minus vicinos bonae famae aut alioquin de re edoctos, qui *jurare* possint de ipsorum conjugum probitate et praesertim de veracitate circa rem in controversiam deductam; quibus judex ad normam can. 1759, § 3, alios testes potest ex officio adjungere (*can.* 1975, § 1) Vide *n.* 698, 3.°

III. Testimonium septimae manus est argumentum *credibilitatis* quod robur addit depositionibus conjugum; sed per se vim *plenae probationis non* obtinet, nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur (*Ibid.*, § 2). Quod vi plenae probationis hoc testimonium non polleat, tribuendum est periculo ne, cum testes sint consanguinei, amici, etc., amore aut odio moveantur.

ARTICULUS II

DE INSPECTIONE CORPORALI

852. — I. In causis impotentiae aut inconsummationis requiritur inspectio corporis utriusque vel alterutrius conjugis per peritos facienda (1), nisi ex adjunctis inutilis evidenter appareat (*can.* 1976); ut esset in causa inconsummationis inspectio viduae cum filiis; aut si matrimonium per procuratorem est contractum, conjuges autem nunquam post illud celebratum cohabitarunt, etc.

---

(1) In causis inconsummationis inspicitur solum femina, in impotentiae *absolutae* solum is qui accusatur impotentiae, in *relativae* uterque.

II. In peritis eligendis, praeter normas in can. 1792-1805 datas (vide *n.* 724 *seq.*), servanda sunt praescripta canonum qui sequuntur (*can.* 1977).

III. Ad periti munus non sunt admittendi qui conjuges privatim inspexerint circa factum cui innititur petitio declarationis nullitatis vel inconsummationis; licet tamen hos tanquam testes inducere (*can.* 1978).

IV. *a*) Ad inspiciendum virum, duo periti *medici* ex officio deputari debent (*can.* 1979, § 1).

b) Ad mulierem vero inspiciendam duae obstetrices, quae legitimum peritiae testimonium habeant, ex officio designandae sunt. Poterit tamen mulier non ab his, sed a duobus medicis ex officio pariter designandis inspici: 1.°, si id ipsa maluerit; 2.°, si id Ordinarius necessarium duxerit, v. gr., ob majorem medicorum in casu difficiliore aptitudinem (*Ibid.*, § 2).

853. **Modestia et circumspectio.** — Corporalis mulieris inspectio fieri debet, *a*) servatis plene christianae modestiae regulis, *b*) et adstante semper honesta matrona ex officio designanda (*Ibid.*, § 3) (1).

854. **Inspectio seorsum exsequenda et relatio singularis.** — I. *a*) Mulieris inspectionem obstetrices vel periti, seorsum singuli, exsequi debent; *b*) singuli singulas relationes debent conficere, intra terminum a judice praefinitum tradendas (*can.* 1980, § 1, 2).

II. Potest judex relationes ab obstetricibus confectas examini alicujus periti medici subjicere, si id opportunum existimaverit (*Ibid.*, § 3).

855. **Relationis examen judiciale.** — Peracta relatione, periti, obstetrices ac matrona, seorsum singuli, a judice interrogandi sunt secundum articulos a vinculi defensore antea concinnatos quibus ipsi, praestito juramento, respondeant (*can.* 1981).

856. **Causae amentia innixae.** — Etiam in causis defectus consensus *ob amentiam* (2), requirendum est suffragium peritorum, qui infirmum, si casus ferat, ejusve acta quae amentiae suspicionem ingerunt, examinare debent secundum artis praecepta; insuper uti testes audiendi sunt periti qui infirmum antea visitaverint (*can.* 1982).

---

(1) De causis impotentiae et inconsummationis deque ratione inspectionis corporalis faciendae v. *Antonelli,* Medicina pastoralis, *vol.* 3 (Romae 1909).

(2) Hoc est, si contrahens in ipso contractu sive tempore contrahendi erat mente captus; amentia enim quae contractum matrimonium subsequitur, hoc non dissolvit.

CAPUT V

DE PUBLICATIONE PROCESSUS

857. — I. Publicato processu, jus adhuc est partibus novos testes, ad normam tamen can. 1786 (cfr. *n*. 717), super diversis articulis inducere (*can*. 1983, § 1).

II. Si vero testes jam excussi super iisdem articulis antea propositis denuo audiendi sunt, servandum est praescriptum can. 1781 (vide *n*. 714), integro jure *defensoris vinculi* opportunas proponendi exceptiones (*Ibid*., § 2).

858. **Jus peculiare defensoris vinculi.** — *a*) Defensor vinculi jus habet ut in allegando, petendo et respondendo tam in scriptis quam in defensione orali, *audiatur postremus*. *b*) Quare tribunal ad definitivam sententiam devenire non potest, nisi prius vinculi defensor interrogatus declaraverit sibi nihil deducendum vel inquirendum superesse. *c*) Si vero ante praefinitum a judice judicii diem defensor nihil deduxerit, praesumitur eum nihil jam deducendum habere (*can*. 1984).

859. **Judex instructor et causae inconsummationis.** — In causis quae spectant ad *dispensationem* matrimonii *rati et non consummati*, judex instructor neque *a*) ad *publicationem* processus neque *b*) ad *sententiam* super ipsa inconsummatione et causis ad dispensandum devenire potest, *c*) sed omnia acta una cum voto scripto Episcopi et defensoris vinculi transmittere ad Sedem Apostolicam debet (*can*. 1985) (1).

CAPUT VI

DE APPELLATIONIBUS

860. **Appellatio necessaria.** — A *prima* sententia, quae matrimonii *nullitatem* declaraverit, vinculi defensor intra legitimum tempus ad superius tribunal provocare debet, et si negligat officium suum implere, compellendus est auctoritate judicis (*can*. 1986). Interea conjuges novum matrimonium contrahere nequeunt.

---

(1) Optandum est ut ad judices instructores instructiones fusiores et idoneae seu adaequatae pro his casibus mittantur.

861. **Appellatio ad arbitrium.** — Post *secundam* sententiam quae matrimonii nullitatem confirmaverit, defensor vinculi in gradu appellationis pro sua conscientia videbit utrum sit appellandum, necne. Si non crediderit esse provocandum, jus est conjugibus, *decem diebus* a sententiae denuntiatione *elapsis*, novas nuptias contrahendi (*can.* 1987).

Notandum est, si conjuges ante hos decem dies, immo ante secundam (aut etiam ante primam) sententiam novas nuptias contraherent, hoc secundum matrimonium fore semper illicitum; esset tamen validum, si prius nullum fuisset.

862. **Sententia nullitatis in libris paroeciae adnotanda.** — Decreta matrimonii nullitate, Ordinarius loci curare debet, ut de ea mentio fiat in baptismorum et matrimoniorum regestis, ubi matrimonii celebratio consignata invenitur (*can.* 1988). Vide *can.* 470, et *vol.* 1, *n.* 765.

863. **Ejusdem causae nova propositio**. — Cum sententiae in causis matrimonialibus nunquam transeant in rem judicatam, causae ipsae, si nova et gravia argumenta praesto erunt, retractari semper poterunt, firmo praescripto can. 1903 (*can.* 1989). Vide *n.* 820.

Ratio est, quia matrimonium validum et consummatum nulla hominum auctoritate (ut *n.* 842 dictum est), dissolvi potest; unde si quoquo modo ejus validitas apparet, quaecumque est sententia tribunalis, conjuges vinculo adstringuntur (1).

---

(1) De impedimento vinculi alii solent casus occurrere, qui generatim disciplinaliter expediuntur, scil. cum conjux petit ad ulteriores nuptias transire, sed non potest *mors* alterius conjugis absoluta certitudine probari. Cum certo constat de conjugis morte, ut quia ejus defunctio in paroeciae regestis est authentice inscripta, ipse parochus solet expediens componere quo procedi ad secundas nuptias possit.

At cum authentica documenta desunt, communiter recurrendum est ad Ordinarium, qui conficiet processum, necessariosque testes examini subjiciet, etc. Quod si his perquisitionibus perfecta absolutaque certitudine certior fit de alterius conjugis morte, superstiti facultatem tribuet ut novum matrimonium possit contrahere.

Sed vero potest frequenter evenire, ut ex diligentissima et multiplici indagatione non oriatur absoluta certitudo, sed tantum cumulus indiciorum magis minusve fide dignorum, praesumptiones sive conjecturae magis minusve vehementes; tunc autem adjuncta omnia prudenter sollerterque sunt inquirenda, ne alterutrum horum periculorum subeatur: aut conjugem superstitem jure sacro privandi quo forte gaudet ad novas nuptias transeundi, occasione forsan ei data aeternae damnationis (si, v. c., vivit in concubinatu), aut unitatis matrimonii violandae ob quam, conjuge vivo, nequit conjux novum matrimonium valide contrahere. Quod postremum valde pertimescendum est, cum pluribus fraudibus uti facile sit iis qui novarum nuptiarum cupiditate ducuntur, quod haud difficulter ad remotissimas regiones conferre se possint, ex quibus saepe est difficillimum eorum cognitionem acquirere.

Quia hos casus omnes ad Sacram Congregationem deferre, esset iis quorum interest valde onerosum propter diuturnum tempus exspectandum, possunt Ordinarii per se ipsi processus instruere (ad normas Instructionis S. Officii, anni 1868 quae videri potest in *Actis A. Sedis, vol.* 2, *pag.* 199) et pro sua conscientia ferre sententiam, matrimonium permittendo, cum si non absolutam, at minus *moralem certitudinem* mortis alterius conjugis acquisierunt. In dubio autem causa ad S. Congregationem est mittenda, ut de ea sententia feratur.

Sunt igitur casus, ubi omnis probatio conjecturis innititur, praesumptionibus, indiciis

CAPUT VII

DE CASIBUS EXCEPTIS A REGULIS HUC USQUE TRADITIS

864. — Quemadmodum nuper vidimus (*n.* 862), ut conjuges ad secundas nuptias transire possint, opus est duabus sententiis nullitatis conformibus. At per exceptionem, cum *ex certo et authentico* documento, quod nulli *contradictioni* vel *exceptioni* obnoxium sit, constiterit de exsistentia impedimenti disparitatis cultus, ordinis, voti solemnis castitatis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis aut cognationis spiritualis (1), simulque pari certitudine apparuerit dispensationem super his impedimentis datam non esse, hisce in casibus, praetermissis solemnitatibus huc usque recensitis, poterit Ordinarius, citatis partibus, matrimonii nullitatem declarare, cum

---

et cujusvis generis adjunctis in quibus diligens et sagacissima inquisitio est adhibenda, ita ut iis quam maximo numero conglobatis eorumque natura ad trutinam revocata, possit vir prudens ex eorundem majore vel minore gravitate, majore vel minore connexione cum morte consilium capere affirmandi conjugis mortem esse maxime probabilem *certamve moraliter*.

Definire autem in singulis casibus quando probatio sufficiens erit, prudenti judicis arbitrio relinquendum est. Cum igitur de re humana agatur, in qua non semper absoluta certitudo potest obtineri, sufficit moralis.

Sed quocumque modo haec se habuerint, si, novo matrimonio contracto, apparuerit conjugem qui mortuus habebatur in vivis esse, matrimonium re quidem vera *nullum* erit non obstante Ordinarii aut S. Sedis facultate; cum enim impedimentum exstet vinculi superioris matrimonii *non dispensabile* (juris enim divini est), fieri non potest, ut subsequens, etiam bona fide celebratum, validum sit.

Cfr. de hac re *Ferreres* in *Razón y Fe, vol.* 49, *pag.* 106 *seq.*, 369 *seq.*, 506 *seq.*

(1) Impedimenta dirimentia fere sunt eadem numero quae antea, sed variae sunt mutationes (Cfr. *Ferreres,* Comp. Th. mor., *vol.* 2, *nn.* 990-1053) inductae a Codice, qui impedimentum *consanguinitatis* in linea *collaterali* restrinxit usque ad *tertium gradum* tantummodo, et impedimentum *affinitatis* solum usque ad gradum *secundum,* cujus praeterea notionem immutavit, ut videre est in *vol.* 1, *nn.* 213, 214, impedimentumque affinitatis illicitae expunxit. Cfr. ibidem, *nn.* 209-212, id quod de *consanguinitate* dicitur. *Aetatis* impedimentum nunc est in viris usque ad *sedecim* annos expletos, in feminis usque ad *quattuordecim* etiam expletos.

Impedimenta impediens et dirimens quae ex *sponsalibus* oriebantur suppressa sunt.

Impedimentum *disparitatis cultus* viget solum inter non baptizatos et qui *baptizati* sunt *in Ecclesia catholica* aut *qui ad illam ex haeresi vel schismate sunt conversi.* Antea vigebat inter *non* baptizatos et baptizatos *quoscumque*, etsi nunquam catholici fuissent.

Impedimenta *ordinis sacri* et *voti solemnis* nihil sunt immutata; item raptus et criminis. Impedimentum *honestatis publicae* nunc oritur solum ex matrimonio *invalido* aut ex *concubinatu publico* et *notorio,* et tantum est dirimens inter virum et consanguineos mulieris et viceversa (*can.* 1078).

Cognatio spiritualis solum est inter *baptizatum* et *baptizantem* (qui in necessitate *laicus* esse potest aut etiam *mulier*) et *patrinum* (*can.* 768, 1079).

Cognatio legalis solum est *dirimens* in iis nationibus in quibus a civili Codice *dirimens* habetur (*can.* 1080) et inter personas ab ipso designatas. Erit igitur *dirimens* in **Hispania** (*a.* 84); **Italia** (*aa.* 60, 104); **Bolivia** (*a.* 108); **Brasilia** (*a.* 183); **Columbia** (*a.* 140); **Guatemala** (*a.* 120); et **Peruvia** (*a.* 143). Non erit in **Lus., Argent., Costa R., Chil., Mex., Nicar., San Salv., Urug.** In **Gallia** et **Venez.** solum est *impediens.* Cfr. *Ferreres,* Comp. Theol. mor., *vol.* 2, *nn.* 1051-1053, et *Razón y Fe, vol.* 50.

interventu tamen *defensoris vinculi* (*can.* 1990). Cfr. decret. S. Officii, 5 jun. 1889 et 27 mart. 1901, et *Ferreres*, *Razón y Fe*, *vol.* 1, *pag.* 559.

865. **Appellatio arbitraria.** — Adversus hanc declarationem defensor vinculi, si *prudenter* existimaverit *a*) impedimenta non esse *certa*, *b*) aut dispensationem super eisdem *probabiliter* (1) intercessisse, provocare tenetur.

Quod si appellat, acta omnia ad judicem secundae instantiae sunt transmittenda, qui scripto monendus est agi de casu excepto (*can.* 1991).

866. **Secunda instantia.** — Judex alterius instantiae, cum solo interventu *defensoris vinculi*, decernet eodem modo de quo in can. 1990 (*n.* 864), utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum in causa ad ordinarium tramitem juris (*can.* 1992).

867. **Ad primam instantiam remissio.** — In hoc ultimo casu causa ad tribunal *primae instantiae* remittitur, ut ordinarium tramitem sequatur (*can.* 1992), qui in superioribus capitibus exponitur.

TITULUS XXI

De causis contra sacram ordinationem

868. — Hujus tituli praescripta cum praescriptis tituli praecedentis valde conformantur.

869. **Duplex causarum genus.** — Causae quae hic comprehenduntur versari possunt: *a*) super *obligationibus* in sacra ordinatione contractis (vide *vol.* 1, *n.* 378); *b*) contra ipsam sacrae ordinationis *validitatem*.

870. **Tribunal competens.** — In causis utriusque generis ex generali regula libellus mitti debet ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum. Quod si ordinatio impugnatur ob defectum substantialem sacri ritus, ad Sacram Congregationem S. Officii mittendus est (*can.* 1993, § 1).

871. **Causae prout aguntur disciplinari ritu vel judiciario.** — I. Respectivae S. Congregationis est definire utrum causa *judiciario* ordine, an *disciplinae tramite* sit pertractanda. Disciplinari tramite ab ipsa S. Congregatione definitur, praevio informationis processu in tribunali Curiae competentis facto (*can.* 1993, § 1).

II. Si causa judicialiter est pertractanda, *a*) *Congregatio Sacramentorum* eam remittit ad tribunal dioecesis quae clerico propria erat cum hic ordinationem accepit; *b*) *S. Officium* remittit, si causa ad hoc spectat, ad tribunal dioecesis in qua ordinatio peracta est; pro gradibus vero appellationis standum praescripto can. 1594-1601 (*can.* 1993, § 2). Vide *n.* 551 *seq.*

---

(1) Si vere et solide probabile est datam esse dispensationem, non potest judex sententiam nullitatis pronuntiare, quia validitas matrimonii est ex iis causis quae favorabiles dicuntur (cfr. *n.* 791), et idcirco gaudet favore juris (*can.* 1014).

872. **Accusatio**.—Validitatem sacrae ordinationis accusare solum potest *a*) ipse clericus, *b*) aut Ordinarius cui clericus subest, *c*) vel in cujus dioecesi ordinatus est (*can.* 1994, § 1).

II. Declarationem nullitatis onerum in sacra ordinatione susceptorum solus clericus petere potest (*Ibid.,* § 2).

873. **Processus.** — In his causis ea omnia, quae tum in sectione prima hujus partis, tum in peculiari titulo de processu in causis matrimonialibus sunt dicta, servari etiam debent, congrua congruis referendo (*can.* 1995).

874. — **Defensor vinculi** sacrae ordinationis iisdem gaudet juribus iisdemque tenetur officiis quibus defensor vinculi matrimonialis (*can.* 1996). Cfr. *nn.* 840-842, 860-863, 866.

Exercitium ordinum. — In his causis omnibus clericus est *ad cautelam*, donec sententia feratur, ab exercitio ordinum prohibendus (*can.* 1997).

Ut clericus liber sit ab obligationibus quae a vinculo ordinationis manant, requiruntur **duae sententiae conformes** (*can.* 1998, § 1).

Ratio eadem est quae in matrimonio, cum sit etiam causa favorabilis. Quod ad **appellationem** attinet, in his causis servanda sunt praescripta can. 1986-1989 de causis matrimonialibus (*Ibid.,* § 2). Cfr. *nn.* 862-865.

PARS II

De causis beatificationis Servorum Dei et canonizationis Beatorum

---

In hac parte breves admodum erimus, attenta natura Canonicarum Institutionum.

CAPUT I

DE NATURA BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

875. — *Canonizatio* dicitur sententia postrema et definitiva qua R. Pontifex in caelo servum Dei triumphare declarat, jubetque ut ille in tota Ecclesia ab omnibus fidelibus honoretur.

876. — *Beatificatio* charactere *transitorio*, *permissivo*, *particulari* praedita est. Quare solum conceditur ut coli Beatus *possit* in *certis nonnullis regionibus*, ut in dioecesi (provincia, natione) ubi natus est, vixit aut vita cessit; in Ordine aut Congregatione religiosa, cujus fuit alumnus, etc.

877. — *Canonizatio* contra praedita est charactere definitivo, praeceptivo et generali pro Ecclesia universali, semperque natura sua fuit S. Pontifici peculiaris, cujus in illa judicium magisterii universalis proprium videtur, ideoque *infallibile*. Unde sequitur *canonizandi* facultatem neque posse neque potuisse unquam Episcopis delegari (1). Cfr. *Ferreres*, La Curia, *n.* 690 *seq.*

878. — Verbum hoc *canonizare* oritur a graeca voce κανών, qua significatur norma seu regula, aliquando etiam series, elenchus, etc.; nomen enim Sanctorum inscribebatur in *canone* sive *catalogo* personarum quas Ecclesia venerabatur. Igitur *canonizare* idem sonat quod in Sanctorum indice inscribere. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 693.

---

(1) *S. Thom.*, Quodlibet., 9, *a.* 16; *Suárez*, De fide, *disp.* 5, *sect.* 8, *n.* 8; *Bened. XIV*, De serv. Dei beatif., *l.* 1, *c.* 10, *n.* 3 *seq.*, *c.* 38, *nn.* 14, 15; *c.* 39, *n.* 14; *c.* 43, *n.* 2; *c.* 45, *n.* 28; 4, *p.* 2, *c.* 12, *n.* 16; Epist., 22 febr. 1755; *Wilmers*, De Ecclesia, *l.* 4, *c.* 4, *a.* 2 (*pag.* 469 *seq.*, Ratisbonae 1897); *Pesch*, De Ecclesia, *n.* 550 *seq.* (*pág.* 332 *seq.*, Friburgi Brisgoviae 1898); *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *nn.* 363, 370; *Lega*, De judiciis, *vol.* 2, *n.* 191 *seq.*

CAPUT II

DE CULTU MARTYRUM

879.—I. Initio Ecclesiae solum *martyres* ut sancti colebantur, i. e., ii qui sanguinem effuderant ad fidem christianam testificandam.

II. Serius et cultu et nomine martyrum honorati etiam sunt confessores qui maximos labores, exsilia, vincula, etc., erant perpessi defendendae fidei causa, ut SS. Eusebius, Marcellus, Joannes, Silverius, Martinus et Pontianus, qui martyrum titulo donantur, etsi pro fide sanguinem non fuderunt. Cfr. *Bened XIV*, De serv. Dei beatif., *lib.* 1, *c.* 2, *nn.* 6, 7 (Venetiis, 1788).

III. At minime sufficiebat martyrem esse ut honoribus martyrum martyr affici posset, sed opus erat ut ab Ecclesia talis declararetur. Qui tales recogniti fuerant, *vindicati* dicebantur. Cfr. *Ferreres*, La Curia, *nn.* 663-672.

IV. Haec recognitio ab Episcopo fiebat. Cfr. *Bened. XIV*, l. c., *c.* 6, *n.* 1 *seq.* (*pag.* 22 *seq.*).

CAPUT III

DE CULTU CONFESSORUM

880.—Praeteritis persecutionibus, praerogativa altarium cum titulo confessorum etiam iis concessa est, qui cum non essent martyres, neque graves pro fide persecutiones sustinuissent, aliis praeluxerant *heroicis virtutibus* et *miraculis*, propterea quia has virtutes exercendo, magnis voluntariisque tormentis cupiditates cohibendo, vitae voluptates aspernando, Christi fidem divinamque ipsius doctrinam ubique terrarum professi erant.

881.—Etiam spectabat ad Episcopum hanc quasi *beatificationem* concedere, quae in hoc stabat: *a*) tum in altari super sepulcrum Beati erigendo, *b*) tum in templo ei dedicando, *c*) tum in festo quotannis celebrando. *Bened. XIV*, l. c., *c.* 6.

CAPUT IV

DE RATIONE QUA ANTIQUITUS BEATIFICATIO A CANONIZATIONE DISCRIMINABATUR

882. — *a*) Primis saeculis *beatificatio* a *canonizatione* non distinguebatur nisi limitibus territorii quibus illa circumscribebatur; haec vero ad totam Ecclesiam extendebatur. *Bened. XIV*, l. c., c. 6, *n*. 9.

b) Antiquitus Episcopus honores altaris martyri aut confessori decernebat; at cultus ejusque decretum dioecesi limitabantur; quod erat quasi quaedam beatificatio.

c) Saepe tamen fiebat ut, expresso aut tacito Ordinarii consensu, cultus dioecesis fines excederet, et aliquando etiam per totam Ecclesiam diffunderetur, quo *aequivalenter canonizatio* obtinebatur; intercedebat enim S. Pontificis auctoritas, vel quia ad eum acta missa erant, ab ipso recognoscenda et approbanda, vel quia cultum ipse non impediebat, quem sciret in dies propagari, et sic tacite probabat. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn*. 677-682.

CAPUT V

DE CANONIZATIONIBUS A S. PONTIFICE PERACTIS ET DE ADVOCATIONE CAUSARUM BEATIFICATIONIS

883. — I. Prima canonizatio Sancti ad Romanam dioecesim non pertinentis, quam quidem certo constet a S. Pontifice factam, ea est qua Sanctum Udalricum Episcopum Amburgensem († 973) in numerum Sanctorum Joannes Papa XV retulit, 9 febr. ann. 993. Cfr. *Bull. Rom. Taurin.*, *vol.* 1, *pag.* 459 *seq.*, et *Ferreres*, l. c., *nn*. 683-686.

II. Anno 1170 Alexander III omnes causas non canonizationis solum, verum etiam beatificationis ad se advocavit, ut a Benedicto XIV probatur in cit. opere *De serv. Dei beatif.*, *lib.* 1, *c.* 10, *n.* 3 *seq.* (*pag.* 38 *seq.*). Quod a Codice confirmatur, *can.* 1999.

III. Atque Urbanus VIII concessionem cujusvis actus generisve *publici* cultus erga Dei Servos unius Sedis Apostolicae judicio reservavit.

CAPUT VI

DE VARIIS PROCESSIBUS IN CAUSIS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

884. — Causae possunt procedere via ordinaria sive *non cultus*, vel extraordinaria *casus excepti* seu *cultus* (*can.* 2000, § 1). *Ferreres*, l. c., 699.

Possunt etiam esse martyrum (*Ferreres*, l. c., *n.* 733) aut confessorum. Cfr. *Bened. XIV*, l. c., *lib.* 1, *c.* 22, *n.* 2; *c.* 36-38.

885. **Processus ordinarii et apostolici.** — I. Processus sunt duplicis generis: alii *ordinarii*, alii *apostolici*. Illi Ordinarii auctoritate fiunt; hi jussu *Sedis Apostolicae*.

II. Est semper processus *ordinarius*, quem vocant informativum; conficiendus autem est super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum, aut super fama martyrii et miraculorum.

III. Et processus de *non cultu* et alter de *casu excepto* possunt esse ordinarii aut apostolici, prout facti sunt ab Ordinario, ut possunt, ante causam introductam, vel prout sunt omissi ab Ordinario, et ab eo post illam introductam ex mandato S. Rituum Congregationis instruendi.

CAPUT VII

DE IIS QUAE PROBANDA SUNT IN PROCESSIBUS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

886. — Omnes processus beatificationis et canonizationis ad hoc propendunt, ut probent Servum Dei christianas *virtutes in gradu heroico* exercuisse, et *miracula* patrasse (1); ut enim quisque sit Sanctus, in caeloque gloriose cum Christo regnet, satis est ut in

---

(1) Ut Beatus rite seu formaliter beatificatus canonizetur, requiritur ut post formalem beatificationem duo miracula peregerit, quae sint a S. Rit. Congregatione recognita; si tantum aequivalenter beatificatus est, tria opus sunt (ante Codicem *quattuor*). Cfr. *Ferreres,* l. c., *nn.* 773, 774.

Ad beatificationem duo, tria aut quattuor miracula necessaria sunt hac ratione: *duo* tantum, si testes *oculati* in utroque processu tum informativo tum apostolico probationem virtutum confecerint, vel si testes, in processu apostolico excussi, fuerint saltem *ex auditu a videntibus; tria,* si testes fuerint *oculati* in processu informativo et de auditu auditus in processu apostolico; *quattuor,* si in utroque processu de virtutibus constiterit per solos testes traditionis et per documenta (*can.* 2117).

statu gratiae decesserit; sed ut in terra cultu proprio Sanctorum honoretur, ex vigenti disciplina requiruntur virtutes heroicae et miracula, quibus Deus O. M. de gloria qua ejus servus fruitur deque ejus voluntate ut in terra colatur, certiores nos facit. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 694 *seq.*

887. — Praeterea, quia ad vitandum periculum ne fideles judicium Ecclesiae praevenire vellent, Urbanus VIII prohibuit quominus sine Apostolicae Sedis auctoritate aliquod publici cultus signum cuiquam exhiberetur, probandum etiam est huic praescripto satis esse factum (Cfr. *Bened. XIV*, l. c., *lib.* 2, *cc.* 7-12, *pag.* 23-50), nisi agatur de processu *casus excepti.*

888. — Hic processus de *casu excepto* (i. e., ab Urbani VIII decretis exceptus) propendit ad probandum Dei Servo publicum cultum tribui unanimi Ecclesiae consensu aut R. Pontificis Indulto vel S. Congregationis permissu, vel ab immemorabili tempore ante decretum Urbani VIII (i. e. a centesimo anno et amplius ante ann. 1634), aut hunc cultum SS. Patrum aliorumque probatorum virorum scriptis inniti, Sede Apostolica aut Ordinario tolerantibus, indesinenterque ad nostram usque aetatem pervenisse. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 771.

Hoc cultu probato per tramites eorum similes qui in processu de *non cultu* adhibentur, Servus Dei existimatur *beatificatus* aeque seu aequivalenter, eique idem cultus qui aliis rite seu formaliter beatificatis potest exhiberi. Cfr. *Ferreres*, ibid., *n.* 772.

PARS III

De modo procedendi in nonnullis negotiis expediendis vel sanctionibus poenalibus applicandis.

---

889. — Tota hujus tertiae partis doctrina nititur praecipue S. C. Consistorialis decreto *Maxima cura* (1), 20 aug. 1910, de oeconomica remotione parochorum; etsi Codex ejus praescriptiones valde immutat, majore libertate Ordinario generatim attributa, ita ut ad statuendum, ei sufficiat examinatorum vel parochorum consultorum *audire* sententiam, eorum *consensu* minime requisito, quod in plerisque casibus illud decretum postulabat. Cfr. *Ferreres,* l. c.

Illius decreti scopus erat exhibere processum novum, brevem, facilem, integrum, perspicue expositum et nostri temporis adjunctis et necessitatibus valde accommodatum. Erat praeterea illud decretum hinc bono animarum illinc juribus parochorum aequissimum, itemque justitiae, cujus est jus personarum in tuto collocare veritatemque convenienter defendere. Cfr. *Ferreres,* in *Razón y Fe, vol.* 40, *pag.* 367.

Ecclesia jampridem habebat constitutum processum criminalem ad parochos delinquentes paroecia privandos. At quoniam evenit aliquando, ut, etiamsi non sint commissa ea delicta quae ex jure processui criminali privationique beneficii locum praebent, parochi ministeria paroeciae utilia hac vel illa de causa, immo sine culpa, esse desinant, aut non possint esse, etiam illo volente, et quia fieri potest, ut ejus praesentia paroecianis sit periculosa, tunc locus est parochi remotioni quae oeconomica sive disciplinaris dicitur, in qua non cum apparatu judiciali, ut fit in causis criminalibus, sed administrative proceditur, neque agitur proprie de poena parocho infligenda, sed potius de spirituali fidelium commodo procurando, quandoquidem solus animarum fructus est suprema lex cui ceterae in Ecclesia subjiciuntur. In hac oeconomica remotione Ecclesiae disciplina nondum perspicua erat ac definita, donec illo decreto nuper a Codice substantialiter confirmato est constituta. Cfr. *Ferreres,* l. c., *pag.* 368 *seq.*

---

(1) Commentarium nostrum hujus decreti videri potest in *Razón y Fe, vol.* 40 *seq., pag.* 365 *seq.*

TITULUS PRAEVIUS

De principiis generalibus

CAPUT I

DE NOTARIO ET ACTIS

890. **Notarii interventus.**—In his omnibus processibus adhibendus semper est notarius, qui scripto consignet acta, quae ab omnibus subscribi debent et in archivo servari (*can.* 2142).

891. **Monitiones.** — I. Quoties monitiones praescribuntur, hae fieri debent vel ore tenus coram cancellario aliove officiali Curiae aut duobus testibus, vel per epistolam ad normam can. 1719 (*can.* 2143, § 1). Vide *n.* 658, III.

II. Peractae monitionis ejusque tenoris documentum authenticum in actis servandum est (*can.* 2143, § 2).

III. Qui impedit quominus monitio ad se perveniat, pro monito habendus est (*Ibid.*, § 3).

892. **Jusjurandum secreti servandi.** — Examinatores et consultores (1) ac notarius debent *sub gravi*, interposito ab initio processus jurejurando, servare maximum *secretum* circa omnia quae ratione sui muneris noverint ac praesertim circa documenta occulta, disceptationes in consilio habitas, suffragiorum, sive faventium sive adversorum, numerum ac motiva (*can.* 2144, § 1). Agitur hoc loco non de secreto solum naturali, sed de commisso *ratione officii publici*, quod omnium strictissime obligat.

893. **Poenae in transgressores.** — Qui secretum violaverint his poenis subjiciuntur: 1.° a munere examinatorum vel consultorum removeri *debent;* 2.° alia etiam condigna poena ab Ordinario, servatis servandis, plecti *possunt;* ac praeterea damna reparare, si qua inde secuta sunt, *ipso facto* tenentur in conscientia (*Ibid.*, § 2).

894. **Processus summarii.** — In iis processibus *summarie* procedendum est; at duo vel tres testes, sive ex officio arcessiti sive a parte inducti, audiri non prohibentur, nisi Ordinarius, *auditis* parochis consultoribus seu examinatoribus synodalibus, existimaverit partes eos inducere ad moras nectendas (*can.* 2145, § 1).

---

(1) De examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus, vide *vol.* 1, *nn.* 678-682.

Jusjurandum testium et peritorum. — Testes et periti, nisi jurati, non sunt admittendi (*Ibid.*, § 2).

895. **Recursus a decreto definitivo.** — A *definitivo* decreto *a*) non admittitur proprie dicta appellatio, sed unicum datur juris remedium, id est *recursus* ad Sedem Apostolicam (*can.* 2146, § 1); *b*) quo in casu ad Sanctam Sedem omnia acta processus transmittenda sunt (*Ibid.*, § 2); *c*) pendente recursu, Ordinarius paroeciam vel beneficium quo clericus privatus sit, alii stabiliter conferre valide nequit (*Ibid.*, § 3).

TITULUS XXVII

De modo procedendi in remotione parochorum inamovibilium

ARTICULUS I

DE CAUSIS REMOTIONIS

896. — Parochus inamovibilis a sua paroecia amoveri potest ob causam, quae ipsius ministerium *noxium* aut saltem *inefficax* reddit, etiam sine gravi sua culpa (*can.* 2147, § 1), immo sine ulla.

897. — Hae causae sunt praesertim quae sequuntur:

1.ª **Imperitia** vel **permanens infirmitas** mentis aut corporis, quae parochum suis muneribus rite obeundis imparem reddit, si judicio Ordinarii per vicarium adjutorem, sive *regentem*, bono animarum provideri nequit ad normam can. 475 (*can.* 2147 § 2, 1.º). Cfr. *vol.* 1, *n.* 770.

a) Ignorantia aut imperitia ea esse poterit, ut parochus careat scientia quae *absolute* in quovis parocho requiritur ut paroeciam regat, aut saltem ea *speciali* careat quae sit necessaria ad paroeciam regendam quae ei commissa est.

b) Etiam cum scientia sufficienti potest imperitia conjungi in modo practico agendi, v. gr., in tribunali poenitentiae ob nimium rigorem poenitentes a se removendo, in ratione agendi cum paroecianis, etc. Cfr. *Ferreres*, l. c., *pag.* 374, *nn.* 40-45.

c) Ad morbos permanentes quod attinet decreto *Maxima cura* duo numerantur: caecitas et surditas. Utrum, necne, infirmitas permanens reddat parochum in perpetuum vel in diuturnum tempus ineptum eo usque, ut sit necessaria remotio, neque concessio vicarii adjutoris sufficiat, Ordinarius cum examinatoribus

pro sua prudentia judicare debet et in casibus recursus cum consultoribus. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 46-51.

898. — 2.ª **Odium plebis**, quamvis injustum et non universale, dummodo tale sit, quod utile parochi ministerium impediat, nec *brevi* cessaturum praevideatur (*can.* 2147, § 2, 2.°).

a) Quod odium, etiam injustum, sit sufficiens causa remotionis, inde oritur, quod hic non proprie contra parochum proceditur, sed pro paroeciae bono spirituali; vemehenter autem dolendum esset, si, eo quod parochus alio non transferretur, condemnarentur animae, quarum bono parochus eis datus est.

b) Quamquam odium universale non requiritur, tamen satis esse non videtur odium paucarum personarum aut familiarum, cum parochus est generaliter bonae famae inter suos paroecianos.

899. — 3.ª **Bonae existimationis amissio penes probos et graves viros**, sive haec oriatur ex levi vivendi ratione parochi, sive ex antiquo ejus crimine quod nuper detectum eximatur jam poena ob praescriptionem, sive ex facto familiarum et consanguineorum quibuscum parochus vivit, nisi per eorum discessum bonae parochi famae sit satis provisum (*Ibid.*, 3.°).

a) Agitur hic communiter de delictis quae ex jure privatione beneficii non puniuntur; secus enim processus juridicus esset instituendus, ut beneficio privaretur.

b) Comprehenditur etiam delictum cui ea privatio debetur, sed quia occultum et ante commissum, jam actio contra illud praescripta est. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 60-64.

900. — 4.ª Probabile **crimen occultum**, parocho imputatum, ex quo Ordinarius prudenter praevidet magnam in posterum oriri posse fidelium offensionem (*can.* 2147, § 2, 4.°). Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 65-67.

5.ª Justa causa remotionis esse poterit etiam **mala** rerum temporalium **administratio** cum gravi ecclesiae aut beneficii damno, quoties huic malo remedium afferri nequit sive auferendo administrationem parocho, sive alio modo. Haec causa erit sufficiens, quamvis aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceret (*Ibid.*, 5.°).

a) Possunt male bona administrari, quod suo tempore refectiones non fiant in templo aut in sacra supellectili; quod haec cum ea incuria custodiatur, ut facile possit surripi; quod immerito aut indebite alienetur, etc.

b) Item quod scripturae aut alia documenta quibus ecclesiae aut beneficii jura comprobantur, non satis sint custodita; quod statis temporibus solutio censuum aliorumve jurium non exigatur, etc. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 68-73.

ARTICULUS II

DE INVITATIONE AD RENUNTIANDUM

901. **Quando facienda et quomodo**. — I. *a*) Quoties prudenti Ordinarii judicio, in unam ex causis de quibus in can. superiore 2147 parochus incidisse videatur, ipsemet Ordinarius, auditis duobus examinatoribus synodalibus et *veritate* gravitateque causae cum eis discussa, parochum scripto vel ore tenus ad paroeciae renuntiationem intra certum tempus faciendam *invitare* debet (*can.* 2148, § 1).

b) Canon supponit Ordinarium, postquam examinatores audivit, pergere credere parochum adhuc in aliquam earum causarum incursum esse.

c) Tum Ordinarius, ut consilium capiat parochum invitandi, tum examinatores, ut de hac invitatione sententiam ferant, *morali certitudine* gaudere debent causam exsistere eamque gravem. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 163 *seq.*

II. Invitatio non est facienda, si agitur de parocho vitio mentis laborante (*can.* 2148, § 1), nam cum parochus sit ineptus ad renuntiationem acceptandam vel minus, invitatio esset inutilis.

III. Invitatio, ut acta *valeant*, continere debet causam quae Ordinarium movet, et argumenta quibus ipsa innititur (*Ibid.*, § 2).

Si delictum est occultum, et invitatio fit in scriptis, solum in illa mentio fiet de causa generali, v. gr., de animarum bono aut statu paroeciae quae id postulant; at causa propria et peculiaris, atque argumenta quibus invitatio innititur, solis verbis ab Ordinario exponentur, adstante aliquo examinatore qui actuarium aget (neque hoc munus alius sacerdos exsequi potest), servatisque cautelis necessariis (Decr. *Maxima cura, c.* 10, § 3). Vide *Ferreres,* l. c., *vol.* 41, *pag.* 98, *nn.* 174-182.

902. **Quid si parochus nihil respondet**. — I. Si parochus intra praestitutos dies nec renuntiet, nec dilationem postulet, neque causas ad amotionem invocatas oppugnet, Ordinarius eum statim a paroecia amovebit (hic enim contumax habendus est); neque tenetur praescripto can. 2154 (*can.* 2149, § 1).

II. At id tum solum locum habet, cum Ordinario constiterit: *a*) invitationem rite factam parocho innotuisse, et *b*) ipsum quominus responderet legitime impeditum non fuisse (*Ibid.*).

a) Potuit etiam evenire, ut parochus respondeat, ejus autem responsum ad Ordinarium non pervenerit, litteris vel amissis vel interceptis.

b) Quod si non constet de superius indicatis duobus adjunctis vel de alterutro, Ordinarius debet opportune providere aut iterando invitationem ad renuntiandum (si non constat parochum eam accepisse), aut prorogando tempus utile ad respondendum (*Ibid.,* § 2), si de carentia impedimenti non constat.

Aliter posset Ordinarius gravi parochum injustitia afficere, eum contumacem habendo qui a contumacia longissime distet. Cfr. *Ferreres*, l. c., *pag.* 359, *nn.* 202-206.

903. **Invitatio acceptata.** — I. Si parochus invitationem acceptarit, ac voluerit renuntiare, renuntiationem facere potest non solum jure et simpliciter, sed etiam sub conditione, dummodo haec ab Ordinario legitime acceptari possit et reapse acceptetur (*can.* 2150, § 3).

a) Posset igitur paroeciae renuntiare, sub hac conditione ut aliud beneficium sive curatum sive non curatum, etc., quo suae sustentationi provideret, ei traderetur.

b) Sed nullam addere conditionem posset ex iis quae solum a S. Pontifice possunt acceptari, v. gr. ut pensio paroecialis sibi reservaretur, exigens ut certae personae paroecia conferretur, etc. Cfr. *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 2, *n.* 498.

II. Parochus cum renuntiat, causam quidem afferre debet, sed, loco illius ab Ordinario invocatae, aliam invocare potest minus molestam vel minus gravem, dummodo vera et honesta sit, v. gr., ut obsequatur Ordinarii desideriis (*can.* 2150, § 2), quia cum altero parocho major erit fructus animarum, aut ipse alibi fructuosius allaborabit.

III. Si parochus paroeciae renuntiet, Ordinarius, si renuntiationem acceptet, paroeciam ex renuntiatione vacantem declarare debet (*Ibid.*, § 1).

ARTICULUS III

DE PROCESSU

904. **Dilatio**.— Parochus, si vult oppugnare causam adductam in invitatione, potest dilationem ad probationes afferendas postulare, quam Ordinarius pro suo prudenti arbitrio concedere potest, dummodo ne sit cessura in detrimentum animarum (*can.* 2151). Justa causa concessionis esse potest morbus parochi fortuitus, nimiae certorum dierum temporumque occupationes, necessitas alicujus documenti postulandi, testis e loco dissito adhibendi, etc. Decretum *Maxima cura* tantum, quae triginta dies non excederet, dilationem permittebat. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 189-195.

905. **Examen rationum adductarum**. — Rationes a parocho contra invitationem adductas Ordinarius perpendere, approbare aut rejicere debet; *auditis*, ut *valide* agat, examinatoribus de quibus in can. 2148, § 1 (*can.* 2152, § 1). Vide *n.* 901.

906.—Decisio, sive affirmativa fuerit sive negativa, parocho est significanda decreto (*can.* 2152, § 2).

ARTICULUS IV

DE RECURSU RECOGNITIONIS

907. — I. Contra decretum amotionis conceditur tantum *recursus* ad ipsum Ordinarium, ut actorum recognitio peragatur coram novo Consilio, quod constabit ex Ordinario et duobus parochis consultoribus, qui, *ne invalide* agatur, audiendi sunt (*can.* 2153, § 1).

II. Recursus *intra decem dies* (sicut appellatio) ab intimato decreto interponendus est (*Ibid.*); neque datur ullum remedium, elapso spatio, nisi parochus *probet* legitime impeditum fuisse ad recursum interponendum.

III. Appellationum instar, gaudet hic recursus effectu *suspensivo*, *non* mere *devolutivo*.

908. — *a*) Recursu interposito sive intra decem dies legales, sive postea, *fatalibus* ob impedimentum legitimum prorogatis, alii decem dies parocho permittuntur, numerandi ab elapsis fatalibus (ordinariis aut extraordinariis) (*Ibid.*), vel a die quo recursus interpositus habitus est ut legitimus, si post elapsa fatalia recursum est.

b) Novis allegationibus productis id sibi parochus debet proponere, ut probet causam, quae ad remotionem allegatur, esse falsam, aut carere requisitis can. 2147. Cfr. *n.* 897 *seq.*

c) Ordinarius cum parochis consultoribus solum de his duobus debent cognoscere: *a*) num acta praecedentia vitio substantiali laborent; *b*) num ratio allata ad remotionem decernendam careat fundamento.

909. — *d*) Etsi ad eundem Ordinarium recursus interponitur, et hac de causa remotionis decretum videri potest haud corrigendum esse, etiam justitia ita postulante; non est parocho desperandum, cum in hoc casu duo consultores etiam parochi sint, ac proinde probe cognoscant vitae paroecialis difficultates, et erga parochum benevolos se praebituros esse debere videantur.

Cfr. *Ferreres,* l. c., *vol.* 42, *nn.* 270-275.

910. — Parochus potest eos testes inducere ad normam can. 2145, § 1, quos prima vice se inducere non potuisse probaverit (*can.* 2153, § 2). Decisio decreto nota parocho facienda est (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS V

DE PROVISIONE AMOTI ET RENUNTIANTIS

911. **Amoti provisio.** — I. Amoto parocho Ordinarius, examinatoribus vel parochis consultoribus, qui partem habuerunt in amotione decernenda, in consilium *adscitis*, debet pro viribus consulere sive translatione ad aliam paroeciam vel assignatione alius

officii aut beneficii, si ad haec idoneus sit, sive pensione, prout casus ferat et adjuncta permittant (*can.* 2154, § 1). Poterit etiam aliud ei beneficium conferri non curatum, etc.

Ex hoc praescripto manifestum est, decretum amotionis oeconomicae longe abesse a sententia simplicis privationis beneficii, cui per processum criminalem locus esse poterat. In casu nostro agitur de salute animarum, qua obtenta per parochi remotionem, curatur etiam de ipsius parochi bono, aequa ei compensatione assignata.

II. Debet Ordinarius audire *consilium* examinatorum, si recognitio non fuit; aut, si fuit, parochorum consultorum.

912. — III. Si Ordinarius providerit, non auditis respective examinatoribus aut consultoribus, provisio videtur valida ex decreto *Maxima cura;* sed ipse si ita ageret, Ecclesiae non obediret, et fortasse prudentia, attento jure naturali, in eo requireretur. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 307-325. Ex Codice res non videtur omnino perspicua. Vide *can.* 105 et *vol.* 1, *n.* 229.

913. **Provisio renuntiantis.** — Ceteris paribus, in provisione favendum magis renuntianti quam amoto (*can.* 2154, § 2).

Ratio est, quia renuntians magis se praebet summissum obedientemque legitimae auctoritati magisque paratum ad una cum illa bono animarum opitulandum, quod proprio anteponere videtur, suaque renuntiatione dilationes praecidit, laborem fastidiumque devitat.

914. — Dicitur *ceteris paribus*, quia potest contingere, ut aliquis sine culpa amoveatur, alius vero renuntiet, eo quod ejus defectus sint ita manifesti, ut eum processus oeconomici pudendum sit.

915. **Quando negotium provisionis expediendum.** — Negotium novae provisionis parochi amoti potest Ordinarius sive ipso amotionis decreto sive postea, quamprimum tamen, expedire (*can.* 2155). Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 331-335.

916. **Obligatio renuntiantis aut amoti.** — *a*) Sacerdos a paroecia amotus vel renuntians debet quamprimum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent novo parocho vel oeconomo ab Ordinario interim deputato tradere (*can.* 2156, § 1).

917. — *b*) Canon supponit esse in territorio paroeciali domum ad parochi habitationem destinatam (domum paroecialem, abbatiam, etc.), ut esse solet in Hispania et aliis pluribus in locis, et ut sit oportet. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 337-341.

918. — *c*) Si autem de infirmo agatur qui e paroeciali domo sine incommodo nequit alio transferri, Ordinarius eidem debet relinquere ejus usum etiam exclusivum, eadem necessitate durante (*can.* 2156, § 2).

TITULUS XXVIII

De modo procedendi in remotione parochorum amovibilium

919. — Exposita a Codice parochorum inamovibilium remotione, agitur nunc de parochis amovibilibus removendis, qui similiter atque illi, sed facilius amoventur. Utrum, necne, decretum *Maxima cura* applicandum esset parochis amovibilibus, diversae fuerunt sententiae diversaque S. Congregationis Consistorialis responsa. Cfr. *Ferreres, Razón y Fe, vol.* 47, *pag.* 95 *seq.*

920. — I. Parochus quoque amovibilis a sua paroecia amoveri potest ex *justa* et *gravi* causa ad normam can. 2147 (*can.* 2157, § 1). Vide *nn.* 899-903.

II. Ad parochos *religiosos* quod attinet, servandum est praescriptum can. 454, § 5 (*Ibid.,* § 2), de quo in vol. 1, *n.* 737.

921. **Invitatio ad renuntiandum.** — *a*) Si Ordinarius aliquam ex his causis adesse existimaverit, debet parochum paterne monere atque hortari ut paroeciae renuntiet, *causam* indicans, quae paroeciale ipsius ministerium fidelibus noxium aut saltem inefficax reddit (*can.* 2158).

b) Huic loco casus canonis 2149 potest applicari (*can.* 2159). Cfr. *n.* 902.

922. — *c*) Si parochus renuit, debet rationes *in scriptis* reddere, quas Ordinarius, ut *valide* procedat, perpendere debet una cum duobus examinatoribus (*can.* 2159) (synodalibus).

III. Si, *auditis* examinatoribus, Ordinarius allatas rationes legitimas *non* judicaverit, paternas iterare hortationes ad parochum debet, comminata amotione, si intra congruum definitum tempus paroeciam sponte non dimittat (*can.* 2160).

923. **Decretum amotionis.** — Expleto praefinito tempore, si paroeciam parochus non dimiserit, Ordinarius *decretum amotionis* emittere debebit, nisi terminum pro sua prudentia prorogandum censuerit (*can.* 2161, § 1).

924. **Remoti provisio.** — Renuntiatione admissa aut decreto amotionis emisso, renuntianti vel amoto providendum est ad normam can. 2154-2156 de parochis inamovibilibus (*can.* 2161, § 2). Cfr. *nn.* 911-918.

TITULUS XXIX

De modo procedendi in translatione parochorum

925. **Adnotatio historica.** — Aliqui opinati sunt decretum *Maxima cura* ad parochorum translationem applicandum esse; sed hunc errorem S. C. Consistorialis sustulit in responso ad Episcopum Apamiensem, 22 mart. 1913. Cfr. *Ferreres,* in *Razón y Fe, vol.* 47, *pag.* 211 *seq.*

926. — De translatione parochorum deerant huc usque regulae satis definitae. Unde Ecclesia re ipsa remittebat ad doctrinam canonistarum exponentium titulum *de translatione*, scil. Episcoporum. Juris igitur interpretes huic Codicis titulo viam straverunt.

927. **Discrimen inter translationem et amotionem.** — Translatio et

remotio hoc differunt, quod haec propendit *ad vitandum damnum* paroeciae a qua parochus removetur, translatio autem fit *ad* promovendum *bonum* paroeciae ad quam se confert is qui recte aliam administrabat. Cfr. *Ferreres,* l. c., *vol.* 47, *pag.* 211-214.

928. — Accipe jam rationem translationis faciendae.

Invitatio. — I. Si bonum animarum postulat ut parochus a sua, quam *utiliter* regit, ad aliam paroeciam transferatur, Ordinarius debet eidem translationem proponere, ac suadere ut eidem pro Dei atque animarum amore *consentiat* (*can.* 2162).

929. **Parochus inamovibilis.** — Parochum **inamovibilem** Ordinarius invitum transferre nequit, nisi speciales facultates a Sede Apostolica obtinuerit (*can.* 2163, § 1).

930.—Orta controversia est inter clariss. juris interpretes, P. *Besson* et *Boudinon,* num Episcopus posset invitos parochos transferre; uterque tamen opinabatur communem doctrinam sententiae negativae favere. Cfr. *Ferreres,* l. c., *n.* 407 *seq.*

931. **Parochus amovibilis.** — I. *a*) Parochus *amovibilis* ad *paroeciam* superiorem, aequalem vel *non nimio inferiorem* etiam invitus transferri potest, servatis tamen praescriptis canonum qui sequuntur (*can.* 2163, § 2).

b) Si parochus consilio ac suasionibus Ordinarii non obsequitur, debet rationes *in scriptis* exponere (*can.* 2164).

II. Ordinarius, si, non obstantibus allatis causis, judicat a proposito non esse recedendum, debet, ut *valide* agat, super eisdem causis audire duos *parochos consultores,* et cum eisdem perpendere: *a*) *adjuncta* in quibus versatur tum paroecia *a qua,* tum paroecia *ad quam, b*) et *rationes* quae translationis utilitatem aut necessitatem suadent (*can.* 2165).

932.—III. *a*) Si, auditis parochis, Ordinarius translationem peragendam adhuc censet, paternas exhortationes *iterare* debet, ut parochus voluntati sui Superioris morem gerat (*can.* 2166). *b*) His peractis, si parochus adhuc renuit et Ordinarius adhuc putat translationem esse faciendam, parocho *praecipere* debet *ut intra certum tempus* ad novam se conferat paroeciam (*can.* 2167, § 1). *c*) *Etiam* ei in scriptis significabit, *elapso praefinito tempore,* paroeciam quam in praesens obtinet *ipso facto* vacaturam esse (*Ibid.*). *d*) Hoc tempore inutiliter transacto, paroecia ab Ordinario vacans declaranda est (*Ibid.,* § 2).

N. B. Tituli XXX-XXXII, ne limites Institutionum transgrediamur, cursibus majoribus reservamus; horum tamen doctrina clara est ex iis quae in superioribus titulis sunt exposita (*nn.* 889-932) et ex iis quae *n.* 840 *seq.* dicta sunt.

TITULUS XXXIII

De modo procedendi in suspensione ex informata conscientia infligenda

933. **Notio**. — Suspensio *ex informata conscientia* est sententia extrajudicialis, qua Superior competens ab exercitio ordinum officiorumque ecclesiasticorum clericum subditum suspendit ob de-

lictum occultum (vide inferius *nn.* 944, 948), quod tamen Praelatus *certo* (*can.* 2190) cognoscit, et ita certo cognoscit, ut coram aliis rite probare possit.

934. **Adnotatio historica.**—Ex jure Decretalium soli praelati religiosi facultate gaudebant *ascensu ad ordines superiores* suos subditos privandi certis de causis quas secreto cognoscerent (Decretal. *cap.* V, de temp. ord., *lib.* I, *tit.* 11). Hanc facultatem Tridentinum (*sess.* 24, *prooem. cap. de reform.*) Episcopis extendit quod attinet ad eorum subditos, et ita ampliavit, ut etiam possent propter occulta delicta eos ab exercendis sacris ordinibus ecclesiasticisque muneribus suspendere. Sed quoniam verba Tridentini ob brevitatem subobscura erant, vera doctrina ambigua videbatur, quo factum est ut saepe Praelati in ea applicanda a recta via deflecterent.

Nunc igitur primum apparet in publico documento tota de hac re doctrina in bono lumine collocata, quam laboriose auctores concinnarant, eam praecipue ex causis et solutionibus S. Conc. Congregationis depromentes (1).

935. **Principia.** — I. Ordinariis licet *ex informata conscientia* clericos suos subditos suspendere *ab officio* sive *ex parte* sive etiam *in totum* (*can.* 2186, § 1).

Quid sit *suspensio ab officio* vide in *lib.* V, *can.* 2779.-2281. Cfr. *nn.* 1044-1046.

II. **Haec suspensio est remedium extraordinarium**; quare adhiberi non licet, si Ordinarius potest sine gravi incommodo ad juris normam in subditum procedere (*can.* 2186, § 2).

III. **Quae conditiones requirantur.**—Ad ferendam hanc suspensionem neque formae judiciales neque canonicae monitiones requiruntur; sed satis est si Ordinarius, servato praescripto canonum qui sequuntur, *simplici decreto* declaret se suspensionem indicere (*can.* 2187). Cfr. *n.* 840 *seq.*

936. **Modus.** — I. Hujusmodi decretum dandum est in scriptis, *nisi adjuncta aliud exigant*, designato die, mense et anno.

II. Praeterea in eo: 1.° *expresse* dicendum est suspensionem ferri *ex informata conscientia* seu ex causis ipsi Ordinario notis; 2.° *a*) indicandum est *tempus durationis poenae;* abstinere autem debet Ordinarius ab ipsa infligenda *in perpetuum; b*) potest vero infligi etiam tanquam *censura* sive poena medicinalis; sed hoc in casu clerico patefacienda est causa propter quam suspensio irrogatur. 3.° Si suspensio non *in totum* sed ex parte infligitur clare indicandi sunt *actus qui* suspensione *prohibentur* (*can.* 2188).

De differentia inter poenas vindicativas et censuras et de actibus suspensione prohibitis dicetur *lib.* V, *nn.* 993 *seq.*, 1052 *seq.*

937. **Cum suspensus est substituendus.** — I. Si clericus sus-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis, vol.* 14, *pag.* 229 *seq.*, 372 *seq.; vol.* 19, *pag.* 561 *seq.;* Collect. S. C. de P. F., *n.* 1628, ed. 2.ª; *Lucidi,* De visitatione, *vol.* 1, *pag.* 409, *n.* 269 *seq.; Santi-Leitner, vol.* 5, *pag.* 5, *n.* 11; *Cadena* y *Eleta, vol.* 2, *pag.* 330; *De Angelis, vol.* 5, *pag.* 150 *seq.; Gennari,* Sulla privazione del benefizio, *pag.* 127 *seq.; Wernz,* Jus Decret., *vol.* 5.

pensus est ab officio in quo alius in ejus locum substituendus est (uti, ex. gr., parochus per oeconomum in cura animarum), qui substituitur mercedem ex fructibus beneficii percipiet secundum prudens Ordinarii judicium determinandam (*can.* 2189, § 1).

II. Clericus suspensus, si se *gravatum* senserit nimia pensione ab oeconomo percepta, potest imminutionem ejusdem petere ab immediato Superiore qui in via judiciaria esset judex appellationis (1) (*Ibid.*, § 2). Cfr. *nn.* 551-554.

938. **Ob quae delicta suspensio ferri possit.** — I. Suspensioni *ex informata conscientia* justam ac legitimam causam praebet delictum *occultum* (vide *n.* 948) ad normam can. 2197, 4.° (*can.* 2191, § 1). Quae suspensio ob *notorium* delictum nunquam ferri potest (*Ibid.*, § 2). (Vide *n.* 948.)

II. Ut delictum *publicum* suspensione ex informata conscientia plecti possit, occurrat necesse est aliquod ex adjunctis quae sequuntur: 1.° *a*) si testes probi et graves delictum quidem Ordinario patefaciant, sed nulla ratione induci possint ut de eo testimonium in judicio ferant; *b*) neque aliis probationibus delictum judiciali processu evinci possit; 2.° si ipsemet clericus minis aut aliis adhibitis mediis impediat ne processus judiciarius instituatur aut inceptus perficiatur; 3.° si processui judiciali conficiendo ferendaeque sententiae impedimenta exoriantur ex adversis *civilibus legibus* aut gravi *scandali* periculo (*can.* 2191, § 3).

III. Ut *suspensio* ex informata conscientia valeat, satis est ut ex pluribus delictis unum tantum sit occultum (*can.* 2192).

939. **Causae manifestatio.** — I. Prudenti Ordinarii arbitrio relinquitur suspensionis causam seu delictum clerico patefacere aut reticere.

II. Si delictum clerico manifestare censuerit, pastoralem adhibere sollicitudinem et caritatem debet, eum ita paterne monendo, ut poena non modo ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis et ad occasionem peccati eliminandam inserviat (*can.* 2193).

940. **Recursus unicus a suspensione.**— I. Adversus hanc suspensionem jus nullum *appellationis* proprie nuncupatae clerico datur ad ullum tribunal.

---

(1) In **America lat.** et **Philippinis** supponimus tribunal secundae instantiae esse ut jus commune in can. 1594 postulat tam in causis contentiosis quam in criminalibus (vide *n.* 551). Sed tertia instantia, si duae sententiae priores non sunt conformes, erit (salvo jure ad S. Sedem appellandi, si partes aut appellans id cupiunt) coram Ordinario viciniore ei qui primam sententiam in eadem provincia tulit, facta a judice tertiae instantiae expressa mentione de pontificia delegatione. Sed manifestum est, causas S. Sedi reservatas (vide *n.* 532) etiam in America et Philippinis reservari, in causisque matrimonialibus jure communi standum esse. Cfr. Const. Leonis XIII *Trans Oceanum,* 18 april. 1897, *n.* XIV, quae Philippinarum facta est indulto 1 jan. 1910. Cfr. *Ferreres,* Comp. Th. mor., *vol.* 1, *n.* 199.

II. Solum ei conceditur **recursus ad S. Sedem** *in devolutivo.*

III. Quo interposito, Ordinarius ad Sedem Apostolicam mittere debet *probationes* quibus constet clericum delictum revera perpetrasse quod *extraordinaria* hac *poena* puniri queat (*can.* 2194).

941. **Necessitas probationum fidem facientium ad validitatem suspensionis.** — Perspicuum est, si Ordinarius tales probationes exhibere non possit, quamvis juratus clerici delictum affirmet, Sedem Apostolicam hanc suspensionem nullam esse declaraturam. Unde sequitur Ordinarium, etsi certissimus sit de ipso delicto, si careat probationibus ad S. Sedem deferendis, *neque licite neque valide* hanc suspensionem infligere; jus enim tantam Ordinario auctoritatem minime attribuit, nisi crimen possit coram S. Sede certo probari. Cfr. *Wernz*, l. c., *vol.* 5, *n.* 890; *Gennari*, Sulla privazione del benefizio, *pag.* 138 *seq.*

942. — *N. B.* 1.° Neque citatio rei neque monitiones, etc., requiruntur, ut patet.

2.° Notarii interventu opus est, qui scripto consignet acta, quae ab omnibus adstantibus subscribenda sunt (*can.* 2142). Vide *n.* 890.

3.° Vicarius Generalis hanc suspensionem infligere non potest nisi de mandato speciali; est enim poena (Cfr. *can.* 2220, § 2).

LIBER V

De delictis et poenis

943. — Etsi Institutionibus de delictis et poenis agere minus est proprium (vide *vol.* 1, *n.* 3, et *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 1, *n.* 3), attamen visum est nobis breviter agere de generali eorum doctrina (1), ea quae particularis est poenarum scholis superioribus relicta. Censurae latae sententiae videri possunt expositae apud *Ferreres*, Comp. Theol. mor., *vol.* 2, *nn.* 1230 *seq.*, edit. 3.ª, prima post Codicem.

---

(1) Ut Codicis canonici poenae, de quibus acturi sumus, cum poenis, de quibus Codex hispanus, conferri aliqua ratione possint, ponuntur hic tanquam specimen nonnullae hujus scalae in gradus divisae, ubi videre licet aliquas similitudines, quibus comparatis plures annalogiae videri poterunt, at praecipue Ecclesiae benignitas in punitione infligenda eminebit distinctius.

ESCALAS GRADUADAS

ESCALA NÚM. 1.°	ESCALA NÚM. 3.°
1.° Muerte.	1.° Relegación perpetua.
2.° Cadena perpetua.	2.° Relegación temporal.
3.° Cadena temporal.	3.° Confinamiento.
4.° Presidio mayor.	4.° Destierro.
5.° Presidio correccional.	5.° Reprensión pública.
6.° Arresto.	6.° Caución de conducta.

Código de 1870, *lib.* I, *tít.* III, *art.* 92: *Alcubilla, tom.* 3, *pág.* 737, edic. 6.ª

ESCALA NÚM. 5.°

1.° Inhabilitación absoluta perpetua.
2.° Inhabilitación absoluta temporal.
3.° Suspensión de { Cargos públicos, de derecho de sufragio activo y pasivo, profesión u oficio.

ESCALA NÚM. 6.°

1.° Inhabilitación especial perpetua... }
2.° Inhabilitación especial temporal... } Para cargo público, derecho de sufragio activo y pasivo, profesión u oficio.
3.° Suspensión de { Cargo público, derecho de sufragio activo y pasivo, profesión u oficio.

Alcubilla, l. c., *pág.* 738.

PARS I

De delictis

TITULUS I

De natura delicti ejusque divisione

944. **Notio.** — *a*) Nomine *delicti* jure ecclesiastico intelligitur externa et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata (*can.* 2195, § 1).

b) Nisi ex adjunctis aliud appareat, quae dicuntur de delictis, applicantur etiam violationibus *praecepti* cui poenalis sanctio adnexa sit (*Ibid.*, § 2).

De differentia inter *legem* et *praeceptum* vide *vol.* 1, *n.* 138.

945. — Quare *delictum* a *peccato* distinguitur. *a*) Omne delictum peccatum est, at non omne peccatum est delictum. *b*) *Peccatum* potest esse *internum* (cogitatio mala cum consensu, malum desiderium) aut *externum; delictum* semper externum est. *c*) Peccatum semper est, cum deliberate lex praeceptumve violatur, sive lex conjunctam habeat sanctionem poenalem canonicam, sive non; *delictum* vero unice, ubi lex violata aut praeceptum sanctionem conjunctam habeat. *d*) *Peccatum* potest esse grave et leve, at *delictum* ecclesiasticum non est, cum non est grave peccatum. Cfr. *n.* 971.

946. — **Qualitas delicti** desumitur ex objecto legis (*can.* 2196), quae violatur simili modo ei quo secundum doctrinam moralem peccata specificantur. Cfr. *Ferreres*, Comp. Theol. mor., *vol.* 1, *n.* 238 *seq.* Ita sunt delicta contra fidem, contra religionem, contra bonos mores, contra proprii status obligationes, etc.

947. — **Gravitas delicti** est quantitas sive mensura ejus malitiae. Haec vero est dimetienda non solum ex diversa gravitate *legis* laesae, sed etiam ex majore minoreve *imputabilitate* aut damno illato (*can.* 2196).

Hic etiam doctrina theologiae moralis de peccati gravitate locum habet. Cfr. *S. Thom.*, 1, 2, *q.* 88, *art.* 1 et 2; *S. Alph.*, *lib.* I, *n.* 54 *seq.*; *Ferreres*, l. c., *nn.* 227-237. Cum delictum secum ferat peccatum, sequitur omnes causas, quae *peccati* gravitatem augeant vel minuant, gravitatem *delicti* esse aucturas vel minuturas.

Jam natura sua fit manifestum, delictum profanationis Hostiae consecratae gravius esse quam lectionis libri prohibiti; quod si contra eandem legem delictum committitur, majus erit si plene deliberatum est quam si est cum aliqua ignorantia motuque aliquo magis minusve indeliberato.

948. **Divisio.** — Delictum est *publicum, notorium* et *occultum.* Notorium esse tale potest *notorietate juris* aut *notorietate facti* (*can.* 2197).

a) *Publicum*, si jam divulgatum est, aut talibus contigit seu versatur in adjunctis, ut prudenter judicari possit et debeat facile divulgatum iri (*can.* 2197, 1.°), v. gr. caedes facta palam in media via, coram pluribus qui norunt interfectorem.

b) *Notorium notorietate juris* illud est, de quo lata est sententia judicis competentis quae in rem judicatam transierit (vide *n.* 819), vel de quo in judicio delinquens confessus est ad normam can. 1750. (Cfr. *nn.* 689-691) (*can.* 2197, 2.°).

c) *Notorium notorietate facti*, si publice notum est et in talibus adjunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque juris suffragio excusari possit (*Ibid.*, 3.°), v. gr., occisio de qua in *a*), fortasse adhuc celari posset, si occisor ad se defendendum, ita egisse diceretur, vim vi repellens. Sin autem mente fingimus eum, qui sit publice pluribus spectantibus interfectus, esse puellam quae somnum caperet, cum trucidata est, fieri nullo modo potest ut delictum occultetur, quare notorium erit *notorietate facti.*

d) Dicitur *occultum*, quod non est publicum; *occultum materialiter*, si latet delictum ipsum; *occultum formaliter*, si ejusdem imputabilitas (*Ibid.*, 4.°). Caedes illius, quem homines occisum esse ignorant, mortuumque, v. c., ex lapsu putant, delictum est *materialiter* occultum; caedes vero illius qui in venatione a socio interfectus est, qui tamen involuntaria igniariae fistulae explosione mortuus esse existimatur, erit delictum occultum *formaliter.*

949. **Ad quod forum delictum spectet.** — *a*) Delictum quod unice laedit *Ecclesiae legem*, natura sua sola ecclesiastica auctoritas persequitur, requisito interdum, ubi eadem auctoritas necessarium vel opportunum judicaverit, auxilio brachii saecularis (*can.* 2198) (*n.* 526).

b) Delictum quod unice laedit *legem societatis civilis*, jure proprio, salvo praescripto can. 120, punit civilis auctoritas, licet etiam Ecclesia sit in illud competens ratione *peccati* (*can.* 2198) (*n.* 526, 2.°). Haec delicta civili societati non subjiciuntur, si committuntur ab eo qui gaudet foro ecclesiastico (*can.* 2198) ad normam can. 120. Cfr. *n.* 526, et *vol.* 1, *nn.* 255-268.

c) Delictum quod laedit utriusque societatis legem (ex. c. divortium injustum), ab utraque potestate puniri potest (*can.* 2198). Cfr. *n.* 527.

TITULUS II

De imputabilitate delicti, de causis illam aggravantibus vel minuentibus et de juridicis delicti effectibus

950. **Notio.** —*Imputabilitas* delicti idem est quod culpabilitas illius a quo admissum est. Cfr. *Ferreres*, Comp. Th. mor., *vol.* 1, *n.* 96.

951. **A qua re pendeat.**—Imputabilitas delicti pendet ex dolo delinquentis vel ex ejusdem culpa in ignorantia legis violatae aut in omissione debitae diligentiae; quare omnes causae quae augent, minuunt, tollunt dolum aut culpam, eo ipso augent, minuunt, tollunt delicti imputabilitatem (*can.* 2199). Inde oriuntur eae quae circumstantiae aggravantes, attenuantes et eximentes appellantur, quae etiam in peccato inveniuntur, etsi non in eodem gradu; sunt enim quae omnino tollunt excusantve delictum, non autem peccatum, v. gr., si hoc *leve* tantum sit.

952. **Dolus**. — I. *Dolus* heic est deliberata voluntas violandi legem (*can.* 2200, § 1), eique opponitur ex parte *intellectus* defectus cognitionis, et ex parte voluntatis defectus *libertatis* (*Ibid.*). Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 54-67.

II. Posita externa legis violatione, dolus in foro *externo praesumitur*, donec contrarium probetur (*can.* 2200, § 2). Rei est igitur probare se ignoratione legis aliorumve coactione, etc., egisse. Cfr. Codex poenalis hisp., *art.* 1.

953. **Causae mentis perturbatae** *responsabilitatem* **eximentes atque attenuantes.** — 1.° Ob *cognitionis defectum*, delicti sunt incapaces qui actu carent **usu rationis** (*can.* 2201, § 1).

2.° *Habitualiter* **amentes**, licet quandoque *lucida intervalla* habeant, vel in certis quibusdam ratiocinationibus vel actibus sani videantur, delicti tamen incapaces *praesumuntur* (*Ibid.*, § 2). Unde ad actorem sive accusatorem spectat non solum factum probare quod ex lege delictum reputatur, sed etiam illud commisisse reum qui non esset usu rationis privatus in actione ipsa delicti; sunt enim qui lucida habeant intervalla, quique recte in aliis rebus ratiocinentur, in aliis non recte.

3.° *a*) Delictum in **ebrietate** *voluntaria* commissum aliqua imputabilitate non vacat, sed ea minor est quam cum idem delictum committitur ab eo qui sui plene compos sit, nisi tamen ebrietas apposite ad delictum *patrandum* vel *excusandum* quaesita sit (*Ibid.*, § 3).

b) Sed cum lex violata est in ebrietate *involuntaria*, imputabilitas exsulat omnino, si ebrietas usum rationis ademit ex toto; minuitur, si ex parte tantum (*Ibid.*).

c) Idem quod de ebrietate dictum est, dicendum de aliis similibus mentis **perturbationibus** (*Ibid.*).

d) **Debilitas mentis** delicti imputabilitatem minuit, sed non tollit omnino (*Ibid.*, § 4).

954. **Ignorantia velut causa eximens.** — *a*) Violatio legis ignoratae nullatenus imputatur, si ignorantia fuerit *inculpabilis; secus* imputabilitas minuitur plus minusve pro ignorantiae ipsius culpabilitate (*can.* 2202, § 1).

b) Ignorantia solius poenae, non autem legis quae infringitur, imputabilitatem delicti non tollit, sed aliquantum minuit (*Ibid.*, § 2). Haec diminutio debetur malitiae majori quae inest in legis violatione, cum constat legi a Superiore additam poenam, ad illius violationem impediendam.

c) Quae de ignorantia statuuntur, valent quoque de **inadvertentia** (v. gr., si oblitus sis de violatione legis cognitae aut de ipsa lege, legem cum violares), et **errore** (ut si quis legem non ignorans, opinabatur suam actionem lege non comprehendi) (*can.* 2202, § 3). Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 66, 67.

955. **Omissio debitae diligentiae.** — *a*) Si quis legem violaverit ex omissione debitae diligentiae, imputabilitas minuitur pro modo a prudenti judice ex adjunctis determinando (*can.* 2203, § 1); v. c., si quis sclopetum prope viam in praedam venatoriam explosit, atque invitus occidit transeuntem, nulla facta de periculo diligentia.

b) Quod si *periculum praeviderit*, et nihilominus cautiones ad illud evitandum omiserit, quas diligens quivis adhibuisset, culpa est proxima dolo (*Ibid.*); ut si quis aliquem transire posse praevidit quem esset occisurus, noluitque de hoc certior fieri, neque in modo explodendi periculum vitavit. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 797 *seq.*, ubi de culpis quae juridicae dicuntur.

c) Casus fortuitus qui praevideri vel cui praeviso occurri nequit, a qualibet imputabilitate eximit (*can.* 2203, § 2). Ratio est, quia deest libertas, sine qua non peccatur; res enim vitari non potuit.

956. **Aetas ut causa attenuans.** — Minor aetas (ante 21 ann.: *vol.* 1, *n.* 202), nisi aliud constet, minuit delicti imputabilitatem eoque magis quo ad infantiam propius accedit (*can.* 2204) (i. e. ad annum septimum: *vol.* 1, l. c.). Nam judicium praesumitur minus firmum, major in agendo inconsiderantia aut praecipitatio; quamquam contrarium evenire potest.

957. **Vis et metus.** — I. Vis physica quae omnem adimit agendi facultatem, delictum prorsus excludit (*can.* 2205, § 1). — Patet enim peccatum, multoque minus peccatum grave, sine libertate esse non posse; igitur nec delictum.

II. **Metus** quoque **gravis**, etiam relative tantum, necessitas, immo et grave incommodum, plerumque delictum, si agitur de legibus mere ecclesiasticis (v. gr., de ea quae jubet habitum clericalem a clericis deferri etc., penitus tollunt (*can.* 2205, § 2). Si vero actus est intrinsece malus (ut blasphemia, Christum negare), aut vergit in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum, causae, de quibus in § 2, delicti imputabilitatem minuunt quidem, sed non auferunt (*can.* 2205, § 3). Imputabilitatem minuunt, sed non tollunt (cfr. *Ferreres*, Comp. Th. mor., *vol.* 1, *n.* 71), quia minuunt libertatem, non tollunt; hae vero leges obligant, quovis metu non obstante, modo ne privet usu rationis.

958. — **Legitima tutela** contra injustum aggressorem: I. Si debitum servatur moderamen, delictum omnino aufert (*can.* 2205, § 4), quia omnem imputabilitatem tollit. Omnis non scripta solum, sed etiam naturalis lex facultatem tribuit ut, sui defendendi causa, vis vi repellatur, iis adhibitis quae necessaria sunt, etiam morte injusti aggressoris.

II. Si debitum moderamen exceditur, imputabilitas exsistit, sed in mensura excessus tantum (*Ibid.*). Consequitur ex principio superiore. Vide *Ferreres*, l. c., *nn.* 493-497.

III. Idem est in causa **provocationis**, quae in provocato imputabilitatem minuit, non vero tollit (*Ibid.*). Solet enim provocatus agere cum passione quae mentem obscurat libertatemque minuit.

959. **Passio.** — I. Passio, si fuerit voluntarie et deliberate excitata, vel nutrita, imputabilitatem potius auget (*can.* 2206).

II. Secus *a*) eam minuit plus minusve pro diverso passionis aestu; *b*) et omnino tollit, si omnem mentis deliberationem et voluntatis consensum praecedit et impedit (*Ibid.*). Passio rationem obscurare solet, voluntatemque in alteram partem inclinare; scil. cognitioni praeviae quae ad libere agendum requiritur, demit necessariam *indifferentiam*, quae in eo consistit, ut mens res voluntati proponat tales, quales revera sunt cum motivis quae ad agendum movent et ab agendo retrahunt. Quorum alia auget, alia minuit aut celat; quo voluntas ad unum potius quam ad aliud impellitur. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 68, 69.

960. **Adjuncta aggravantia.** — Praeter alia adjuncta aggravantia, delictum augetur: 1.° *pro majore dignitate* personae *a*) quae delictum committit (ex. c. majus delictum est apostasia in Episcopo quam in simplici sacerdote, in hoc quam in laico), *b*) aut quae delicto *offenditur* (unde gravius esset in S. Pontificem quam in simplicem clericum manus injicere); 2.° *ex abusu auctoritatis vel officii* ad delictum patrandum (*can.* 2207).

961. — I. **Recidivus** sensu juris est qui post condemnationem rursus committit delictum ejusdem generis et in talibus *rerum* ac praesertim *temporis* adjunctis, ut ejusdem pertinacia in mala voluntate prudenter conjici possit (*can.* 2208, § 1).

II. Qui pluries deliquerit, etiam diverso in genere, suam auget culpabilitatem (*Ibid.*, § 2).

Reincidentia, in omni fere recentiore legislatione habetur ut adjunctum *aggravans;* contra, primum delinquere habetur ut circumstantia *attenuans;* unde ab omnibus ferme codicibus condemnatio condicionalis admittitur cum certis restrictionibus (vide *n.* 1053) pro reis primum delinquentibus, quibus exsecutio poenae suspenditur, donec iterum delinquant. Cfr. legem **hispanam** 17 mart. 1908, apud *Alcubilla.* v. Código penal (*vol.* 3, *pag.* 796 *seq.*, ed. 6.ª).

962. **Cooperatores.** — I. Qui communi delinquendi consilio simul physice concurrunt in delictum, omnes eodem modo rei habentur, nisi adjuncta alicujus culpabilitatem augeant vel minuant (*can.* 2209, § 1).

II. In delicto quod sua natura *complicem* postulat (ut in adulterio), unaquaeque pars est eodem modo culpabilis, nisi ex adjunctis aliud appareat (*Ibid.*, § 2), ut si adolescentulam vir seduceret futuri matrimonii pollicitatione.

III. Non solum *mandans*, qui est principalis delicti auctor, sed etiam qui ad delicti consummationem inducunt (v. gr. consilium dantes) vel in hanc quoquo modo concurrunt, non minorem, ceteris paribus, imputabilitatem contrahunt, quam ipse delicti exsecutor, *si delictum sine eorum opera commissum non fuisset* (*Ibid.*, § 3). Cfr. *Cod. poen.* **hispan.**, *art.* 13.

IV. Si vero eorum concursus facilius tantum reddidit delictum, quod etiam sine eorundem concursu commissum fuisset, concurrentes minorem imputabilitatem contrahunt (*can.* 2209, § 4).

V. *a*) Qui suum influxum in delictum patrandum *opportuna retractatione* abduxerit *plene*, ab omni imputabilitate liberatur (v. c., si crimen mandans mandatum opportune retractat exsecutoremque designatum certiorem sui consilii facit), etiamsi exsecutor delictum ob alias causas sibi proprias nihilominus patraverit.

b) Si delictum retractatione non abduxerit plene (sed solum ex parte, v. gr., si qui suasit et plures rationes attulit, ante exsecutionem consilium retractat quidem, sed rationibus minus efficacibus allatis), retractatio minuit, sed non aufert culpabilitatem (*Ibid.*, § 5).

VI. Qui in delictum concurrit **negative**, scil. suum dumtaxat officium negligendo (ut qui sua auctoritate delictum impedire debet, neque impedit), imputabilitate tenetur proportionata obligationi qua adigebatur ad delictum suo officio impediendum (*Ibid.*, § 6).

VII. *a*) Delicti patrati laudatio, *b*) fructuum participatio, *c*) delinquentis occultatio et receptatio aliive actus delictum *jam plene absolutum subsequentes*, nova delicta constituere possunt, si nempe

poena in lege plectantur; sed, nisi cum delinquente de illis actibus *ante* delictum complices *convenerint*, carent delicti patrati imputabilitate (*Ibid.*, § 7). Cfr. ad haec I-VII Cod. poen. **hispan.**, *aa.* 11-17.

963. **Actiones judiciales quae ex delicto oriuntur.** — I. Ex delicto oritur: 1.° *actio poenalis* ad poenam declarandam (in quam delinquens incurrerit, si est *latae sententiae*), vel infligendam (si est *ferendae sententiae*), et ad satisfactionem petendam (*can.* 2210, § 1, 1.°). Vide *n.* 789, 3.°

2.° *Actio civilis* ad reparanda damna, si cui delictum damnum intulerit (*can.* 2210, § 1, 2.°).

II. Utraque actio explicatur ad normam can. 1552-1959 (vide *nn.* 522-843); et idem judex in criminali judicio potest ad instantiam partis laesae civilem actionem ad examen revocare et definire (*can.* 2210, § 2).

III. Omnes qui in delictum concurrunt ad normam can. 2209, § 1-3 (*n.* 762, I-III) obligatione tenentur *in solidum* expensas et damna resarciendi quae ex delicto quibuslibet personis obvenerint, licet a judice ad solvendum pro rata tantum fuerint damnati (*can.* 2211).

TITULUS III

De conatu sive tentamine delicti

964. — I. Quicumque actus posuerit (v. c. venenum propinaverit), vel praetermiserit (ex. gr. infantem lactentem in solitudine deseruerit), qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt, sed delictum non consummaverit, sive quia consilium suum mutavit (scil. poculum abstulit, antequam venenum biberetur, aut remedium ad venenum evomendum praebuit), sive quia delictum propter insufficientiam vel ineptitudinem mediorum (quod venenum erat inefficax) perficere non potuit, *delicti conatum* committit (*can.* 2212, § 1). Cfr. Cod. poen. *hispan.*, *art.* 65 *seq.*

II. Cum omnes actus positi vel omissi sunt qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt et ad delictum perficiendum sufficiunt, si ex alia causa, praeter voluntatem agentis, effectum sortiti non sunt, delicti conatus dicitur proprio nomine **delictum frustratum** (*Ibid.*, § 2), e. c., cum, veneno propinato, qui poculum hausit non est mortuus, quia suo tempore medicum accersiit qui eum a morte servavit, tradito remedio.

III. *a)* Conatui delicti accedit actio illius qui alium ad deli-

ctum committendum inducere studuerit, sed *inefficaciter* (*Ibid.*, § 3), i. e., quin perveniatur ad delicti perpetrationem.

b) Si conatus delicti peculiari poena in lege mulctatur, verum constituit delictum (*Ibid.*, § 4).

965. **Imputabilitas.** — I. *a*) **Delicti conatus** suam habet imputabilitatem, eo majorem, quo magis ad consummationem accedit, etsi minorem quam si delictum consummatum esset (*can.* 2213, § 1).

b) Ab omni imputabilitate liberatur qui sponte ab incepta delicti exsecutione destiterit, si nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum est (*Ibid.*, § 3).

II. **Delictum frustratum** magis culpabile est, quam simplex *delicti conatus* (*Ibid.*, § 2); nam illo pejor voluntas significatur, cum per ipsam non steterit quominus delictum frustratum sit. Vide inferius, *n.* 988.

PARS II

De poenis

SECTIO I

DE POENIS IN GENERE

966. — I. **Nativum et proprium Ecclesiae jus** est, independens a qualibet humana auctoritate, coërcendi delinquentes sibi subditos poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus (*can.* 2214, § 1).

Haec potestas ex eo consequitur necessario, quod Ecclesia sit societas suprema, et hac de causa insit in ea potestas leges ferendi et judicandi, ab omni humana potestate independens. Quemadmodum autem potestas legum ferendarum esse efficax sine judiciali nequit, sic utraque sine coërcitiva esset inefficax. Quae perspicue et aperte Ecclesiae suae a Christo Domino tradita est (*Matth.*, XVIII, 15 *seq.*; II *Cor.*, X, 15 *seq.*; XIII, 10). Cfr. *vol.* 1, *nn.* 38-45, et *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 6, *n.* 75 *seq.*

II. **Quemadmodum hoc jus exercendum.** — Prae oculis autem habendum est monitum Conc. Trid., *sess. XIII, de reform.*, *cap.* 1: «Meminerint Episcopi aliique Ordinarii se pastores non percussores esse, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant, elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coërcere cogantur; quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas; sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria, conservetur, et qui correcti fuerint, emendentur aut, si resipiscere noluerint, ceteri salubri in eos animadversionis exemplo a vitiis deterreantur» (*Ibid.*, § 2).

TITULUS IV

De poenarum notione, speciebus, interpretatione atque applicatione

967. **Notio.** — Poena ecclesiastica est privatio alicujus boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta (*can.* 2215).

968. **Divisio.** — I. In Ecclesia delinquentes plectuntur: *a*) *poenis medicinalibus* seu censuris; *b*) *poenis vindicativis; c*) remediis poenalibus et poenitentiis (*can.* 2216).

II. Poena dicitur: 1.° *a*) *determinata*, si in ipsa lege vel praecepto taxative statuta est; *b*) *indeterminata*, si est prudenti arbitrio judicis vel Superioris relicta sive praeceptivis sive facultativis verbis (*can.* 2217, § 1, 1.°); verbis *praeceptivis*, si lex jubet ut delinquenti poena infligatur, relicta fortasse judicis aut Superioris prudenti arbitrio ipsius specie, gravitate, duratione, etc. (vide can. 2223, § 4, 2231); verbis *facultativis*, si eorum arbitrio relinquitur poenae impositio, aut minus (vide, ex. gr., can. 2235).

2.° *Latae sententiae*, si poena *determinata* ita est addita legi vel praecepto, ut incurratur ipso facto commissi delicti; *ferendae sententiae*, si, ut delinquens teneatur ad eam observandam, a judice vel Superiore infligi debet (*can.* 2217, § 1, 2.°).

3.° *A jure*, si poena determinata in ipsa lege statuitur, sive latae sententiae est sive ferendae; *ab homine*, si fertur per modum praecepti peculiaris vel per sententiam judicialem condemnatoriam, etsi in jure fuerit statuta; quare poena in jure statuta ante sententiam est *a jure tantum*, post sententiam *a jure* simul et *ab homine*, sed consideratur tanquam *ab homine* (*Ibid.*, 3.°).

969. — *N. B.* Poena intelligitur semper *ferendae sententiae*, nisi *expresse* dicatur eam esse *latae sententiae* vel *ipso facto* seu *ipso jure* contrahi, vel nisi alia similia verba adhibeantur (*Ibid.*, § 2), v. gr. qui tale delictum commiserit, in excommunicationem incurret.

970. **Poena debet delicto respondere.** — In poenis decernendis servanda est aequa proportio cum delicto, habita ratione *imputabilitatis*, scandali et damni; quare attendi debent non modo *objectum* et *gravitas legis* violatae, sed etiam *aetas*, *scientia*, *institutio*, *sexus*, *conditio*, status mentis delinquentis, dignitas personae quae delicto offenditur, aut quae delictum committit, finis a delinquente intentus, locus (si sacer, si solitarius, si domicilium ejus qui laesus est) et tempus (si noctu, etc.), quo delictum commissum

est, num ex passionis impetu vel ob gravem metum delinquens egerit, num eum delicti poenituerit, ejusdemque malos effectus evitare ipse studuerit, aliaque similia (*can.* 2218, § 1). Cfr. *nn.* 947-961.

971. — **Causae excusantes.** — A qualibet poena *latae sententiae* excusant: *a*) non modo quae ab omni imputabilitate, *b*) sed etiam quae a *gravi*, excusant (vide *n.* 945), idque non solum in foro interno, sed etiam in externo, si pro foro externo excusatio evincatur (*can.* 2218, § 2). Dicitur *si pro foro externo excusatio evincatur,* nam sunt nonnullae causae excusantes probatu difficiles, quales eae quae ex inconsideratione aut ignorantia enascuntur. Jam vero *in foro externo,* si violatio per se *gravis* est, dolus et advertentia adfuisse censentur, neque ad eorum absentiam probandam satis est affirmatio delinquentis, sed absentiam confirmare *probationibus* debet; aliter enim nemo posset *in foro externo* puniri (Cfr. *vol.* 1, *n.* 360, *seq.*). Sed *in foro interno* (*vol.* 1, *n.* 361), i. e., coram Deo, a quo omnia cognoscuntur, immunis ab hac poena est qui ita in quibuslibet adjunctis se gessit, ut a gravi peccato excusetur.

972. **Compensatio.** — I. Mutua injuria compensatur, ita ut uterque delinquens a mutua satisfactione liberetur, ut si ambo conjuges rei sunt adulterii.

II. Excipitur, cum una pars propter majorem injuriae ab eadem illatae gravitatem damnari debet, deminuta, si casus ferat, poena (*Ibid.*, § 3).

973. **Poenae interpretatio.**—I. In poenis benignior est interpretatio facienda (*can.* 2219, § 1). Si igitur dubium est an poena sit *latae* vel *ferendae sententiae*, habebitur *ferendae* (*n.* 969); si item dubitatur an delictum sit poena graviore aut benigniore plectendum, huic locus erit, etc. Nempe cum poena rebus odiosis adnumeranda sit, ejus interpretatio restrictiva est.

II. At si dubitetur utrum poena, a Superiore competente inflicta, sit justa, necne, poena servanda est in utroque foro, excepto casu appellationis *in suspensivo* (*can.* 2219, § 2). Vide *n.* 996, III.

III. — Non licet poenam *de persona ad personam* (ut si clericis infligitur, laicis non licet imponi, etiamsi rei sint ejusdem delicti), vel *de casu ad casum* producere (ita, v. c., poena contra *abortum* non est ad *caedem mulieris gravidae* producenda), quamvis par adsit ratio, immo gravior (*Ibid.*, § 3). Excipe dicenda de cooperatoribus in can. 2231. Vide *n.* 984.

TITULUS V

De Superiore potestatem coactivam habente

974. — I. Qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi, possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere (*can.* 2220, § 1). Possunt igitur S. Pontifex et Concilium oecumenicum in tota Ecclesia; Concilium provinciale in provincia, Episcopus in dioecesi, atque universim Ordinarii in suo territorio; Superiores regulares ad normam constitutionum, etc.

II. Qui judiciali tantum potestate pollent, possunt solummodo poenas, legitime statutas, ad normam juris applicare (*Ibid.*).

III. Vicarius Generalis (1) sine mandato speciali non habet potestatem infligendi poenas (*Ibid.*, § 2).

975. — I. Legislativam habentes potestatem possunt intra limites suae jurisdictionis non solum legem a se vel a decessoribus latam, sed etiam ob peculiaria rerum adjuncta legem tam divinam, quam ecclesiasticam a superiore potestate latam, in territorio vigentem, congrua poena munire, aut poenam lege statutam aggravare (*can.* 2221).

II. *a*) Licet lex nullam sanctionem appositam habeat, legitimus tamen Superior potest illius transgressionem, etiam sine praevia poenae comminatione, aliqua justa poena punire, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat (*can.* 2222, § 1).

b) Extra hunc casum scandali aut specialis gravitatis reus puniri nequit, nisi prius monitus erit cum comminatione poenae *latae* vel *ferendae sententiae* in casu transgressionis, et nihilominus legem violaverit (*Ibid.*).

c) Pariter idem legitimus Superior, licet probabile tantum sit delictum esse commissum, aut delicti certe commissi poenalis actio praescripta sit, non solum jus, sed etiam officium habet, 1.° non promovendi clericum de cujus idoneitate non constat; 2.° et, ad scandalum evitandum, prohibendi clerico exercitium sacri ministerii; 3.° aut etiam eundem ab officio, ad normam juris, amovendi; quae omnia in casu non habent rationem poenae (*Ibid.*, § 2).

Nam ut clericus promoveatur, v. gr., ad sacros ordines, opus est ut revera constet de idoneitate; ratio autem cur prohibeatur a

---

(1) De discrimine inter Vicarium Generalem et Officialem, cfr. *vol.* 1, *n.* 669, *N. B.*

sacro ministerio, est necessitas scandali vitandi. Rationem amotionis vide in oeconomica parochi remotione, etc. Cfr. *nn.* 896-900, 925, 934.

976. **Normae pro poenis a judice applicandis.** — I. In poenis applicandis judex *nequit* poenam *determinatam augere*, nisi *extraordinaria* adjuncta *aggravantia* id exigant (*can.* 2223, § 1).

II. *a*) Si lex in statuenda poena *ferendae sententiae* facultativis verbis utitur (ex. gr., *potest* judex imponere, declarare, etc.), committitur prudentiae et conscientiae judicis eam infligere, vel, si poena fuerit determinata, temperare (*Ibid.*, § 2).

b) Si vero lex utatur verbis praeceptivis (v. gr., *debet* judex imponere, imponat, imponet), ordinarie poena infligenda est (*Ibid.*, § 3).

c) Verum etiam (in hoc postremo casu *b*), conscientiae et prudentiae judicis vel Superioris committitur: 1.° poenae applicationem ad *tempus magis opportunum differre*, si ex praepropera rei punitione majora mala eventura praevideantur; 2.° a poena infligenda abstinere, si reus perfecte emendatus sit et scandalum reparaverit, aut sufficienter punitus sit vel puniendus praevideatur poenis auctoritate civili sancitis; 3.° poenam determinatam temperare vel loco ipsius aliquod remedium poenale adhibere aut aliquam poenitentiam injungere his de causis: *a*) si detur circumstantia imputabilitatem notabiliter minuens; *b*) vel habeatur quidem rei emendatio, *c*) aut inflicta a civili auctoritate castigatio; in his enim casibus judex vel Superior opportunam existimare potest mitiorem aliquam punitionem (*Ibid.*, 3.°).

Poenam *latae sententiae* declarare generatim committitur prudentiae Superioris; sed sive ad instantiam partis cujus interest, sive bono communi ita exigente, sententia declaratoria dari debet (*Ibid.*, § 4).

977. **Quot poenae infligendae.** — **Ordinarie** tot poenae quot delicta (*can.* 2224, § 1).

Excipe: 1.° Si propter numerum delictorum nimius erit poenarum infligendarum cumulus, prudenti judicis arbitrio relinquitur aut poenam omnium graviorem infligere, addita, si res ferat, aliqua poenitentia vel remedio poenali, aut poenas intra aequos terminos moderari, habita ratione numeri et gravitatis delictorum (*Ibid.*, § 2).

2.° Si *poena specialis* constituta sit tum in *conatum* delicti tum in *delictum consummatum*, hoc admisso, infligi tantum debet poena in consummatum delictum statuta (*Ibid.*, § 2).

978. **Quae servanda.** — *a*) Si poena declaratur vel infligitur per *sententiam judicialem*, servanda sunt canonum praescripta circa sententiae judicialis pronuntiationem (*can.* 2225). Vide *nn.* 788-795.

b) Si vero poena *latae* vel *ferendae sententiae* inflicta est ad modum *praecepti particularis*, scripto aut coram duobus testibus ordinarie declaranda vel irroganda est, *indicatis* poenae *causis* (*Ibid.*).

Sed in causis indicandis excipitur praescriptum can. 2193 (*Ibid.*) de suspensione *ex informata conscientia*. Vide *n.* 939.

TITULUS VI

De subjecto coactivae potestati obnoxio

979. **Quinam quonamque pacto sint poenis obnoxii.** — I. Qui lege aut praecepto tenetur, poenae adnexae legi aut praecepto obnoxius est, nisi expresse eximatur (*can.* 2226, § 1), ut, v. gr., in can. 2227, § 1, eximuntur Cardinales et Episcopi.

II. *a*) Licet lex poenalis *posterior* abroget anteriori, si tamen delictum, quando lex posterior lata est, jam commissum erat, applicanda est lex reo favorabilior (*can.* 2226, § 2).

Igitur si posterior poenam auxerit, prior applicabitur, et contra.

b) Quod si lex posterior *penitus tollit legem* vel poenam tantum, haec statim cessat (*Ibid.*, § 3), sive reo applicata est aut secus, sive eam exsequi coepit aut contra. Cfr. Cod. poen. hispan., *aa.* 2, 22 et 23.

c) *Non* tamen *cessant censurae* jam contractae (*Ibid.*), donec reus legitime *absolvatur*.

III. *a)* Poena (si contracta est) reum *ubique terrarum* tenet (igitur etiam extra territorium ubi est inflicta), etiam resoluto jure Superioris (*Ibid.*, § 4); ut si Episcopus, qui eam imposuit, vita cessit aut e dioecesi translatus fuerit.

b) *Excipitur*, cum aliud expresse cavetur (*Ibid.*); v. gr., si sacerdos suspenditur tamdiu donec in dioecesi commoretur, aut donec Ordinarius in eadem jurisdictionem retineat, poena cessabit sacerdote exeunte neque revertente, aut Ordinario in aliam Sedem translato.

980. **Personae plus minusve exemptae.** — I. Solus R. Pontifex potest poenas infligere aut declarare in eos de quibus in canone 1557, § 1 (*can.* 2227, § 1), i. e.: 1.° *a*) in eos qui *supremum* tenent populorum *principatum*, *b*) horumque *filios ac filias*, *c*) *eosve* quibus *jus* est *proxime succedendi in principatum;* 2.° in patres Cardinales; 3.° in legatos Sedis Apostolicae, et in criminalibus Episcopos, etiam titulares. Cfr. *n.* 532, II.

II. Nisi expresse nominentur, S. R. E. **Cardinales** sub lege poenali non comprehenduntur, nec Episcopi sub poenis *latae sententiae* suspensionis et interdicti (*can.* 2227, § 2).

At cum in lege nominantur, ut in can. 2332, utrique sunt poenae obnoxii. Et Episcopi, etsi non nominentur, tum poenis *ferendae*, tum **excommunicationibus** *latae sententiae* comprehenduntur.

981. **Delicti conditiones.** — Poena lege statuta non incurritur, nisi delictum fuerit in suo genere *perfectum* secundum proprietatem verborum legis (*can.* 2228). Nam poenae subsunt strictae interpretationi. Sic poena contra abortum, *effectu secuto*, non incurritur, effectu non secuto, quamvis artes sint adhibitae ad illum consequendum.

982. **Causae eximentes.** — I. A nullis *latae sententiae* poenis ignorantia *affectata* sive legis sive solius poenae excusat, licet lex verba (*praesumere*, etc.), de quibus in § 2, contineat (*can.* 2229, § 1). Ignorantia dicitur affectata, cum habetur de industria ad legem majore impunitate violandam; v. c., si actionem pravam commissurus, dubites an poenam *latae sententiae* adnexam habeat, quam ut non incurras, de ipsa certior fieri non vis, cum possis.

II. Si lex habet verba: *praesumpserit*, *ausus fuerit*, *scienter*, *studiose*, *temerarie*, *consulto egerit* aliave similia quae plenam cognitionem aut deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis eximit a poenis *latae sententiae* (*Ibid.*, § 2). Excusat in his ignorantia etiam crassa seu supina, metus, inconsideratio, etc.

III. Si lex verba illa non habeat: 1.° ignorantia legis aut etiam solius poenae, *a*) si fuerit *crassa* vel supina, a nulla poena *latae sententiae* eximit; *b*) si non fuerit crassa vel supina, excusat a medicinalibus (ut sunt censurae), non autem a vindicativis *latae sententiae* poenis (*Ibid.*, § 3, 1.°).

Ignorantia est carentia cognitionis in eo qui hujus capax est. Quod si obligatio adest cognitionis acquirendae, ignorantia culpabilis est. Quod fit ignoranter, non est *directe* culpabile, unde nequit delictum efficere; sed potest esse *indirecte*, quatenus ignorantia culpabilis est, propterea quia ignorans neglexit necessariam quam debebat cognitionem acquirere. Jam vero ignorantia erit magis minusve culpabilis, prout fuerit negligentia. Si haec summa est, vocatur *crassa* seu *supina*. At quoquo modo se res habet, prout negligentia major vel minor erit, ignorantia graviter aut solum leviter erit culpabilis. Cfr. *Ferreres*, Comp. Theol. Mor., *vol* 1, *nn.* 66, 67.

2.° Ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis, si, non obstante imputabilitatis deminutione (vide *n.* 953), actio est adhuc *graviter culpabilis*, a poenis *latae sententiae* non excusant (*can.* 2229, § 3, 2.°).

IV. **Metus gravis**, si delictum vergit in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum, a *poenis latae sententiae* nullatenus eximit (*Ibid.*, 3.°). Cfr. *Reiffenstuel*, *lib.* V, *tit.* 39, *n.* 34; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 6, *n.* 158.

N. B. Licet reus censuris latae sententiae ad normam § 3, 1.°, non teneatur, id tamen non impedit quominus, si res ferat, congrua alia poena vel poenitentia affici queat (*can.* 2229, § 4).

983. **Impuberes.** — Impuberes excusantur a poenis *latae sententiae* (sive eae censurae sunt, sive non), et potius punitionibus educativis, quam censuris aliisve poenis gravioribus vindicativis sunt corrigendi (*can.* 2230) (1). Puberes vero qui eos ad legem violandam induxerint vel cum eis in delictum concurrerint ad normam can. 2209, §§ 1-3 (vide *n.* 962, I-III), ipsi quidem poenam lege statutam incurrunt (*Ibid.*).

984. **Cooperatores et complices.** — Si plures ad delictum perpetrandum concurrerint, licet unus tantum in lege nominetur, ii quoque, de quibus in can. 2209, §§ 1-3, tenentur eadem poena, nisi lex aliud *expresse* caverit (*can.* 2231). Cfr. *n.* 962, I-III.

Ceteri vero cooperatores et complices eadem poena non tenentur; sed alia justa pro prudenti Superioris arbitrio puniendi sunt, nisi lex peculiarem poenam in ipsos constituat (*Ibid.*).

985. **A quo tempore poena «latae sententiae» obliget.** — I. Poena *latae sententiae*, sive medicinalis sive vindicativa, delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenet (*can.* 2232, § 1).

II. Ante sententiam tamen declaratoriam: *a*) a poena observanda delinquens excusatur, quoties eam servare sine infamia nequit; *b*) et in foro externo ab eo ejusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum sit notorium (*Ibid.*). Sed declaratoria sententia a Superiore ferenda est sive ad instantiam partis cujus interest, sive bono communi ita exigente, ad normam can. 2223, § 4 (*Ibid.*).

III. Sententia *declaratoria* (*n.* 789, 3.°), poenam ad momentum commissi delicti retrotrahit (*Ibid.*, § 2).

986. **Quando possit imponi poena «ferendae sententiae».** — I. Nulla poena infligi potest, *nisi certo* constet *a*) delictum esse commissum, *b*) et *non esse* legitime *praescriptum* (*can.* 2233, § 1). Est in jure poenali generale principium reum absolvendum esse, nisi certo de delicto constet.

II. Licet id legitime constet, si agitur de infligenda *censura*, *a*) reus prius *reprehendendus ac monendus* est ut a contumacia recedat ad normam can. 2242, § 3 (vide *n.* 995, II et III), dato, si pru-

(1) Cfr. Cod. poen. hispan., *a.* 8, *nn.* 2 et 3; *a.* 86 et *a.* 5, *n.* 2 legis damnationis conditionalis.

denti ejusdem judicis vel Superioris arbitrio casus id ferat, congruo ad *resipiscentiam* tempore; *b*) contumacia adhuc persistente, censura infligi potest (*can.* 2233, § 2).

987. **Reus plurium delictorum.** – Qui plura delicta commisit, non modo gravius puniri, sed si prudenti judicis arbitrio res id ferat, subjici etiam debet *vigilantiae* vel alii remedio poenali (*can.* 2234).

988. — **Delictum frustratum aut conatus delicti** (vide *n.* 964 *seq.*), nisi tanquam distincta delicta lege plectuntur, possunt congrua poena pro gravitate puniri (*can.* 2235). Excipe praescriptum can. 2213, § 3 (*Ibid.*). Vide *n.* 665, *b.*

Ex Codice hispano poenali auctoribus *delicti frustrati* infligenda est poena gradu proxime inferior ea quae delicto consummato assignatur (*a.* 66); auctoribus *conatus delicti* poena duobus gradibus inferior est imponenda (*a.* 67).

TITULUS VII

De poenarum remissione

989. **Quomodo fiat.** — Remissio poenae fit per *absolutionem*, si agitur de censuris; per *dispensationem*, si de poenis vindicativis (*can.* 2236, § 1).

A quo possit concedi. — Concedi tantum potest ab eo qui poenam tulit, vel ab ejus competente Superiore aut successore, vel ab eo cui haec potestas commissa est (*Ibid.*).

990. **Principia.** — I. Qui potest a lege *eximere*, potest quoque poenam legi adnexam remittere (*Ibid.*, § 2).

II. *Judex* qui ex officio applicat poenam a Superiore constitutam, eam semel applicatam remittere nequit (*Ibid.*, § 3), etiam cum lex ejus arbitrio poenae impositionem relinquit.

991. **Quibus in casibus possit inferior poenas a Superiore statutas remittere.** —I. In casibus **publicis** potest Ordinarius poenas *latae sententiae* jure communi statutas remittere (*can.* 2237, § 1).

Excipiuntur: 1.° casus ad forum *contentiosum* deducti; 2.° *censurae* S. Sedi reservatae; 3.° poenae *inhabilitatis* ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam eorumve privationis, suspensionis perpetuae, infamiae juris, privationis juris patronatus et privilegii seu gratiae a Sede Apostolica concessae (*Ibid.*).

II. In casibus vero **occultis** potest Ordinarius poenas *latae*

sententiae jure communi statutas per se vel per alium remittere, exceptis *censuris specialissimo* vel *speciali modo* Sedi Apostolicae reservatis (*Ibid.*, § 2).

III. In casibus urgentibus ampliores sunt facultates quas concedunt canones 2254, 2290 (Vide *nn.* 1009 *seq.* et 1055).

N. B. Poenae remissio, *vi* aut *metu gravi* extorta, *ipso jure* irrita est (*can.* 2238).

992. **Cui possit et quo modo remitti.** — I. Poena (etiam censura) valide remitti potest praesenti vel absenti, absolute vel sub conditione, in foro externo vel interno tantum (*can.* 2239, § 1).

II. Licet poena etiam ore tenus remitti possit, si tamen scripto inflicta est, expedit ut etiam ejus remissio scriptis concedatur (*Ibid.*, § 2). Cum poena sit ab Ecclesia instituta, ad ipsam pertinet definire quemadmodum sit remittenda. At remissio peccatorum sive absolutio cum sit institutionis divinae, solum in poenitentiae sacramento fieri potest, quemadmodum a Christo Domino institutum est.

N. B. Ad **praescriptionem** actionis poenalis quod attinet, servanda est dispositio can. 1703 (*can.* 2240). Cfr. *n.* 646.

SECTIO II

DE POENIS IN SPECIE

TITULUS VIII

De poenis medicinalibus sive de censuris

CAPUT I

DE CENSURIS IN GENERE

ARTICULUS I

DE EARUM NOTIONE, SUBJECTO, ADVERSUS IPSAS RECURSU

993. **Notio.** — **Censura** est poena medicinalis qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis vel spiritualibus

adnexis privatur, donec a contumacia recedens absolvatur (*can.* 2241, § 1). Est poena, quia secum fert privationem, et quia *culpam* supponit, eamque *gravem* (vide can. seq.).

Est *medicinalis*, quia fertur, potius quam ut puniatur, ut ad meliorem frugem sese delinquens recipiat curetque de emendatione, qua obtenta, est absolvendus, sicut, morbo cessante, cessat medicina. Ejus subjectum est *homo baptizatus* (non baptizati enim Ecclesiae jurisdictioni non subduntur), quem privat bonis quorum *non* baptizati capaces non sunt, nam his bonis carere non esset pro ipsis privatio aut poena: *delinquens*; praesupponitur enim *delictum*, ut diximus: *contumax;* tanta enim poena solum iis infligitur qui auctoritatem Ecclesiae contemnunt, etc.

994. **Principia**. —I. Censurae, praesertim *latae sententiae*, maxime *excommunicatio*, non sunt infligendae nisi sobrie et magna cum circumspectione (*can.* 2241, § 2); aliter enim, ut est in Tridentino, potius contemnerentur quam metuerentur. Vide praeterea *n.* 966, II.

II. Censura punitur tantummodo delictum *externum*, *grave consummatum*, cum *contumacia* conjunctum (*can.* 2242, § 1).

Delictum esse debet *externum*, sicut antea, ubi de delictis in genere egimus, dictum est (vide *n.* 944 *seq.*). Non tamen necesse est, ut ab alio quam ab auctore cognoscatur, sed certe aliqua ratione fiat manifestum oportet. Ita haeresis, v. c., adnexam habet excommunicationem *speciali modo* Papae reservatam. At si hoc peccatum solum est in mente, censurae non subest, etsi natura sua grave peccatum est, immo gravissimum; sed erit censurae obnoxium si verbis exprimatur, etsi nullus verba audiat: *consummatum*, i. e., expletum seu absolutum secundum verborum proprietatem, ut dictum est antea.

III. Potest autem ferri censura etiam in delinquentes *ignotos* (*can.* 2242, § 1). Sic censurae *latae sententiae* incurruntur delicto mere commisso, etsi solus delinquens delictum esse patratum cognoscat. Deinde, delicto cognito, possunt auctores edicto arcessiri in quos, si non veniant, potest censura infligi, quae a perseverantibus in contumacia incurretur.

995. **Qui habendus contumax.** — I. Distinguendum est inter censuras *ferendae* et *latae sententiae. a*) Si agitur de prioribus, contumax est qui, non obstantibus monitionibus de quibus in can. 2233, § 2 (vide *n.* 986, II), a delicto non desistit (v. c., bona ecclesiastica surripuit, neque restituit), vel patrati delicti poenitentiam cum debita damnorum et scandali reparatione agere detrectat (*can.* 2242, § 2) (ut si templum flammis tradidit, damnum vero illatum non vult resarcire, etc.).

b) Ad incurrendam vero censuram *latae sententiae* sufficit transgressio legis vel praecepti cui sit adnexa latae sententiae

poena, nisi reus legitima causa ab hac excusetur (*Ibid.*), v. gr. ex ignorantia, ex impubertate, etc.

II. Contumaciam desiisse dicendum est, cum reum vere delicti commissi poenituerit, et simul *a*) ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit, *b*) aut saltem serio promiserit (*Ibid.*, § 3).

III. Judicare autem utrum poenitentia vera sit, satisfactio congrua aut ejusdem promissio seria, necne, illius est, a quo censurae absolutio petitur (*Ibid.*).

996. **Recursus contra censuras.** — I. Censurae inflictae per sententiam judicialem, *statim* ac latae sunt, exsecutionem secum ferunt, neque ab eis datur appellatio, nisi in devolutivo (*can.* 2243, § 1).

II. Item a censuris ad modum praecepti inflictis datur recursus, sed in devolutivo tantum (*Ibid.*). Quare recursus exsecutionem *non* suspendit.

III. Contra sententiam vel praeceptum quae non infligunt sed tantum comminantur censuram, etiam si sit *latae sententiae* (v. gr. sententia vel praeceptum statuunt, subjectum, nisi hoc illudve fecerit, incursurum *ipso facto* in excommunicationem) sed quae adhuc contracta non est, distinguendum est: 1.°, si agitur de re in qua jus non admittit *appellationem* vel recursum etiam cum effectu *suspensivo*, nulla appellatio vel recursus potest sententiam aut praeceptum nec censuram suspendere; 2.°, si agitur de materia in qua admittitur appellatio vel recursus in *suspensivo*, *a*) appellatio vel recursus *a censura* et *pariter a sententia* utramque suspendunt; *b*) appellatio aut recursus *a sola censura* hanc suspendit, firma tamen obligatione servandi id quod sententia aut praecepto mandatur (*Ibid.*, § 2).

997. **Censurarum in eodem subjecto multiplicatio.** — I. Non solum diversae (v. c. excommunicatio, suspensio, interdictum), sed etiam ejusdem speciei (ut diversae excommunicationes, diversae suspensiones) censurae possunt in eodem subjecto multiplicari (*can.* 2244, § 1).

II. Censurae **latae sententiae** multiplicantur: *a*) si *diversa delicta*, quorum singula censuram secum ferunt, eadem vel distincta actione committuntur; *b*) si idem delictum, censura punitum, pluries repetitur, ita ut plura sint delicta distincta (v. c., si quis conatus est abortum inferre in diversis personis, idque consecutus est, vel in eadem persona, at in successiva graviditate); *c*) si delictum, diversis censuris a distinctis Superioribus punitum, semel aut pluries committitur (*Ibid.*, § 2).

III. Censura *ab homine* multiplicatur, si plura praecepta vel plures sententiae vel plures distinctae partes ejusdem praecepti aut sententiae suam quaeque censuram infligunt (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS II

DE RESERVATIONE CENSURARUM

998. — Censurae, ad absolutionem quod attinet, aliae sunt *reservatae*, aliae *non reservatae* (*can.* 2245, § 1). Hae sunt, a quibus omnes confessarii possunt absolvere; illae, a quibus solum certi.

Censura *ab homine* est reservata ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit, ejusve Superiori competenti, vel successori aut delegato (*Ibid.*, § 2).

Censurarum *a jure* aliae reservantur, aliae haud ita. Ex illis aliae sunt reservatae *Ordinario* (sive loci, sive religioso), aliae *Apostolicae Sedi* (*Ibid.*).

E reservatis Apostolicae Sedi aliae sunt *reservatae simpliciter*, aliae *speciali modo*, aliae *specialissimo modo* (*Ibid.*, § 3). A quibus ad absolvendum S. Sedis facultas requiritur: *generalis*, si censura *simpliciter reservata* est; *specialis*, si *reservata speciali modo;* denique *specialissima*, si *reservata specialissimo modo* (*can.* 2253, 3.°).

999. **Conditiones ad reservandum**. — I. Censura *latae sententiae* non est reservata, nisi in lege vel praecepto id *expresse* dicatur.

II. In dubio sive juris (ut cum dubitatur num *jus* expresse reservaverit), sive facti (si dubitatur utrum delinquens pubes, necne, sit), reservatio non urget (*can.* 2245, § 4). Quivis igitur confessarius a dubia censura potest absolvere.

III. Reservatio censurae non est decernenda, nisi attenta peculiari gravitate delictorum et necessitate aptius providendi disciplinae ecclesiasticae et medendi conscientiis fidelium (*can.* 2246 § 1).

IV. Reservatio strictam recipit interpretationem (*Ibid.*, § 2).

Connexio inter peccati reservationem et censuram. — Reservatio censurae impedientis receptionem Sacramentorum (v. gr. excommunicationis), *a*) importat reservationem peccati cui censura adnexa est; *b*) verum si quis a censura excusatur (ut ex ignorantia) vel ab eadem absolutus est, reservatio peccati penitus cessat (*Ibid.*, § 3). Sequitur ex dictis in *a*), peccatum, nisi censura Sacramentorum receptionem impediat, non esse reservatum, etsi censura reservata sit (vide *can.* 2250, § 1).

1000. **Reservatio duplex.** — Si censura Sedi Apostolicae reservata est, Ordinarius nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre (*can.* 2247, § 1). Sed poterit, si censura non est reservata.

1001. **Reservatio in territorio.** — I. Reservatio censurae in

particulari territorio *vim suam extra illius territorii fines non exserit*, etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur (*Ibid.*, § 2). Si ergo Episcopus in sua dioecesi legem fert cujus violatoribus excommunicatio *latae sententiae* infligatur, absolutione sibi reservata, ejus subditus qui illam incurrerit, cum se in aliam dioecesim contulit, absolvi potest a quocumque confessario, quasi de censura *non* reservata ageretur.

II. Censura vero *ab homine* (vide *nn.* 968, 3.°, et 1008) est ubique locorum reservata, ita ut censuratus nullibi absolvi sine debitis facultatibus possit (*Ibid.*).

N. B. Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura *ab homine* aut censura *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservata (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS III

DE ABSOLUTIONE CENSURAE

1002. — I. Quaelibet censura, semel contracta, tollitur tantum legitima absolutione (*can.* 2248, § 1).

II. Absolutio denegari nequit cum primum delinquens a contumacia recesserit ad normam can. 2242, § 3 (Vide *n.* 995, II, III).

III. A censura autem absolvens, *potest*, si res ferat, pro patrato delicto congruam *vindicativam* poenam vel poenitentiam infligere (*can.* 2248, § 2).

Reviviscitne? — Censura per absolutionem sublata, non reviviscit (*can.* 2248, § 3). *Excipitur* casus in quo onus impositum sub poena reincidentiae impletum non sit (*Ibid.*). Cfr. inferius, *nn.* 1007, 1009 *seq.*

1003. **Absolutio unius censurae, et non aliarum.** — Si quis pluribus censuris detineatur: I. potest ab una vel a nonnullis absolvi, ceteris minime absolutis (*can.* 2249, § 1).

In hoc absolutio censurae differt a gravium peccatorum absolutione. Ab uno enim peccato mortali nemo potest absolvere, remanentibus aliis. Nam peccata gravia gratia sanctificante in animam infusa remittuntur, gratia autem repugnat saltem physice cum peccato; unde in anima simul esse utrumque non potest. Praeterea mortale peccatum sine vero dolore saltem attritionis non remittitur; dolor autem verus esse nequit, nisi est universalis, i. e., nisi omnia peccata gravia comprehendit. At censura, etsi peccatum praecedens supponit, simul esse cum statu gratiae potest. Sic, v. c., excommunicatus simul atque concipit dolorem *contritionis* de peccato propter quod censuram incurrit, statuitque

absolutionem petere, manet in gratia, etiam excommunicatione manente donec ab ea absolvatur ab eo qui debitas habeat facultates. Item quemadmodum commisso peccato quod adnexam habeat, v. gr., excommunicationem *ferendae sententiae*, haec non contrahitur donec sententia feratur; ita ab inflicta excommunicatione, antequam excommunicatum peccati poeniteat, absolvi potest sine peccati absolutione, quia censura neque cum peccato neque cum gratia necessario conjungitur.

II. Petens absolutionem, debet casus *omnes*, in quos incursus est, indicare; secus absolutio valet tantum pro casu expresso (*Ibid.*, § 2).

III. Quod si absolutio, quamvis particularis petitio facta sit, fuerit generalis, valet quoque pro reticitis bona fide (ut quia oblitus est), non autem pro censuris *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservatis, neque pro reticitis *mala fide* (*Ibid.*).

1004. **Connexio inter absolutionem censurae et illius peccati ob quod est incursa.** — I. Si agatur de censura *quae non impedit Sacramentorum receptionem* (qualis est suspensio a beneficio), censuratus, rite dispositus et a contumacia recedens, potest absolvi a peccatis, firma censura (*can.* 2250, § 1). Igitur etiamsi censura sit v. gr. Papae reservata, quivis confessarius poterit a peccato absolvere. Vide can. 2246, § 3, et *n.* 1000.

II. Si vero agitur de censura *quae impedit Sacramentorum receptionem* (v. c. de excommunicatione), censuratus nequit absolvi a peccatis, nisi prius a censura absolutus sit (*Ibid.*, § 2). Sed contra absolvi potest a censura, sine peccati absolutione. Cfr. *n.* 1000.

1005. **Absolutionis formula.** — Absolutio censurae *a*) quae datur in foro sacramentali, continetur in consueta forma absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescripta (1); *b*) in foro non sacramentali quolibet modo dari potest, sed ad excommunicationis absolutionem regulariter formam adhiberi convenit in eisdem libris traditam (2) (*can.* 2250, § 3).

1006. — **Effectus absolutionis** prout datae in foro externo vel interno. I. Absolutio censurae datae in *foro externo*, *utrumque* forum afficit (*can.* 2251).

II. Data in *interno*, efficit ut absolutus, remoto scandalo, possit uti talem se habere etiam in actibus fori *externi;* sed, nisi concessio

---

(1) Dominus noster Jesus Christus te absolvat: et ego auctoritate ipsius te absolvo ob omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. (Rit. Rom., *tit.* 3, *c.* 2).

(2) Dominus noster Jesus Christus te absolvat: et ego auctoritate ipsius, et sanctissimi Domini nostri Papae (vel reverendissimi Episcopi N., vel talis Superioris) mihi commissa, absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam incurristi (vel incurrisse declaratus [a] es), propter tale factum (vel causam, etc.); et restituo te communioni et unitati fidelium, et Sanctis Sacramentis Ecclesiae, in nomine Patris ✠, et Filii, et Spiritus Sancti (*Ibid.*, c. 3, *n.* 6).

absolutionis probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo, censura potest a Superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita erit (*Ibid.*).

Unde si in foro externo *a censura* absolvitur, *remanet peccatum* sine reservatione.

1007. **Absolutio in periculo mortis.** — Qui est in **periculo mortis** absolvi potest a quocumque sacerdote (etiam non approbato, immo excommunicato) a quibuslibet peccatis et censuris, quantumvis reservatis. Vide can. 882.

Absolutio perfecta est et definitiva nisi in *duobus casibus*, qui *ad convalescentem* referuntur: 1.° in absolutione censurae *ab homine;* 2.° censurae *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservatae. Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura *ab homine* vel a censura *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agitur de censura *ab homine;* ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, ad normam can. 2254, § 1, si agitur de censura a jure. In utroque casu fit recursus, ut mandatis pareatur (*can.* 2252). Vide *n.* 1009. Opinamur posse in ambobus poenitentem uti facultate concessa §§ 2 et 3 canonis 2254, sicut exponitur in *nn.* 1010 et 1011.

1008. — **Extra mortis periculum** possunt absolvere:

1.° A **censura** *non* **reservata**, *a*) *in foro sacramentali* quilibet confessarius; *b*) *extra forum sacramentale* quicumque jurisdictionem in foro externo habet in reum (*can.* 2253, 1.°) (v. gr. Episcopus, Vicarius Generalis, Vicarius Capitularis, Superior religiosus erga subditos suos, etc.).

2.° A censura **ab homine**, ille, cui censura reservata est ad normam can. 2245, § 2 (Vide *n.* 998). Potest autem absolutionem concedere, etiamsi reus alio domicilium vel quasi-domicilium transtulerit (*can.* 2253, 2.°), et desierit esse, quoad alios effectus, subditus ejus qui censuram inflixit.

Nota bene a censura etiam *absentes* absolvi posse, a peccato solum moraliter confessario praesentes.

3.° A censura «**a jure**» **reservata,** ille qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes Superiores aut delegati. Quare *a*) a censura *a jure* reservata Episcopo vel Ordinario, quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam *peregrinos; b*) a reservata Sedi Apostolicae, haec aliive qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint sive generalem, si censura *simpliciter* reservata est, sive specialem, si reservata *speciali modo,* sive denique specialissimam, si reservata *specialissimo modo* (*Ibid.*, 3.°), ut *n.* 998 dictum est.

1009.—Absolutio **in casibus urgentioribus**, 1.° si nempe censurae *latae sententiae* exterius servari nequeunt sine periculo *gravis scandali* vel *infamiae;* 2.° aut si durum est poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necesarium ut Superior competens provideat. In his *quilibet confessarius* in foro sacramentali a quibuslibet reservatis absolvere potest, injuncto onere *sub poena reincidentiae* recurrendi intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate, et standi ejus mandatis (*can.* 2254, § 1).

a) *Si durum est poenitenti*, etc., etiam per unum diem. Esse rem *duram*, intelligendum est *non objective*, sed *subjective*, hoc est, relate ad poenitentis dispositionem. Si autem poenitens carebit voluntate quamprimum per absolutionem a peccato ad statum gratiae transeundi, poterit a confessario ad illam excitari, dispositusque absolvi (*Il Monitore, vol.* 10, *p.* 1, *pag.* 214. Casus Romae ad S. Apollinar., *pag.* 149).

b) *Quilibet confessarius*, scil. ex approbatis secundum generales regulas temporis, loci, personarum, etc.

c) Absolutio valida solum est in foro sacramentali.

d) *A quibuslibet reservatis*, sive cum censura, sive sine ea (S. Poenit., 7 nov. 1888), vel *simpliciter* vel *speciali modo*, immo *specialissimo* (S. Off., 29 jun. 1886). Nullus igitur casus, ne *absolutio* quidem *complicis*, excipitur. Ex quo *non* sequitur posse sacerdotem in hoc casu *proprium complicem* absolvere; peccatum enim complicis non est reservatum, sed tantum in illo complex sacerdos jurisdictione caret.

e) *Sub poena reincidentiae*, scil. in easdem censuras (S. Off., 23 jun. 1886); nempe easdem *specifice*, non *in individuo*. Ita si quis absolutus est, v. gr., ab excommunicatione *speciali modo* reservata, et culpa sua non recurrit, ut praescribitur, denuo incidit in excommunicationem *speciali modo* reservatam.

Reincidentia *intelligenda est* de eisdem *censuris*, non de eisdem *peccatis;* nam absolutio a censuris dari potest *ad reincidentiam*, cum censura, supposito peccato, a Superioris voluntate pendeat; sed cum peccatum tantummodo pendeat ex delinquentis voluntate, non potest *ad reincidentiam* absolvi. *D'Annibale*, l. c.; *Ball.-P.*, *vol.* 7, *n.* 189 *seq.*

Qui potest censuram imponere, potest etiam in ejus absolutione reincidentiam addere; non vero alius, si peculiari facultate non est praeditus. Neque in reincidentiam incurritur, modo ne sit nova culpa cum contumacia. *Buccer.*, Inst. mor., *n.* 1104; Comment. de cens., *n.* 85.

f) *Intra mensem*, a die absolutionis vel a die quo innotuit obli-

gatio computandum. Neque opus est ut rescriptum intra mensem accipiatur. *Villada*, Casus, *vol.* 3, Cas. VIII, *app.* II, 5.°

Saltem per epistolam et *per confessarium*, etc. Onus ad Sedem Apostolicam per epistolam recurrendi debet confessarius suscipere (S. Off., 23 jun. 1886; *Il Monitore, vol.* 7, *p.* 1, *pag.* 183; *Deshayes*, Memento jur. eccles., *n.* 1344), nisi forte ipsi valde difficile sit, quod frequenter potest regularibus evenire. Licet tamen poenitenti per se ipsum ad Sacram Poenitentiariam scribere (S. Poenit., 7 nov. 1888; *Buccer.*, Comment. de cens., *n.* 62; *Il Monitore*, l. c.; *Casus Romae*, etc., *pag.* 48). Quod si scribat confessarius, responsionem a Sacra Poenitentiaria acceptam (quam sigillo munitam inveniet, et cum hac, aut simili inscriptione: *Discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario loci*), ipse sine poenitentis facultate aperire nequit, sed, rupto exteriore involucro, quod ad ipsum dirigitur, responsum poenitenti tradet, cujus erit eligere confessarium, quem velit ex approbatis, qui illud aperiet, atque intra confessionem exsecutioni mandabit: quod ubi fecerit, rescriptum illud *intra breve tempus* (trium dierum juxta multos) comburere, aut omnino destruere debet sub poena excommunicationis *latae sententiae*. Si in rescripto haec inscriptio est: *Doctori in theologia aut in jure canonico*, huic est tradendum. (Societas Jesu privilegio gaudet, ut quilibet e nostris confessariis cum facultate Superioris hujusmodi rescripta aperire et exsecutioni mandare possit.)

(De modo ipso ad S. Poenitentiariam recurrendi ejusque rescripta exsequendi vide *Ferreres*, La Curia Romana, *nn.* 862, 898.)

g) Adjuncto onere *recurrendi ad S. Poenitentiariam.* Praeter ea quae de jure sunt injungenda (S. Off., 23 jun. 1886), imponitur hoc onus, tum pro reservatis cum censura, tum pro reservatis sine censura (S. Off., 7 nov. 1888). Recursus fieri debet ad S. Poenitentiariam, non ut absolvat, neque ut facultatem ad absolvendum concedat, jam enim poenitens est absolutus, sed ut gravi huic sanctae Ecclesiae praecepto satisfiat, et mandata atque monita salutaria accipiantur.

h) *Vel ad Episcopum* aliumve Superiorem praeditum facultate absolvendi ab hujusmodi reservatis. Non autem sufficeret recurrere ad sacerdotem, etiam regularem, qui facultatem haberet absolvendi a papalibus, nisi ipsi iterum confiteretur, ut statim dicetur.

i) *Reticito nomine*: sive ad S. Poenitentiariam recurritur sive ad Episcopum, ficta nomina ad poenitentem significandum adhibentur. Sed ejus, cui rescriptum mittendum est, verum nomen designatur.

1010. — Nihil impedit quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, facto quoque recursu ad Supe-

riorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione saltem *delicti cum censura*, consequatur absolutionem; qua obtenta, *mandata ab eodem accipiat*, neque teneatur postea stare *aliis mandatis* ex parte Superioris supervenientibus (*can.* 2254, § 2). Igitur in hac secunda confessione satis erit accusare peccatum quod censuram habebat adnexam, non alia peccata, quia vi prioris confessionis omnia remissa sunt. Quod si jam recursum ad Superiorem instituerit, non est necesse ut ejus mandata exsequatur, sed sufficiunt mandata confessarii.

1011. — Quod si *in casu aliquo extraordinario* recursus ad Superiorem sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius, excepto casu quo agitur de absolutione censurae de qua in can. 2367 (i. e. illius in quam incurrit complicem absolvens), potest absolutionem concedere, sine onere (*recurrendi*) de quo supra, *a*) injunctis tamen de jure injungendis, *b*) et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, *c*) ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, *recidat in censuram* (*can.* 2254, § 3).

CAPUT II

DE CENSURIS IN SPECIE

1012. — Censurae sunt: excommunicatio, interdictum, suspensio (*can.* 2255, § 1).

1013. — *a*) *Excommunicatio* afficere potest tantum personas physicas. Ideo, si quando feratur in corpus *morale* sive coetum (ut in Capitulum, in monasterium), intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint. At *interdictum* et *suspensio* afficere possunt etiam communitatem, ut personam moralem.

b) *Excommunicatio* et *interdictum* etiam laicos, *suspensio* clericos tantum afficere potest.

c) *Interdictum* est unica censura quae indolem localem habere potest seu *locum* afficere.

d) *Excommunicatio* est semper censura, ac proinde poena medicinalis; *interdictum* et *suspensio* possunt esse vel censurae vel poenae (*can.* 2255, § 2), juxta diversos casus. In dubio, praesumuntur censurae. Quae tamen non sunt, si infliguntur in perpetuum vel ad certum tempus aut ad Superioris beneplacitum.

ARTICULUS I

DE EXCOMMUNICATIONE

I. *De natura et partitione*

1014. **Notio.** — *a*) Excommunicatio est censura qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus qui in canonibus, qui sequuntur, enumerantur, et sunt inter se inseparabiles (*can.* 2257, § 1).

b) Dicitur quoque *anathema*, praesertim si cum solemnitatibus infligitur quae in Pontificali Romano describuntur (*Ibid.*, § 2).

Divisio. — Excommunicati alii sunt vitandi, alii tolerati (*can.* 2258, § 1).

1015. **Excommunicati vitandi et tolerati.** — I. Nemo excommunicatus est *vitandus*, nisi *a*) est *nominatim* a Sede Apostolica excommunicatus; *b*) excommunicatio est publice denuntiata; *c*) et in decreto vel sententia *expresse* dicitur ipsum *vitari* debere (*can.* 2258, § 2). *Nominatim* est designato nomine vel iis signis declaratis, ut quis sit excommunicatus possit nemo dubitare. Cfr. *S. Alph.*, *lib.* VII, *n.* 137. Nomine *Sedis Apostolicae*, ut est in can. 7 (vide *vol.* 1, *n.* 137), veniunt R. Pontifex, Congregationes, Tribunalia, Officia per quae idem R. Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet.

II. **Exceptio.**—Excipitur si quis violentas manus in personam Romani Pontificis injecerit; qui est ipso facto vitandus ex praescripto can. 2343, § 1, 1.° (*can.* 2258, § 2).

II. *De effectibus excommunicationis*

A) *Privatio divinorum officiorum*

1016.— I. Excommunicatus quilibet caret jure **assistendi divinis officiis,** *non* tamen *praedicationi* verbi Dei (*can.* 2259, § 1).

II. Si **passive** assistit: *a*) *toleratus* non est necesse ut expellatur (etsi potest expelli); *b*) *vitandus*, expellendus est, aut, si expelli nequit (quia resistit aut defenditur a civili auctoritate, etc.), ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo (*Ibid.*, § 2).

III. Ab **assistentia** vero **activa**, repellendus est *a*) non solum *vitandus*, *b*) sed etiam quilibet *post sententiam declaratoriam* vel *condemnatoriam* (cfr. *n.* 789, 3.°), aut alioquin *notorie* excommunicatus (*can.* 2259, § 2).

Assistentia dicitur *activa*, cum secum fert aliquam participationem in divinis officiis celebrandis (*Ibid.*).

1017. **Quid intelligatur nomine divinorum officiorum.** — Nomine divinorum officiorum intelliguntur functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur, et a solis clericis fieri queunt (*can.* 2256, 1.°), ut Missae celebratio, cantus liturgicus horarum canonicarum, ordinum collatio, Chrismatis confectio, solemnes processiones, etc.

B) *Privatio Sacramentorum et Sacramentalium*

1018. — I. *Nullus* excommunicatus potest *licite Sacramenta* **recipere**; immo post sententiam *declaratoriam* aut *condemnatoriam* (*n.* 789, 3.°) nec Sacramentalia (*can.* 2260, § 1).

N. B. **Sepultura**. Privatur etiam sepultura ecclesiastica ad normam can. 1240, § 1, 2.° (*Ibid.*, § 2). Cfr. *n.* 168, IV, 2.° De coemeteriis et sepultura vide *nn.* 123-169.

1019. — II. *a*) Prohibetur quilibet *excommunicatus* licite Sacramenta et Sacramentalia **conficere et ministrare**, salvis exceptionibus quae sequuntur (*can.* 2261, § 1).

Fideles tamen possunt ex qualibet justa causa ab excommunicato Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desunt, et tunc excommunicatus requisitus potest eadem ministrare neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi (*Ibid.*, § 2).

b) At hoc intellige de excommunicatis *non vitandis* et de aliis non excommunicatis per *sententiam condemnatoriam* aut *declaratoriam*. Ab his enim fideles in solo mortis periculo possunt petere tum *absolutionem* sacramentalem, tum etiam, si alii desunt ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia (*Ibid.*, § 3).

N. B. Cum in his casibus Sacramenta dicuntur licite administrari, supponitur excommunicatum facere quod in se est ut statum gratiae acquirat; aliter enim administratio illicita esset, ut in ministris non excommunicatis, qui in statu peccati versarentur.

C) *Privatio indulgentiarum, suffragiorum et precum*

1020. — Excommunicatus non fit particeps *indulgentiarum* (1), *suffragiorum*, *publicarum* Ecclesiae *precum* (*can.* 2262, § 1).

---

(1) *Indulgentia* est remissio poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet jam deletis, facta extra sacramentum Poenitentiae a competente auctoritate per applicationem thesauri Ecclesiae, pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii (Cfr. *can.* 911).

Dicitur *remissio poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam* quod attinet *jam deletis*, nam quoties peccatorum culpa remittitur, remittitur etiam *poena aeterna;* poena vero *temporalis* remittitur quidem in baptismo et in martyrio, non autem semper in sacramento Poenitentiae. Et haec poena est quae per indulgentias ex toto vel ex parte condonatur.

1021. — *Possuntne fideles privatim orare pro eo?*

Resp. Certe possunt; *immo* sacerdotes Missam *privatim* ac remoto scandalo pro eo possunt applicare; sed si vitandus est, pro ejus conversione tantum (*Ibid.*, § 2).

a) **Suffragia** et preces Ecclesiae sunt vel *publica*, vel *privata*. Suffragia *publica* ea sunt, quae fidelibus proveniunt ex bonis operibus nomine Ecclesiae factis ab ejus ministris; ut sunt Missae, horae canonicae, aliaeque orationes et opera, quae ab Ecclesiae ministris, prout tales sunt, et nomine ipsius Ecclesiae aguntur. Ad haec etiam revocari possunt satisfactiones Christi, B. Virginis et Sanctorum, quae thesaurum Ecclesiae constituunt, et a Praelatis Ecclesiae per indulgentias applicantur.

b) Suffragia *privata* ea sunt, quae oriuntur ex bonis operibus quae fideles per se et proprio nomine peragunt; qualia sunt jejunia, orationes aliaque bona opera, quae a privatis fidelibus, vel ab Ecclesiae ministris tanquam personis privatis fiunt.

1022. — *N. B.* 1.° Excommunicati privantur omnibus suffragiis communibus Ecclesiae. Patet, quia Ecclesia jure suo prohibet, ne pro illis *publice* aut nomine ipsius oretur, vel ulla pars bonorum suorum ad eos deveniat. Quod valet, etiamsi fuerint contriti et ad meliorem vitam conversi, quia adhuc excommunicatio perdurat donec ab ea absolvantur. Vide *n.* 1003. *S. Alph.*, *lib.* VII, *n.* 163.

2.° Neque *tolerati*, neque etiam *vitandi* privantur suffragiis privatis. Ratio est, quia non prohibentur fideles orare privatim pro excommunicatis, etiam in ecclesia et loco publico; ergo bonorum operum fructum eis applicare possunt. *S. Alph.*, l. c., *n.* 162.

3.° Excommunicati suffragiis communibus non privantur, si tamen pro ipsis fit particularis applicatio. Quod intellige etiam de *vitandis*, saltem si applicatio fit pro eorum conversione. Ratio est, quia Ecclesia non prohibet amplius fidelibus orare privatim pro excommunicatis. *S. Alph.*, *n.* 164.

Dicitur *remissio... facta extra sacramentum Poenitentiae,* quia etiam pars major vel minor poenae temporalis remittitur per poenitentiam in hoc sacramento impositam, ita ut remissio sit major quam si opera, quae in poenitentiam imposita sunt, fierent non imposita in poenitentiam. Ergo aliquid remittitur ex auctoritate Superioris illa opera imponentis in sacramento Poenitentiae; remissio vero per indulgentias fit extra hoc sacramentum.

Per applicationem thesauri Ecclesiae: thesaurus Ecclesiae est cumulus satisfactionum Christi, B M. Virginis, Sanctorum aliorumque justorum.

Omnia opera justorum sunt *per se* meritoria, impetratoria, etc., et *satisfactoria* poenae temporalis. Meritum aliis applicare non possumus, sed satisfactiones possumus vel nobis, si his indigemus, vel aliis qui sint in gratia. Si autem aliis non applicamus, vel hi illis non indigent, aut sunt earum incapaces, neque nos ipsis indigemus, tunc augent Ecclesiae thesaurum satisfactionibus *infinitis* Christi praecipue constitutum, quibus accedunt satisfactiones B. Mariae Virginis aliorumque sanctorum ac justorum quae applicatae non sunt vel effectu caruerunt. Cfr. *Suárez,* De poenit., *disp.* 51, *sect.* 2, *nn.* 6-14.

Igitur poena illa temporalis solvi a nobis potest *a*) per poenitentiam sacramentalem; *b*) per opera satisfactoria a nobis facta; *c*) per satisfactiones aliorum nobis applicatas; *d*) per indulgentias; *e*) per nostras in Purgatorio poenas.

D) *Privatio actuum legitimorum, actionis judicialis, officiorum ac privilegiorum*

1023. — *a*) Removetur quilibet excommunicatus ab *actibus legitimis* ecclesiasticis intra limites suis in locis jure definitos; *b*) nequit in *causis* ecclesiasticis agere, nisi ad normam can. 1654 (cfr. *n.* 589); *c*) prohibetur **ecclesiasticis officiis** seu muneribus fungi, concessisque antea ab Ecclesia privilegiis frui (*can.* 2263).

1024. — *Quid significetur nomine* **actuum legitimorum**?

Resp. Significantur: *a*) munus *administratoris* gerere bonorum ecclesiasticorum; *b*) partes agere *judicis*, *auditoris* et *relatoris*, *defensoris vinculi*, promotoris justitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; *c*) munus patrini agere in sacramentis baptismi et confirmationis; *d*) suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis; *e*) jus patronatus exercere (*can.* 2256, 2.°).

1025. — *Quid veniat nomine* **officiorum ecclesiasticorum?**

Resp. 1.° *Officium ecclesiasticum* lato sensu est quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur; stricto autem sensu est munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive jurisdictionis (*can.* 145, § 1).

Resp. 2.° In jure officium ecclesiasticum accipitur stricto sensu, nisi aliud ex contextu sermonis appareat (*Ibid.*, § 2). Vide *vol.* 1, *n.* 308.

Hic agi videtur de officiis sensu latiori, nam de ipsis sensu strictiori agitur inferius, *can.* 2265, 2266 (*nn.* 1028, 1029). Quid sit *privilegium* dictum est *vol.* 1, *nn.* 183-188.

E) *Privatio exercendae jurisdictionis ecclesiasticae*

1026. — Excommunicatus jurisdictionem ecclesiasticam sive *externi* sive *interni* fori exercere: *a*) *nec licite nec valide* potest, *post* sententiam *condemnatoriam* vel *declaratoriam*, excepta absolutione in periculo mortis (vide *nn.* 1007, 1019); *b*) *ante talem sententiam*, potest *valide*, immo etiam *licite*, si fideles petant (*can.* 2264).

1027. *Hinc infertur* — 1.° Excommunicatus, post sententiam *condemnatoriam* vel *declaratoriam*, omni jurisdictione ecclesiastica, seu potius ejusdem exercitio et usu privatur. Unde non potest absolvere in foro Poenitentiae praeter quam eos qui sint in *periculo* mortis, nec leges aut censuras aut sententias ferre, nec eligere ad beneficia aut ea conferre, etc. Si autem talia ageret, nulla prorsus et irrita forent. *S. Alph.*, *lib.* VII, *n.* 185.

2.° Excommunicatus ante talem sententiam jurisdictionem valide exercet, quia alias magna confusio in Ecclesia oriretur. Ejusdem tamen acta per exceptionem seu oppositionem excommunicationis infirmari ac repelli possunt in quolibet judicii statu et gradu, dummodo fiat ante sententiam definitivam (*can.* 1628, § 3); et ipse *illicite* agit extra casum necessitatis, aut nisi rogatus fuerit; et quidem in re gravi a peccato mortali excusari nequit. Si autem rogatus fuerit, non peccat, etiamsi sacramentum Poenitentiae sine causa ministret. Hoc tamen valet, quatenus sacramentum petitur ab excommunicato; nam quatenus petitur a ministro exsistente in mortali, ad licite petendum requiritur justa causa. Ita *S. Alph.*, *n.* 139, et *l.* VI, *n.* 88.

1028. — *Quinam sint alii effectus excommunicationis?*

Resp. Illicite quilibet excommunicatus *a*) exercet jus eligendi, praesentandi, nominandi, *b*) aut obtinet dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aut aliud munus in Ecclesia; *c*) immo post *sententiam declaratoriam* vel *condemnatoriam*, *etiam invalide* (*can.* 2265, § 1, 2); *d*) quod si haec sententia lata fuerit, excommunicatus nequit insuper *gratiam* ullam *pontificiam* consequi *valide*, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat (*Ibid.*, § 2). Vide infra, *nn.* 1041 *c*) y 1050, 1.°

1029. — *An excommunicatus post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam privetur* **beneficiis** *etc. jam obtentis?*

Resp. *a*) Privatus semper manet **fructibus** dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habeat in Ecclesia; *b*) immo *vitandus* privatur ipsamet *dignitate*, *officio*, *beneficio*, *pensione*, *munere* (*can.* 2266).

1030. — *An fideles teneantur etiam vitare communionem* **in profanis** *cum excommunicato* **vitando?**

Resp. *Affirm.*, nisi 1.° agatur de conjuge, parentibus, filiis, famulis, subditis, *aut* 2.° nisi alia *rationabilis causa* excuset (*can.* 2267).

1031.—Actiones civiles seu *profanae*, in quibus cum *vitando* non licet communiter consortium habere, hoc versiculo continentur:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

1.° *Os*, id est colloquia, litterae, signa benevolentiae.

2.° *Orare*, quaelibet communicatio in divinis, v. gr. adsistere Missae, vel officiis publicis Ecclesiae.

3.° *Vale*, salutationes omnino particulares.

4.° *Communio*, quaelibet societas negotii, habitationis, contractus, cooperationis, etc.

5.° *Mensa*, invitatio reciproca ad mensam, *S. Alph.*, l. c., *n.*188.

1032. — Plures auctores ante Codicem tenebant hanc poenam

privationis societatis civilis in desuetudinem pro ipsis *vitandis* abiisse: rationes enim, ajebant, quae hanc communicationem licitam reddunt juxta veteres auctores, hodie fere pro omnibus adsunt. Ergo lex communiter servari nequit. Ergo vim amittit. Enim lex debet subditis communiter esse possibilis. Cfr. *Ball.-P., vol.* 7, *n.* 267; *Lehmk.*, 2, *n.* 897; *Génicot, vol.* 2, *n.* 585, IX.

ARTICULUS II

DE INTERDICTO

1033. **Notio.** — *Interdictum* est censura qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes (igitur *per se* non sunt ex communicati), prohibentur sacris quae in canonibus, qui sequuntur, enumerantur (*can.* 2268, § 1).

1034. — **Divisio**: Interdictum esse potest *personale* aut *locale.*

I. **Personale** dicitur cum fertur *directe* contra *personas*, quibus prohibet usum bonorum memoratorum. **Locale** vero, cum directe fertur *in loca*, prohibens in illis administrationem aut receptionem praedictorum bonorum, ideoque *indirecte* afficit personas (*Ibid.*, § 2).

II. Quoad modum obligandi, interdictum *personale* sequitur personas ubique; *locale* non urget extra locum interdictum, sed in loco interdicto *omnes* etiam *externi* aut *exempti*, nisi gaudeant speciali privilegio, illud servare debent (*can.* 2269, § 2).

1035.—Utrumque interdictum esse potest *generale* aut *particulare.*

I. *Personale* est **generale** cum fertur contra populum sive habitatores paroeciae, dioecesis, aut nationis; **particulare,** si feratur in personas singulares ac determinatas (*can.* 2269, § 1).

II. *Locale* erit *generale*, si feratur in universum territorium paroeciae, dioecesis aut nationis; *particulare*, si feratur in singularem ecclesiam, sacellum, oratorium, coemeterium, etc. (*Ibid.*).

1036. — *Quis potest ferre interdictum?*

Resp. 1.° *Generale* interdictum tam *locale* in territorium *dioecesis, reipublicae*, quam *personale* in universum populum *dioecesis, reipublicae*, ferri tantum potest a *Sede Apostolica* vel de ejus mandato (*Ibid.*, § 1).

Resp. 2.° Interdictum vero *generale* in territorium *paroeciae* vel paroeciae *populum*, et *particulare* sive locale sive personale, etiam Episcopus ferre potest (*Ibid.*).

1037.—*Quid prohibet interdictum* **locale?**

Resp. 1.° Interdictum locale sive *generale* sive *particulare non* vetat *morientibus* Sacramenta et Sacramentalia (v. gr. benedictionem apostolicam), servatis servandis, ministrare (*can.* 2270, § 1).

Resp. 2.° Prohibet in loco quodlibet divinum officium vel sacrum ritum (*Ibid.*).

1038. — **Exceptiones**: 1.ª In die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi, et Beatae Mariae Virginis in caelum assumptae interdictum locale suspenditur, et prohibetur tantum collatio ordinum et solemnis nuptiarum benedictio (*Ibid.*, § 2).

2.ª Suspenditur etiam in festo Immaculatae Conceptionis tam in **Hispania**, quam in **America latina** ac **Insulis Philippinis.**

3.ª Si interdictum fuerit **locale generale** et interdicti decreto aliud non caveatur expresse: *a*) Permittitur clericis, *dummodo non sint ipsi personaliter interdicti*, omnia divina officia et sacros ritus in quacumque ecclesia aut oratorio privatim obire, januis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis (*can.* 2271, 1.°); *b*) in ecclesia vero *cathedrali*, ecclesiis *paroecialibus* vel in ecclesia quae *unica* sit in oppido, in iisque solis, *permittuntur a*) unius *Missae* celebratio, *b*) asservatio *sanctissimi Sacramenti*, *c*) administratio *baptismatis*, *Eucharistiae*, *poenitentiae*, *d*) assistentia *matrimoniis*, exclusa benedictione nuptiali (1), *e*) *mortuorum* exsequiae, vetita tamen quavis solemnitate, *f*) benedictio aquae baptismalis et sacrorum oleorum, *g*) praedicatio verbi Dei. In his tamen sacris functionibus prohibetur *cantus* et *pompa* in sacra supellectili et sonitus *campanarum*, *organorum*, aliorumve *instrumentorum musicalium;* sacrum autem *Viaticum* ad infirmos *privatim* deferri debet (*can.* 2271, 2.°). His igitur functionibus fideles assistere possunt.

4.ª In interdicto **locali particulari**, *a*) si interdictum fuerit altare vel sacellum alicujus ecclesiae, nullum sacrum officium seu sacer ritus in eisdem celebrari potest (*can.* 2272, § 1); *b*) si interdictum fuerit coemeterium, fidelium cadavera sepeliri ibidem possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu (*Ibid.*, § 2); *c*) si latum fuerit in certam ecclesiam vel oratorium: 1.° si ecclesia fuerit *capitularis* nec interdictum sit Capitulum, servari debet dictum hoc *n.* 1038, 3.ª *a*), nisi interdicti decretum praecipiat Missam conventualem celebrari et horas canonicas recitari in alia ecclesia aut oratorio; 2.° si fuerit paroecialis, servetur quod dictum est supra, *n.* 1038, 3.ª *b f*), nisi interdicti decretum aliam ecclesiam pro interdicti tempore eidem substituat (*can.* 2272, § 3).

1039. — *Relatio inter* **principale et accessorium** *in interdicto* **locali:**

1.ª Interdicta civitate, interdicta quoque manent loca accessoria etiam exempta et ipsa ecclesia cathedralis (*can.* 2273).

---

(1) Benedictio nuptialis ea est quae datur intra Missam, sed exsistit etiam benedictio in Rituali praescripta, quae datur semper si uterque conjux est catholicus.

2.ª Interdicta ecclesia, interdicta sunt sacella contigua, non vero coemeterium (*Ibid.*), etsi fuerit contiguum.

3.ª Interdicto sacello, non est interdicta integra ecclesia (*Ibid.*).

4.ª Nec, interdicto coemeterio, interdicta est ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt omnia oratoria in coemeterio erecta (*Ibid.*).

1040. — *Quomodo ferri possit interdictum contra* **communitatem** *aut* **collegium**, *si delictum perpetraverit, et quinam sunt illius effectus?*

Resp. 1.° Ferri potest: *a*) vel in singulas personas delinquentes, *b*) vel in communitatem, uti talem, *c*) vel simul in personas delinquentes et in communitatem (*can.* 2274, § 1).

Resp. 2.° In primo casu *a*), servandum est id quod praescribitur personaliter interdictis et dicetur *n.* 1041 (*Ibid.*, § 2); in secundo *b*), communitas seu collegium nequit jus ullum spirituale exercere quod ei competat (*Ibid.*, § 3); in tertio *c*), effectus utriusque interdicti cumulantur (*Ibid.*, § 4).

1041. — *Quinam sint effectus interdicti* **personalis?**

Resp. Alii referuntur ad divina officia, alii ad Sacramenta et Sacramentalia, alii ad jus electionis, et alii ad sepulturam.

a) Quoad **divina officia**, personaliter interdicti nequeunt ea celebrare eisve, excepta praedicatione verbi Dei, assistere; *passive* assistentes non est necesse ut expellantur; sed ab assistentia *activa*, quae aliquam secum ferat participationem in divinis officiis celebrandis, repelli debent interdicti *post latam sententiam condemnatoriam* vel *declaratoriam*, aut alioquin notorie interdicti (*can.* 2275, 1.°). Vide dicta supra, *n.* 1016 *seq.*

b) Quoad **Sacramenta et Sacramentalia**, prohibetur ipsis ea ministrare, conficere et recipere, juxta ea quae pro excommunicatis dicta sunt, ad normam can. 2260, § 1, et 2261 (vide *nn.* 1018, 1019) (*Ibid.*, 2.°).

c) Quoad jus electionis etc., servari debet id quod ex canone 2265 dictum est supra, *n.* 1028, de excommunicatis (*Ibid.*, 3.°).

d) Quoad sepulturam ecclesiasticam, ipsa privantur prout dictum est can. 1240, § 1, 2.° et expositum fuit *n.* 168, IV, 2.°

1042. — *Ad quid tenetur ille qui subest locali interdicto, vel interdicto in communitatem vel collegium?*

Resp. 1.° Si ipse interdicto causam non dederit, nec alia censura prohibeatur, potest, si sit rite dispositus, Sacramenta recipere, ad normam canonum praecedentium, sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione (*can.* 2276).

Resp. 2.° Si vero ipse causam dederit, habetur *ipso facto* ut *personaliter* interdictus (*can.* 2338, § 4), ideoque subjectus effectibus praecedenti *n.* 1041 recensitis.

1043. — *Quinam sint effectus interdicti* **ab ingressu ecclesiae?**

Resp. a) Secum fert prohibitionem ne quis in quacumque **ecclesia** divina officia celebret vel eisdem assistat aut ecclesiasticam *sepulturam* habeat; *b*) si autem assistat, *graviter* peccat; sed necesse non est ut expellatur, nec, si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur (*can.* 2277).

c) In **oratoriis** vero sive publicis sive semipublicis sive privatis nulla detinetur prohibitione ratione ipsius interdicti.

Differentiam inter ecclesiam et oratorium vide *nn.* 44 et 94 *seq.*

ARTICULUS III

DE SUSPENSIONE

1044. **Notio.** — *Suspensio* est censura qua *clericus* officio vel beneficio vel utroque prohibetur (*can.* 2278, § 1).

1045. **Principia.** — I. Suspensionis effectus separari possunt (*Ibid.*, § 2). Unde suspensio potest esse *totalis* vel *partialis.*

II. In suspensione generaliter lata, absque ulla limitatione, comprehenduntur omnes effectus qui in canonibus hujus articuli enumerantur (*Ibid.*).

III. In suspensione *ab officio* vel *a beneficio* omnes tantum effectus alterutrius speciei (*Ibid.*).

IV. Suspensio *ab officio* simpliciter, nulla adjecta limitatione, vetat omnem actum tum potestatis *ordinis* et *jurisdictionis* (*vol.* 1, *nn.* 240-244), tum etiam merae *administrationis* ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii (2279, § 1).

1046. — Suspensio:

1.° *A jurisdictione* generatim, vetat omnem actum potestatis jurisdictionis pro utroque foro tam *ordinariae* quam *delegatae.*

2.° *A divinis,* omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem (v. gr. sacerdotalem) sive per privilegium (v. gr. si simplici sacerdoti collata fuit potestas confirmandi) obtinet.

3.° *Ab ordinibus,* omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem.

4.° *A sacris ordinibus,* omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem *in sacris.*

5.° *A certo et definito ordine* **exercendo,** omnem actum ordinis designati; suspensus autem prohibetur insuper eumdem ordinem conferre et superiorem recipere *receptumque post suspensionem* exercere.

6.° *A certo et definito ordine* **conferendo,** ipsum ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem.

7.° *A certo et definito ministerio*, ex. gr., audiendi confessiones, vel a certo ac definito *officio*, ex. gr., cum cura animarum, omnem actum ejusdem ministerii vel officii.

8.° *Ab ordine pontificali*, omnem actum potestatis ordinis episcopalis.

9.° *A pontificalibus*, exercitium actuum pontificalium, ad normam can. 337, § 2, eorum scilicet qui liturgice exigunt usum baculi et mitrae (*can.* 2279, § 2), ut vol. 1, *n.* 650, dictum est.

1047.—**Suspensio a beneficio** *a*) privat **fructibus** beneficii, excepta *habitatione* in aedibus beneficialibus (v. gr. in domo abatiali vel paroeciali, respectu parochi); *b*) non autem jure administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso *expresse* adimat et alii tribuat (*can.* 2280, § 1).

1048. — *Quid si suspensus a beneficio fructus beneficii percipiat, non obstante censura?*

Resp. Non modo graviter peccat, sed fructus restituere debet et ad hanc restitutionem cogi potest canonicis quoque, si opus sit, sanctionibus (*Ibid.*, § 2).

1049. — *Suspensio contra clericum generaliter lata, aut suspensio ab officio et beneficio, quaenam beneficia afficit, si ipse plura possideat?*

Resp. 1.° *Omnia* quae habeat in dioecesi Superioris suspendentis, nisi aliud appareat (*can.* 2281), et *sola*, quia loci Ordinarius nequit clericum suspendere a determinato officio vel beneficio quod in aliena dioecesi reperiatur (*can.* 2282).

Resp. 2.° Suspensio vero *latae sententiae*, jure communi irrogata, afficit omnia officia vel beneficia in quacumque dioecesi possideantur (*Ibid.*).

1050.—*N. B.* 1.° Quod circa excommunicationem statuit can. 2265, et exposuimus supra, *n.* 1028, applicari etiam debet suspensioni (*can.* 2283).

2.° Si incursa fuerit censura suspensionis quae vetat *administrationem* Sacramentorum et Sacramentalium (v. gr. *a divinis*, *ab ordinibus*), servari debet praescriptum can. 2261 (vide *n.* 1019), si censura suspensionis quae prohibet actum *jurisdictionis* in foro seu interno seu externo, *a*) actus est *invalidus*, ex. gr., absolutio sacramentalis, si lata sit sententia condemnatoria vel declaratoria, aut Superior *expresse* declaret se ipsam jurisdictionis potestatem revocare; *b*) secus est *illicitus* tantum, nisi a fidelibus petitus fuerit ad normam mem. can. 2261, § 2 (*can.* 2284) prout exposuimus supra, *n.* 1019.

1051 — *Quomodo ferri possit suspensio in* **Communitatem aut Collegium**, *si deliquerint, et quinam sint ejus effectus ?*

Resp. 1.° Suspensio ferri potest: *a*) vel in singulas personas de-

linquentes, *b*) vel in communitatem, uti talem, *c*) vel in personas delinquentes et communitatem (*can.* 2285, § 1).

Resp. 2.° In *primo* casu: *a*) servari debent canones hujus articuli (*Ibid.*, § 2) jam expositi (*nn.* 1044-1050).

In *altero* casu *b*) Communitas prohibetur exercitio jurium spiritualium quae ipsi, uti communitati, competunt (*Ibid.* § 3); in reliquo personae ad communitatem pertinentes uti non suspensae procedere possunt.

In *tertio* casu *c*) cumulantur effectus duorum casuum praecedentium (*can.* 2285, §§ 2-4).

TITULUS IX

De poenis vindicativis

1052. — *Poenae* vindicativae illae sunt quae directe tendunt ad delicti *expiationem* ita ut earum remissio e cessatione contumaciae delinquentis non pendeat (*can.* 2286); in quo a censuris discriminantur quae sunt poenae *medicinales*, et delinquens absolvi debet, ex quo cesset ejus contumacia.

Recursus contra ipsas. Ab inflictis poenis vindicativis datur appellatio seu recursus *in suspensivo*, nisi aliud expresse in jure caveatur (*can.* 2287).

1053.—**Condemnatio conditionalis.** *a*) *Exceptis* poenis *degradationis, depositionis, privationis* officii aut beneficii, *b*) et nisi urgeat necessitas reparandi scandalum, *c*) prudentiae judicis remittitur, si reus talis sit ut *prima vice* post vitam laudabiliter peractam deliquerit, poenae ordinariae per sententiam condemnatoriam inflictae exsecutionem suspendere. Haec suspensio secum fert *conditionem* ut, si reus *intra proximum triennium* aliud delictum ejusdem vel alterius generis commiserit, poenam utrique delicto debitam luat (*can.* 2288).

In memorata lege hispana diei 17 martii 1908 requiritur ut reus tunc primum deliquerit, ut non fuerit contumax, ut poena consistat in privatione libertatis, non ultra annum. Tempus intra quod exigitur ut reus non iterum delinquat est inter tres aut sex annos, prout statuerit tribunal in applicatione condemnationis conditionalis. Excipiuntur delicta furti (*robo*), incendii, falsificationis titulorum aut monetae, etc. Vide hanc legem apud *Alcubilla, vol.* 3, *pag.* 796, edit. 6.ª

1054. **Cessatio.** — Poena vindicativa finitur ejus *expiatione* vel *dispensatione* ab eo concessa qui legitimam habeat dispensandi

potestatem ad normam can. 2236 (*can.* 2289). Vide dicta *nn.* 989, 990.

1055. **Suspensio ac dispensatio in casibus occultis urgentioribus.** — I. In casibus occultis urgentioribus, si ex observatione *poenae vindicativae latae sententiae*, reus seipsum proderet cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest in foro sacramentali obligationem servandae poenae suspendere, injuncto onere recurrendi saltem intra mensem, eo modo quo dictum est supra, *n.* 1009, quoad censuras.

II. Quod si in aliquo casu extraordinario hic recursus sit impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest *dispensationem* concedere ad normam propositam supra, *n.* 1011 (*can.* 2290).

CAPUT I

DE POENIS VINDICATIVIS COMMUNIBUS

1056. — Poenae vindicativae quae **omnes fideles** pro delictorum gravitate *afficere possunt*, in Ecclesia praesertim sunt: *a*) Interdictum *locale* et interdictum in *communitatem* seu *collegium* in *perpetuum* vel ad tempus *praefinitum* vel ad *beneplacitum* Superioris (*can.* 2291, 1.°).

b) Interdictum *ab ingressu ecclesiae* in perpetuum vel ad tempus *praefinitum* vel ad *beneplacitum* Superioris (*Ibid.*, 2.°) (1).

c) Poenalis translatio vel suppressio sedis episcopalis vel paroecialis (*Ibid.*, 3.°); ita ut 1.° paroecia transferatur ab uno in aliud oppidum intra limites territorii ejusdem paroeciae, et sedes episcopalis ab una in aliam civitatem intra limites ejusdem dioecesis, vel 2.° supprimatur paroecia aut dioecesis, et territorium respective uniatur et incorporetur territorio alterius paroeciae vel dioecesis.

d) Infamia *juris* (*Ibid.*, 4.°). *e*) Privatio sepulturae ecclesiasticae (*Ibid.*, 5.°) ad normam can. 1240, § 1 (Vide *n.* 168, IV, 2.°). *f*) Privatio Sacramentalium (*Ibid.*, 6.°).

g) *Privatio* vel suspensio ad *tempus* **pensionis** quae ab Ecclesia vel ex bonis Ecclesiae solvitur, vel alius juris seu privilegii ecclesiastici (*Ibid.*, 7.°). *h*) Remotio ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis (*Ibid.*, 8.°). *i*) *Inhabilitas* ad gratias ecclesiasticas aut munia in Ecclesia quae statum clericalem *non* requirant (v. gr. sacristae, succentoris, organistae) vel ad gradus academicos auctoritate ecclesiastica consequendos (*Ibid.*, 9.°).

(1) In hoc differt interdictum quatenus poena est vindicativa ab interdicto quatenus *censura*. Censura enim ferri nequit neque in perpetuum neque ad tempus determinatum, neque ad arbitrium Superioris.

j) Privatio vel suspensio *ad tempus* muneris, facultatis vel gratiae jam obtentae (*Ibid.*, 10.°).

l) Privatio juris *praecedentiae* vel vocis *activae* (seu jus eligendi) et *passivae* (seu jus eligibilitatis) vel juris ferendi titulos honoris, vestem, insignia, quae Ecclesia concesserit (*Ibid.*, 11.°).

m) Mulcta pecuniaria (*Ibid.* 12.°).

1057. — *Quis potest decernere suppressionem vel translationem?*

Resp. 1.° Poenalis *suppressio* vel *translatio sedis episcopalis* reservatur uni Romano Pontifici (*can.* 2292), nam est una ex causis majoribus. Cfr. *vol.* 1, *n.* 391, et in hoc *vol.* 2, *n.* 559.

Resp. 2.° Suppressio vel translatio *paroeciae*, a locorum Ordinariis decerni nequit, nisi *cum consilio* Capituli (*Ibid.*).

1058. — *Quid est* **infamia juris** *et quinam ejus effectus?*

Resp. 1.° Ea quae casibus jure communi expressis statuitur (*can.* 2293, § 2). Non afficit dilinquentis consanguineos aut affines (*Ibid.*, § 4).

Resp. 2.° Infamis infamia juris est irregularis ad ordines suscipiendos, et insuper haec infamia delinquentem reddit inhabilem ad obtinenda beneficia, pensiones, officia et dignitates ecclesiasticas, ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos, ad exercitium juris aut muneris ecclesiastici, et tandem arceri debet a ministerio in sacris functionibus exercendo (*can.* 2294, § 1) (1).

1059. — *Quandonam contrahitur* **infamia facti?**

Resp. Quando quis, ob patratum delictum vel ob pravos mores, bonam existimationem, prudenti Ordinarii judicio, apud fideles probos et graves amisit (*can.* 2293, § 3). Non afficit delinquentis consanguineos aut affines (*Ibid.*, 4).

1060. — *Quinam sunt effectus infamiae facti?*

Resp. Infamis infamia facti, repelli debet tum a recipiendis ordinibus ad normam can. 987, *n.* 7.°, dignitatibus, beneficiis, officiis

---

(1) Praeterea infamis infamia **juris** post sententiam nequit suffragium ferre in electionibus (*can.* 167, § 1, 3.°); patrinum agere sive in baptismo (*can.* 765), sive in confirmatione (*can.* 795): jus patronatus exercere vel ejus privilegiis uti (*can.* 1740, § 4); manifesto infames arcendi sunt ab Eucharistia (*can.* 855, § 1); quilibet infamis post sententiam repellitur ut suspectus a testimonio ferendo (*can.* 1757, § 2, 1.°), vel a munere periti (*can.* 1795, § 2), aut arbitri (*can.* 1931).

Sunt infames **infamia juris:** *a*) qui species consecratas abjecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit (*can.* 2320); *b*) qui cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit (*can.* 2328); *c*) qui violentas manus injecerit in personam Romani Pontificis, aut S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis (*can.* 2343); *d*) duellantes eorumque patrini (*can.* 2351, § 2); *e*) *bigami,* qui nempe, obstante conjugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut ajunt, attentaverint (*can.* 2356); *f*) laici legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium (*can.* 2357, § 1).

N. B. Catholici qui in apostasiam a fide, vel haeresim vel schisma prolapsi sint, si moniti non resipuerint, *declarari debent* infames (*can.* 2314, § 1, 2.°); ita etiam clerici *in sacris* qui delictum admiserint contra sextum Decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint (*can.* 2359, § 2).

ecclesiasticis, tum ab exercendo sacro ministerio et ab actibus legitimis ecclesiasticis (*can.* 2294, § 2).

1061. — *Quomodo tollatur infamia?*

Resp. 1.° Infamia *juris* desinit sola dispensatione a *Sede Apostolica* concessa (*can.* 2295).

Resp. 2.° Infamia *facti* quum bona existimatio apud fideles probos et graves, omnibus perpensis adjunctis et praesertim *diuturna rei emendatione,* fuerit, prudenti Ordinarii judicio, recuperata (*Ibid.*).

1062. — *Quid notandum circa poenam* **inhabilitatis?**

Resp. 1.° Si agatur de rebus ad quas assequendas capacitas jure communi statuitur, inhabilitatis poenam infligere una *Sedes Apostolica* potest (*can.* 2296, § 1).

Resp. 2.° Jura jam quaesita **non** amittuntur ob supervenientem *inhabilitatem,* nisi huic *addatur* poena *privationis* (*Ibid.*, § 2).

1063. — *In cujus commodum eroganda est* **pecunia** ex **mulctis** pecuniariis inflictis a jure communi aut particulari?

Resp. Pecunia ex mulctis jure communi inflictis, si erogatio eodem jure praefinita est, ita est eroganda. Secus erogari debet in pios usus, non vero in commodum mensae episcopalis aut capitularis (*can.* 2297).

In eosdem pios usus erogandae sunt mulctae jure peculiari statutae vel statuendae (*Ibid.*).

CAPUT II

DE PECULIARIBUS CLERICORUM POENIS VINDICATIVIS

ARTICULUS I

QUAENAM SUNT, ET QUASNAM CONDITIONES EXIGANT ALIQUAE EX IPSIS

1064. — Hujusmodi poenae sunt: 1.° Prohibitio exercendi sacrum ministerium *praeterquam in certa ecclesia.*

2.° *Suspensio* in perpetuum vel ad tempus praefinitum, vel ad beneplacitum Superioris (1).

3.° *Translatio* poenalis ab officio vel beneficio obtento ad *inferius.*

4.° Privatio alicujus juris cum beneficio vel officio conjuncti.

---

(1) In hoc differt suspensio quatenus est poena vindicativa a suspensione quatenus censura, nam censura nequit esse perpetua neque ad tempus determinatum, neque ad arbitrium Superioris. Vide notam *n.* 1057.

5.° *Inhabilitas* ad omnes vel ad aliquot dignitates, officia, beneficia aliave munera propria clericorum.

6.° Privatio poenalis beneficii vel officii cum vel sine pensione.

7.° Prohibitio commorandi in certo loco vel territorio.

8.° Praescriptio commorandi in certo loco vel territorio.

9.° Privatio ad tempus habitus ecclesiastici.

10.° Depositio.

11.° Privatio perpetua habitus ecclesiastici.

12.° Degradatio (*can.* 2298).

1065. — *Quibus de causis clericus* **privari** *possit suo* **beneficio?**

Resp. 1.° Si beneficium *inamovibile* obtineat, solum in casibus jure expressis (*can.* 2299, § 1).

2.° Si *amovibile*, etiam ob alias rationabiles causas (*Ibid.*).

3.° Nequit clericus privari beneficio aut *pensione* cujus titulo ordinatus fuit, nisi aliunde ejus honestae sustentationi provideatur (Vide nihilominus *nn.* 1071, 1073, 1074) (*Ibid.*, § 3).

Ratio eadem est propter quam Ecclesia statutum habet nullum clericum esse in sacris ordinandum, nisi possideat titulum aliquem (beneficium, pensionem, patrimonium, etc.) quo honestae suae sustentationi consultum sit, id est, ut clerici *in sacris* paupertate sua non cogantur mendicare cum dedecore status ecclesiastici, cum paupertas coacta haberi soleat in dedecus (1). E contra quia paupertas *voluntaria* in honore habetur apud prudentes viros, ideo Ecclesia permittit ut regulares aliique religiosi sacros ordines suscipiant titulo *paupertatis* voluntariae. Cfr. *Ferreres*, Comp. Theol. mor., *vol.* 2, *nn.* 886, 887.

4.° Quamvis non perveniatur ad privationem beneficii, officii aut dignitatis obtentae, poterit privari ad *certum tempus* aliquo tantum ministerio cum illis conjuncto, v. gr. ministerio concionandi, excipiendi confessiones, etc. (*can.* 2299, § 2).

1066. — *Quando imponi poterit privatio juris deferendi habitum clericalem, et quinam sint hujus privationis effectus?*

Resp. 1.° Si gravia scandala praebeat et monitus non resipiscat, nec scandalum queat aliter removeri, potest interim privari jure deferendi habitum ecclesiasticum (*can.* 2300).

Resp. 2.° Haec privatio, dum perdurat, secum fert *a*) *prohibitionem* exercendi ministeria quaevis ecclesiastica, *b*) et *privationem* privilegiorum clericalium (*Ibid.*) de quibus egimus *vol.* 1, *nn.* 251-274.

1067. — *Quibus in casibus imponi potest praescriptio aut prohibitio* **certo** *in* **loco commorandi**, *aut collocatio in* **domo poenitentiae**, aut in domo **religiosa**, praesertim ad **longum tempus?**

---

(1) Ex parte huic causae etiam tribuendum est beneficium competentiae de quo diximus *vol.* 1, *nn.* 273, 274.

Resp. Tantum in casibus gravibus, in quibus, prudenti Ordinarii judicio, eae poenae necessariae sint ad clerici emendationem aut scandali reparationem (*can.* 2302).

1068. — *Potest Ordinarius praescribere clerico subdito suo ut certo in loco commoretur* **extra fines suae dioecesis?**

Resp. Negative, nisi in sequentibus casibus: *a*) si accedat consensus Ordinarii illius loci; *b*) vel agatur de domo poenitentiae seu emendationis clericis non solum dioecesanis, sed etiam extraneis destinata, *c*) aut de domo religiosa exempta, Superiore ejusdem consentiente (*can.* 2301).

ARTICULUS II

DE DEPOSITIONE ET DEGRADATIONE IN PARTICULARI

I. *De depositione*

1069. **Notio.**—*Depositio* est poena vindicativa quae secum fert, idque in perpetuum, *a*) tum suspensionem *ab officio* et *b*) *inhabilitatem* ad quaelibet officia, dignitates, beneficia, pensiones, munera in Ecclesia, *c*) tum etiam *privationem* illorum quae reus habeat, licet eorum titulo fuerit ordinatus (*can.* 2303, § 1).

1070.—*An per depositionem privetur clericus privilegiis clericalibus?*

Resp. Negative, neque reum liberat ab obligationibus e suscepto ordine exortis (*Ibid.*), v. gr., recitandi divinum officium, servandi castitatem, deferendi habitum clericalem, etc. Vide dicta *vol.* 1, *nn.* 276-307.

Servat igitur privilegium canonis, privilegium fori, etc. Vide *vol.* 1, *nn.* 251-275.

1071.—*Quid Ordinarius praestare debet si clericum depositum privaverit beneficio, officio, etc., quorum titulo ordinatus fuerit?*

Resp. Si clericus vere indigeat, commendatur caritati Ordinarii ut curet ei providere meliori quo possit modo, ne cum dedecore status clericalis mendicare cogatur (*Ibid.*, § 2).

1072. — *Quas ob causas infligi potest poena depositionis?*

Resp. Tantum in casibus in jure expressis (1).

---

(1) Tales causae sunt apostasia a fide, haeresis, schisma, si iterata monitione delinquentes non resipuerint (*can.* 2314, § 1, 2.º); abjectio specierum consecratarum vel earum adductio vel retentio ad malum usum (*can.* 2320); si clericus ad ordinem sacerdotalem non promotus Missae celebrationem simulaverit, aut sacramentalem confessionem exceperit (*can.* 2322, 1.º); violatio cadaverum vel sepulcrorum mortuorum ad furtum vel alium malum finem (*can.* 2328); procuratio abortus effectu sequuto (*can.* 2350, § 1); si quis fuerit legitime damnatus de delicto homicidii, raptus impuberum utriusque sexus, ven-

1073. — *Quid si depositus non det emendationis signa?*

Resp. 1.° Tunc, praesertim si scandalum dare pergat monitusque non resipiscat, Ordinarius potest eum *perpetuo* privare jure *deferendi habitum ecclesiasticum.*

2.° Haec privatio secum fert privationem privilegiorum ecclesiasticorum; et Ordinarius non tenetur jam curare de ejus sustentatione (*can.* 2304, §§ 1, 2) de qua *n.* 1071 dictum est.

II. *De degradatione*

1074. **Notio.** — *Degradatio* est gravissima inter poenas vindicativas contra clericos, et secum fert, *a*) depositionem, *b*) privationem *perpetuam* habitus clericalis (vide *n.* 1073, 2.°), et *c*) reductionem ad statum laicalem (*can.* 2305, § 1). Vide circa hoc ultimum *vol.* 1, *nn.* 377, 378.

1075. — *Ob quae delicta ferri potest?*

Resp. Solummodo *a*) propter delictum in jure expressum uti hac poena puniendum (1); *b*) vel etiam si clericus jam *depositus* et privatus habitu clericali, *grave* adhuc scandalum per annum praebere pergat (*can.* 2305, § 2).

1076. **Divisio.** — Degradatio esse potest *verbalis* seu *edictalis*, vel *realis.*

Prima seu *verbalis* irrogatur sola sententia, ita tamen ut omnes suos effectus juridicos statim habeat sine alia exsecutione (*Ibid.*, § 3); *realis* vero fit, si locorum adjuncta id permittant, servatis solemniis praescriptis in Pontificali Romano (*Ibid.*, § 3), ubi videri potest «Ordo *suspensionis,* reconciliationis, *depositionis*, dispensationis, *degradationis*, et restitutionis sacrorum ordinum». Reperitur illic formula specialis pro singulis Ordinibus minoribus et majoribus, Episcopatu non excluso (Cfr. edit. Ratisbonae, 1891, *pag.* 258-267).

N. B. 1.° Clerici *in sacris*, etsi degradentur, non liberantur ab

---

ditionis hominis in servitutem vel alium malum finem, usurae, rapinae, furti qualificati vel non qualificati in re valde notabili; incendii vel malitiosae ac valde notabilis rerum destructionis; gravis mutilationis vel vulnerationis vel violentiae (*can.* 2354, § 2); si qui delictum admiserunt contra sextum Decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, incestum cum consanguineis vel affinibus in primo gradu, lenocinium (in casibus gravioribus) (*can.* 2359, § 2); transitus ad vitae genus a statu clericali notorie alienum, depositis habitu clericali et tonsura (*can.* 2379); si quis propria auctoritate occupaverit beneficium, etc., nec velit ab occupatione recedere (*can.* 2394, 2.°); vel si quis noluerit dimittere beneficium a quo legitime sit privatus aut remotus (*can.* 2401).

(1) Nempe, si quis sectae *acatholicae* nomen dederit vel publice adhaeserit (*can.* 2314, § 1, 3.°), vel manus violentas in personam Romani Pontificis injecerit (*can.* 2343), vel homicidium culpabile perpetraverit (*can.* 2354, § 2), vel crimen sollicitationis, in casibus gravioribus (*can.* 2368, § 1), vel si clericus *in sacris* matrimonium attentare praesumpserit, et monitus non resipuerit (*can.* 2388, § 1).

2.° Neque degradatus privatur potestate ordinis in *sacra* ordinatione suscepta, quia huic perpetuo inhaeret jure divino. Quare si sacerdos edictaliter vel realiter *degradatus*, verba consecrationis proferret super panem et vinum animo consecrandi, revera conficeret Eucharistiam.
obligatione caelibatus (*can.* 213, § 2) neque recitandi divinum officium (*can.* 214, § 1). Cfr. *vol.* 1, *n.* 378.

TITULUS X

De remediis poenalibus et poenitentiis

CAPUT I

DE REMEDIIS POENALIBUS

1077. — *Remedia poenalia* potius praeventiva sunt ad *praeveniendam* scilicet delicti perpetrationem. Sunt nihilominus etiam *poenalia*, quia secum ferunt aliquam molestiam, et supponunt aliquam legis transgressionem cum periculo proximo delicti perpetrandi vel cum scandalo fidelium. Cfr. Trid., *sess.* XIII, *c.* 1, *de reform.;* S. C. Conc., 11 jun. 1880; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 6, *n.* 253.

Quaenam sint haec remedia?

Resp. Quattuor, scilicet, 1.° Monitio; 2.° Correptio; 3.° Praeceptum, 4.° Vigilantia (*can.* 2306).

1078. — *Quando et a quo facienda est* **monitio?**

Resp. 1.° Cum aliquis versatur in proxima occasione delictum committendi, vel cum ex inquisitione (vide *n.* 841) peracta gravis suspicio super ipsum cadit delicti commissi.

Resp. 2.° Debet eam peragere Ordinarius per se vel per interpositam personam (*can.* 2307).

1079. — *Quando et a quo fieri debet* **correptio?**

Resp. 1.° Cum ex alicujus conversatione scandalum vel gravis ordinis perturbatio oriantur.

Resp. 2.° Fieri debet ab Ordinario per se vel per interpositam personam, vel etiam per epistolam, et debet correptio peculiaribus esse accommodata conditionibus personae et facti de quo agitur (*can.* 2308).

1080. — *Quo pacto fieri debent monitio et correptio?*

Resp. Utraque potest esse publica vel secreta (*can.* 2309, § 1).

a) Si *publicae* sint, fieri debent vel coram notario aut duobus testibus. Fieri etiam possunt per epistolam, ita tamen ut de receptione et tenore epistolae ex aliquo documento constet (*Ibid.*, § 2).

b) Si *secrete* fiant, de ipsis tamen constare debet ex aliquo documento in secreto archivo Curiae asservando (Vide *vol.* 1, *n.* 676).

1081. — *Quando erit locus correptioni publicae?*

Resp. Fieri tantum potest adversus reum de delicto convictum vel confessum. Vocatur *judicialis*, si fiat a judice pro tribunali sedente vel ab Ordinario ante processum criminalem (*can.* 2309, § 3).

1082. — *Quaenam est* **natura** *correptionis judicialis?*

Resp. Vel habetur loco *poenae* vel fit ad *augendam* poenam, praecipue si agatur de recidivo (*Ibid.*, § 4).

1083. — **Quoties** *fieri possit?*

Resp. Tam *monitio* quam *correptio* fieri potest semel vel pluries, pro Superioris arbitrio et prudentia (*Ibid.*, § 6).

1084. — *Quid est* **praeceptum?**

Resp. Praeceptum est Superioris mandatum, quo subdito declarat quid debeat agere vel evitare, eique comminatur poena ecclesiastica quam incurret si illud violaverit.

Quando et quomodo datur locus praecepto?

Resp. 1.° Si monitio et correptio incassum factae fuerint, vel si ex eisdem effectum sperare non liceat (*can.* 2310).

Resp. 2.° In ipso accurate indicari debet, quid agere quidve evitare praeventus debeat, cum poenae comminatione in casu transgressionis (*Ibid.*).

1085. — *Quando aliquis submittendus erit* **vigilantiae?**

Resp. 1.° Si casus gravitas ferat et praecipue si agatur de eo qui in periculo versatur relabendi in idem crimen (*can.* 2311, § 1).

Resp. 2.° Vigilantia praecipi quoque potest ad augendam poenam, praecipue in recidivos (*Ibid.*, § 2).

CAPUT II

DE POENITENTIIS

1086. **Principia.** — I. **Poenitentiae** in foro *externo* (1) imponuntur ut delinquens vel poenam effugiat, vel poenae contractae absolutionem aut dispensationem recipiat (*can.* 2312, § 1).

---

(1) Pro foro sacramentali imponuntur in sacramento poenitentiae quasi partes ipsius integrantes.

II. Ob delictum aut transgressionem *occultam* nunquam poenitentia *publica* imponi potest (*Ibid.*, § 2).

III. *Poenitentiae* non tam secundum quantitatem delicti, quam secundum poenitentis contritionem moderandae sunt, pensatis qualitatibus personarum et delictorum adjunctis (*Ibid.*, § 3).

1087. — **Praecipuae poenitentiae** sunt praecepta:

1.° Recitandi determinatas preces; 2.° peragendi piam aliquam peregrinationem vel alia pietatis opera; 3.° servandi peculiare jejunium; 4.° erogandi eleemosynas in pios usus; 5.° peragendi exercitia spiritualia in pia aut religiosa domo per aliquot dies (*can.* 2313, § 1).

N. B. Poenitentias Ordinarius pro sua prudentia addere potest *poenali remedio monitionis* et *correptionis* (*Ibid.*, § 2).

Adnotatio finalis. Agere de singulis poenis in particulari utpote minus proprium scholae Institutionum reservamus scholis superioribus, sicut jam antea, *n.* 943, dictum fuit. Singulas censuras *latae sententiae* explicatas videre quis poterit apud *Ferreres*, Comp. Theol. mor., *nn.* 1230, sicut pariter *n.* 943 indicatum fuit.

LICENCIA ORDINIS

IMPRIMI POTEST

Alfredus Simón S. J.
Vice-Praep. Prov. Arag.

LICENCIA DEL ORDINARIO

NIHIL OBSTAT

EL CENSOR
FERNANDO FUSTER, S. J.

Barcelona, 23 de febrero de 1918.

IMPRÍMASE

ENRIQUE, *Obispo de Barcelona.*

Por mandado de Su Excia. Ilma., el Obispo, mi Señor,
Dr. Joaquín Sendra,
Canónigo, Secretario.

INDEX ALPHABETICUS [1]

(1) Numeri romani indicant volumen; arabici remittunt lectorem ad numeros marginales.

FINIS TOMI SECUNDI

INDEX


(1) Titulus XVIII relinquitur pro cursibus superioribus.
(2) Tituli XXX-XXXII relinquuntur pro scholis superioribus.

ERRATA (1)

			DICIT	LEGE
Pag.	62	lin. 31	aut festa S. Petri	aut *in Amer. lat.* festa S. Petri
»	75	» 8, 9	*D. auth., n.* 3825	*D. auth., n.* 3835
»	174	» 17	*synodalicum*	*synodaticum*

(1) Vol. 1, pag. 308, lin. 33 et 34 *dicit:* matrimonium ratum non consummatum, quod forte praecesserit, dirimit, *et dicere debet:* matrimonium dirimit post ejus emissionem attentatum, etsi matrimonium ratum non consummatum, quod forte praecesserit, non dirimat.
In maximo exemplarium numero jam id correctum est.
Praeterea juxta correctionem Codicis officialem, in eodem vol. 1, *pag.* 201, *n.* 608, addi debet festum Ascensionis D. N. Jesu Christi.




UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 16 17 25 02 006 4

